# MISSALE VOTIVUM

# TERRÆ SANCTÆ

# MISSALE VOTIVUM

## VENERABILIUM PALÆSTINÆ LOCORUM

CONTINENS

MISSAS INTEGRE PROPRIAS

IN OMNIBUS SANCTUARIIS

CUSTODIÆ ORDINIS FRATRUM MINORUM

COMMISSIS

AC NONNULLIS VISITATIONE PEREGRINANTIUM INTERDUM CULTIS

CELEBRANDAS

CURANTE REVERENDISSIMO PATRE

AURELIO BRIANTE DE BUJA O. F. M.

HODIERNO TERRÆ SANCTÆ CUSTODE

CONCINNATUM

ATQUE EXAMINI ET APPROBATIONI SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS

CUM QUIBUSDAM OFFICIIS NOVISSIMIS

SUBJECTUM




HIEROSOLYMIS
EX TYPOGRAPHIA PATRUM FRANCISCALIUM
MDCCCXCVIII.

**A.** Exemplar Supplicationis, qua Reverendissimus Pater AURELIUS BRIANTE DE BUJA TERRÆ SANCTÆ CUSTOS, variis ad rem adductis causis, a Summo Pontifice approbandum exorat novum MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ.

BEATISSIME PATER,

Augendæ Christianorum pietati, in sacram Redemptionis Terram e remotis etiam mundi partibus confluentium, illud inter cætera fomentum, antiqua consuetudine et Sedis Apostolicæ Decretis approbatum, jugiter præcipuum omnibus habetur, quo apud Sanctuaria quævis Missam de Mysteriis inibi peractis propriam Sacerdotes sæpius ceu Votivam celebrent devote, audiantque religione pari Fideles.

Nihilominus quum, juvante Deo, durissima olim conditio rerum his Palæstinæ regionibus in meliorem vergere statum nunc cœperit; hinc factum est, ut concessiones Votivarum hucusque obtentæ non amplius finem suum hodie multis de causis attingere cumulate videantur. Multa siquidem Loca, Christi Domini ejusque Matris ac Discipulorum actibus insignia, Fratres Minores, jam feliciter ex Infidelium et Schismaticorum manibus redempta, in Ecclesias aut Oratoria publica divino frequentanda cultu vel nuper converterunt, vel dum proxime se eadem conversuros jure meritoque confidunt, interim de legitimæ Auctoritatis permissione valent super Altare portatile rem divinam illic interdum peragere. Alia insuper non desunt plurimæ dignitatis Sanctuaria, quæ licet in plenam aut partialem Catholicorum possessionem nondum transierint, a Religiosis tamen Franciscanis aliisque Sacerdotibus ac Laicis Peregrinis, certum divina Officia suo vel proximiori loco celebrandi jus ibi exercituris, aliquoties per annum adeuntur. Neque etiam a considerationibus hujusmodi prætereunda sunt Loca, quæ in præsenti tempore ad Catholicos Orientalis ritus pertinere noscuntur: ubi Sacerdoti Latino Rectores earumdem Ecclesiarum permittunt utique libenter, quandocumque voluerit, Sacrum operari; quin illius intuitu Celebrantis, quidquam soleant vel debeant, ex diversitate ritus, circa Romanam in Votivis Liturgiam sategisse. Ejusmodi autem Loca universa, quæ superius enumerata sunt, nullo adhuc Missæ Votivæ privilegio decorari, Sacerdotes non sine admiratione et animi mœrore

quamplures advertebant; quoniam hæc neque Factorum magnitudine, neque dignitate Personarum, neque devotione Fidelium, ullimode aliis Sanctuariis Rescriptum tale jam habentibus inferiora manent, ac manere de communi piorum æstimatione reputantur.

Illud præterea in anteactis concessionibus frequenter incommodum, plerisque manifestum et grave incurrit: ut vel non omnia Mysteria specifice inter se distincta, et Personas in eis partem habentes principalem, in uno eodemque Loco ex utrisque præstantiam adepto colerentur; vel non raro illa præferrentur Facta illæque Personæ quæ, sive ob dignitatem suam sive ob relationem ad Loca, minore ad Votivas jure pollere censeantur. Item, nonnullæ interdum Missæ, quæ e Romano Missali haud certe pro Palæstinæ Locis singillatim effecto desumuntur, in quibusdam aut etiam cunctis Scripturarum textibus exiguam immo nullam persæpe ad Loca et Mysteria tenent relationem, nisi forsan e vaga solius tituli qualitate quam præferunt. Mutationes autem vel additamenta ademptionesve, ratione Temporis et Festi in Votivis efficiendæ, quæ in Indultis non semper indicantur: vel non aptis et cum reliqua Missa convenientibus admodum testimoniis erant privato nomine inductæ; vel etiam nondum in editis ad hunc finem Missalibus insinuatæ. Neque demum efficaciter hinc præclusus erat aditus difficultatibus non paucis, quæ in mente Sacra facientium insurgebant aut poterant insurgere, propter quosdam usus et privilegia, cum Rubricis Missalis et Decretis Apostolicis ægre per quoscumque concilianda. Quæ incommoda, etsi ratione temporum et circumstantiarum in quibus Indulta prodierunt, nemini adscribi vitio recte umquam valeant; in causa tamen erant, ut Sacerdotes maxime Peregrini vel hujusmodi consolatione in Votivis recitandis affluente penitus carerent, vel Missas dicere sinerentur parum aut nullimode natas eos specialis devotionis sensus exstimulare, qui pro Mysteriorum ac Personarum diversitate, in corde Fidelium Loca singulis quibusque Gestis propria visitantium multimode ac varie forent excitandi.

Hæc omnia Frater Aurelius Briante de Buja, hodiernus Fratrum Minorum in Terra Sancta degentium Custos, secum animo reputans, atque ex aliis etiam viris pietate simul ac doctrina egregiis probe resciens, mentem curasque sedulo adjecit, ut hisce incommodis congruum de Apostolicæ Sedis providentia remedium tandem afferretur. Missale igitur Votivum Terræ Sanctæ solerti ipse labore conficiendum curavit, in quo præsentibus temporum adjunctis et Celebrantium votis meliori, quo licuit modo, responderetur; studens Rubricas peculiares omnibus exsolvendis dubiis aut exortis aut exorituris idoneas apponere, Missas jam indultas quantum satis est ad rem accommodare, partes in eis deficientes aut incongruas conficere respective aut commutare, aptas Missalis Romani Votivas sancte retinere, atque demum cuncta ad Sacræ Liturgiæ normam ejusque laudabiliorem consuetudinem exigere.

Quapropter humillimus idem Orator, suorum in Terræ Sanctæ regimine Prædecessorum exempla æmulatus, annuente Custodiali Discretorio cum supremo Ordinis Fratrum Minorum Duce, habitaque Hierosolymitani Patriarchæ amplissima commendatione; Opus modo absolutum ac typis commissum, Beatissime Pater, ad pedes Sanctitatis tuæ provolutus, suo Subditorumque nomine, gaudet tibi in reverentiæ pariter et amoris argumentum offerre. Tot vero tantisque suffragiis fultus, enixis apud eamdem Sanctitatem tuam instat precibus, ut præfatum Missale Votivum supremo ipsius judicio subditum corrigere, correctumque devotioni atque usui Religiosorum Franciscani Ordinis aliorumque Sancta Loca invisentium dignanter velit approbare.

Quam gratiam etc.

Fr. Aurelius Briante de Buja O. F. M.
Terræ Sanctæ Custos.

**B.** Epistola, qua Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Frater Ludovicus Piavi Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha exhibitum sibi a Reverendissimo Patre Custode, officii et observantiæ causa, MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ suis perhumanissime laudibus prosequitur; nihilque ex parte sua dicit obstare, quominus ab Apostolica Sede, apud quam etiam preces commendationemque se adjecisse gaudet, Opus ipsum in Peregrinantium maxime solamen approbetur.

Reverendissime Pater,

Votivum Missale Terræ Sanctæ, quod nuper Nobis reverentiæ simul et officii caussa porrigendum curasti, attente lætantique animo pervolvimus; Tibi valde in Domino gratulantes conatum hujuscemodi præclarum, rei catholicæ in Locis Sanctis celebrandæ utique accommodatissimum. Cum porro nostram exposposceris sententiam, ut quid de hocce opere senserimus, antequam Sacræ Rituum Congregationis judicio subjiciatur, innotescat; Nos, quibus nil antiquius, quam sanctiora Palæstinæ Loca, intra Patriarchatus Nostri fines constituta, debito semper honore et cultu ab omnibus venerari, desideriis tuis libenter annuere volentes, post ejusdem Missalis rationes mature pensatas, Tibi præsentibus hisce literis mentem nostram aperire non abnuimus.

Maxime quidem Nobis gaudendum in sinu fuit, Reverendissime Pater, ea in Votivo Missali Terræ Sanctæ reperire devotionis incitamenta, quæ affatim pia fructuosaque vota cumulent tum fidelium, tum cujusque gentis Sacerdotum, qui vel ex dissitis orbis regionibus ad terram hanc Redemptionis affluentes, novas Votivarum concessiones jam olim exoptarunt, quæ ipsorum pietati fovendæ aptius responderent. In isthac enim Missalis editione, nihil quod non veram et catholicam fidem sapiat, nihilque quod Romanæ Liturgiæ vel minime dissonet, usquam offendimus; quinimmo, ad tuendum augendumque Sanctuariorum cultum, nec non ciendos in corde peregrinorum veræ devotionis sensus, perutile ac necessarium opus hoc arbitramur. Equidem, nedum loca fere universa complectitur, in quibus jam ex acatholicorum usurpatione vindicatis Franciscales Religiosi Terræ Sanctæ divina mysteria, sacrasque peragunt functiones omnium dierum continentes; sed illa etiam, quæ inspectis temporum rerumque iniquitatibus, interdum ad modum sacræ peregrinationis præfati Religiosi invisunt sacra facientes, eousque felicior eis illucescat dies. Præterquam quod, omnes inibi contentæ Missæ, cum nunc primum peraptis Sacrarum Literarum textibus passim condecorentur, legentium mentem ad respectivum sive mysterium sive locum, digne considerandum non parum excitant atque adjumento juvant.

Nec silentio prætereundum, quod Nobis Missale hoc evolventibus animo versatum occurrit: opus nempe hujusmodi præsentibus temporum circumstantiis perbelle favere, cum plures nota pietate viri agant sollicite, ut exeunte sæculo decimonono vigesimoque ineunte, sollemnia ab omnibus venerationis obsequia Christo Redemptori, ejusque in terris Vicario, ubique terrarum tribuerentur. Liber enimvero Summo Pontifici mox subjiciendus et nostram protestabitur integram Illius auctoritati obedientiam, et dignum quodam modo reddet per Missas Votivas fidei adorationisque cultum Servatori divino, qui sua in humanum genus benefacta cumulaturus, hanc Palæstinæ regionem præ cæteris voluit seligere consecrandam.

Hisce omnibus accurate perspectis, Nos, nedum ullam consiliis tuis moram non inferimus, quin potius omni, qua par est, ratione ac solicitudine zelum tuum laudabilem extollimus; stimulos addentes, ut pro viribus executionem cures hujus operis, quod in Dei gloriam, atque Fidelium solamen maxime peregrinorum, haud dubitamus fore cessurum. Nec minori quidem laude tuam in Nos, et Pastorale Nostrum munus, observantiam prosequimur; ob quam, ut permulta missa faciamus, dignus plane existis, qui in præsenti negotio, cujus plurimum satagis, per humile Nostrum apud Apostolicam Sedem ministerium commenderis. Quapropter, enixis tuis votis preces commendationemque Nostram, quoad ejus facere valemus, suggerimus; omni ab ipsamet Sancta Sede studio contendentes, ut quæ hactenus Sanctissima Redemptionis Loca gratiis indultisque honestavit multifariis, nunc Votivum Missale Terræ Sanctæ adprobando, benefacta in eadem Loca ad exitum augere ac cumulare non dedignetur.

Hæc dum Tibi a benignitate Romani Pontificis apprecamur, cujus munificentissimam in Terram Sanctam mentem pluries verbis atque factis compertam habuimus; omnia Tibi fausta a Domino ominamur.

Dabamus Jerusalem, e Patriarchali nostro Palatio, die 19 Augusti 1898.

† Fr. Ludovicus Patriarcha.

INDULTUM APOSTOLICUM

# DIE XXXI. AUGUSTI ANNO MDCCCLXV. LATUM

PRO MISSIS VOTIVIS

APUD SANCTUARIA TERRÆ SANCTÆ CELEBRANDIS.

**N. B.** — Quoniam hoc Sedis Apostolicæ Rescriptum, omnes anteriores Votivarum concessiones resumens, etiamnunc ceu stabilis ad dicendas more votivo Missas in Palæstinæ Locis regula manet; censuimus illud hic cum nonnullis circa priora Decreta adnotationibus ponere ante Rubricas Missali Votivo Terræ Sanctæ peculiares, quippe quæ ejus ordinationibus ac privilegiis maxime fulciuntur.

## ORDINIS

## MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA

TERRÆ SANCTÆ.

Rev. Pater Fr. Seraphinus Milani hodiernus Terræ Sanctæ Custos exposuit, diversa Indulta successu temporis quoad celebrandas Missas in Sanctuariis Terræ Sanctæ fuisse ab Apostolica Sede concessa. Ex tanta autem concessionum varietate accidit, ut Sacerdotes peregrini in ordinanda Missa non raro errent. Insuper propter Commemorationes in Missis votivis faciendis haud raro evenit, ut Missalia parvæ molis a Fratribus Minoribus typis edita, quibus Missæ præfatis Sanctuariis correspondentes continentur, adhiberi minime possint. Quapropter præfatus Orator, ut huic malo remedium afferat, de consensu Ministri Generalis Ordinis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ IX. supplicia vota porrexit, ut omnes has concessiones hucusque factas [1] ad duas classes reducere dignaretur [2], in quarum prima continerentur

### SANCTUARIA MAJORIS ORDINIS

Et in his Missa votiva propria Mysterio Sanctuarii, ubi celebratur, cum *Gloria* (quoties id exigat Missæ qualitas) cum *Credo* et sine ulla Commemoratione dici possit singulis anni diebus, exceptis [3] Epiphania Domini, tota Hebdomada Majori et Paschate, Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, et Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis: scilicet

I°. In quatuor Altaribus exsistentibus in Crypta Incarnationis Verbi in Civitate Nazareth; — Missa de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis: [4]

II°. In duobus Altaribus Cryptæ Bethlemiticæ, nempe in loco Nativitatis Christi et Sanctissimi Præsepii in quo fuit reclinatus; — Missa de Octava Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi: **Introitus** *Puer natus est nobis,* **Evangelium** *Pastores loquebantur,* **Præfatio**

[1] Aliquæ Votivæ tamen videntur novissimo hoc Indulto primum admissæ, quum super earum concessione neque anteriora Apostolicæ Sedis Documenta qualiacumque in Archivio Hierosolymitano supersint, neque ab Auctoribus citentur.

[2] Hujusmodi Votivarum aperta in duas Classes distinctio nunc provide inducta, implicite in præcedentibus Indultis servabatur quidem; ast non semper alterutri Classi norma stabilis præfixa, neque semper eadem ubique privilegia exinde attributa erant, sive quoad Hymnum Angelicum et Symbolum recitanda, sive quoad habendas omittendasque Commemorationes, sive demum quoad dies Votivarum celebrationi inde permissos.

[3] Dies pauci, quibus tantummodo prohibentur Missæ votivæ ad Sanctuaria majoris Ordinis celebrandæ, ante novissimum hoc Indultum Apostolicum sequenti generica limitatione comprehendebantur **exceptis tamen solemnioribus Duplicibus primæ Classis, ac tota Majori Hebdomada**; vel etiam, **in diebus tamen non impeditis a ritu Duplici primæ Classis.** — Cf. Decreta Apostolica, quæ pag. 17-18 in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI adducuntur.

[4] Hæc votiva de Annuntiatione Deiparæ Missa primum quidem indulta est 31 Maji 1670, generice in Loco Dominicæ Incarnationis cum *Gloria* et *Credo* celebranda; ac postea 13 Januarii 1799, etiam super Altare Sanctorum Joachimi et Annæ atque alterum Sacræ Familiæ, utrumque noviter erectum, recitari permissa.

de Nativitate sine ejus **Communicantes:** a Postcommunione debet tolli verbum *hodie,* et dici *quia natus Salvator mundi:* [1]

III°. In sacro Cœnaculo, aut in loco eidem proximo, pro tempore quo illud Sanctuarium erit in manibus Infidelium; — Missa votiva de Sanctissimo Sacramento, vel de Spiritu Sancto: [2]

IV°. In Crypta Agoniæ; — Missa votiva de Passione, vel Missa Orationis Domini Nostri Jesu Christi in Monte Olivarum, ut in Feria III. post Dominicam Septuagesimæ: [3]

V°. In Ecclesia Flagellationis, in Altari majori tantum; — Missa votiva de Passione, vel Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi: [4]

VI°. In Sacello Crucifixionis in Monte Calvario; — Missa votiva de Passione Domini: [5]

VII°. Supra Sepulchrum Domini Nostri Jesu Christi; — Missa ut in die Paschatis, cum Præfatione propria, sed absque **Communicantes** et **Hanc igitur** propria, sine Sequentia: et in Oratione omittatur *hodierna die:* [6]

VIII°. In vertice Montis Oliveti, eo loco quo humani generis Redemptor ad cœlum ascendit; — Missa de Ascensione: omittatur in Oratione *hodierna die* et **Communicantes** proprium: [7]

IX°. Super Sepulchrum Beatæ Mariæ Virginis in Valle Josaphat; — Missa de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis: [8]

X°. In parvo Sacello Beatæ Mariæ Virginis super Montem Calvarium, eo in loco ubi stabat juxta Crucem; — Missa votiva Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis: [9]

XI°. Ad Lacum Tiberiadis; — Missa uti in Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die 28 Junii; Oratio tamen ut in die Cathedræ Sancti Petri *Deus qui beato Petro,* cum Commemoratione Sancti Pauli *Deus qui multitudinem gentium:* [10]

---

[1] Votiva Dominicæ Nativitatis, quin tamen forsan indicaretur quænam e tribus Missis in Solemnitate positis foret assumenda, primum concessa fuit die 5 Martii 1644, ac dein 29 Maji 1655 cum *Gloria* et *Credo* uti in Festo celebrari permissa. Indicationis autem cujusvis omissio, in causa fuisse videtur, ut Pater Leonardus de Clou Lemovicensis anno 1670-73, in Opere alias citato pag. 91, docuerit posse unumquemque ex Latinis Sacerdotibus celebrare « Ad Præsepe « Domini, non quidem tres Missas, sed unam ex tribus, sive primam, sive secundam, sive tertiam, ad libitum. » Attamen anno 1754 jam Elenchus Cæremoniarum Terræ Sanctæ alias citatus, ad pag. 650, præsentem Nativitatis Missam indicat.

[2] Missa quidem votiva Sanctissimi Sacramenti concessa jam fuerat, cum privilegiis dumtaxat Sanctuariorum minoris Ordinis et tamen cum *Gloria* et *Credo,* sub die 21 Augusti 1862; Missa autem de Spiritu Sancto, ante novissimum hoc Indultum, nullo scitur Concessionis Apostolicæ privilegio fuisse potita.

[3] Nulla inveniuntur prius concessa privilegia quoad Missam votivam de Passione in Antro Dominicæ Agoniæ celebrandam; quoad vero alteram Orationis Missam, exstat Rescriptum sub die 23 Aprilis 1857 concessum, illam Votivam cum privilegiis Sanctuariorum minoris Ordinis inibi recitandam permittens.

[4] Utraque Missa de Passione Domini atque de ejus Pretiosissimo Sanguine, cum privilegiis dumtaxat Sanctuariorum minoris Ordinis, concessa respective fuerat pro **Templo** aut **Ecclesia** Flagellationis Domini, sine tamen ulla Altaris limitatione: prior quidem sub die 24 Junii 1839; posterior autem sub die 23 Aprilis 1857. Privilegium autem, quod e novissimo hoc Indulto ad Altare solummodo Majus coarctabatur, postea die 27 Novembris 1887 ad tria Sanctuarii præfati Altaria fuit etiam extensum.

[5] Hæc Votiva, cum privilegiis quidem Sanctuariorum majoris Ordinis sed sine ulla mentione Hymni Angelici et Symboli, concessa jam fuerat die 12 Novembris 1786.

[6] Missa votiva de Resurrectione Domini, cum privilegiis Sanctuariorum majoris Ordinis die 5 Martii 1644 concessa fuit; ac dein 29 Maji 1655 cum Hymno Angelico et Symbolo uti in Festo permissa recitari.

[7] Rescriptum, quo hujus Missæ votivæ recitatio cum privilegiis dumtaxat Sanctuariorum minoris Ordinis indulgebatur sed cum Hymno Angelico et Symbolo, die 21 Augusti 1862 antea prodierat.

[8] Missa de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis habens, simul cum Votivis de Nativitate ac Resurrectione Domini sub die 5 Martii 1644 primum fuerat concessa; atque una cum eisdem Hymnum Angelicum et Symbolum uti in die Festo sumere dein est permissa die 29 Maji 1655.

[9] In hoc parvo intra Calvarium Sacello, Missa votiva de Septem Doloribus Mariæ Virginis aut etiam de Passione Domini, et quidem cum privilegiis Sanctuariorum majoris Ordinis, recitari jam poterat ob Rescriptum sub die 12 Novembris anno 1786 concessum, quod tamen nullam de Hymno Angelico aut Symbolo mentionem faciebat.

[10] Antea per Decretum sub die 2 Julii 1749, ceu Votivam cum privilegiis Sanctuariorum minoris Ordinis e Festo sub die 29 Junii sumptam, Sacerdotes cum *Gloria* et *Credo* celebrare poterant « Missam Sancti Petri in Ecclesia sita « ad Lacum Tiberiadis, ubi Sanctos Petrum et Andream ad Apostolatum vocatos fuisse ex traditione pariter constat. » In novissimo autem Indulto, ut mos gereretur alteri traditioni ante sæculum XVI. haud invalescenti, quæ jura et honorem Primatus ibi Sancto Petro per Christum a mortuis resurgentem collata indicabat; novam de hujusmodi altero Mysterio et digniore, quam sit primum, Missa permittitur votiva. Quamvis bene edicatur *generice* Ad Lacum Tiberiadis celebranda, ne traditio quæ ipsius Primatus Collationi locum apud Capharnaum urbem proprium assignabat, aliquando deperiret; sicque nos, salvo meliori judicio, autumamus.

XII°. In loco Nativitatis Præcursoris Domini in Montana Judææ — Missa Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, excepta Oratione, quæ legenda erit ut sequitur: *Deus qui honorabilem nobis beati Joannis Nativitatem fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum; et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum.* [1]

In altera autem classe sequentia continerentur

### MINORIS ORDINIS SANCTUARIA

Et in his Missa votiva propria Mysterio Sanctuarii, ubi celebratur, sine *Gloria* et sine *Credo* et absque ulla Commemoratione singulis anni diebus dici possit, exceptis tamen [2] Dominicis tum primæ tum secundæ Classis, Duplicibus item primæ et secundæ Classis, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV. Cinerum ac tota Hebdomada Majori, Octavisque privilegiatis: nempe

I°. In Monte Thabor; — Missa Transfigurationis: [3]

II°. Loco in quo apud Civitatem dictam **Cairo vecchio** in Ægypto Sacra Familia commorata est; — Missa Fugæ Infantis Jesu in Ægyptum: [4]

III°. In Cappella Inventionis Sanctissimæ Crucis apud Basilicam Jerosolymitanam Sancti Sepulchri; — Missa votiva de Cruce: [5]

IV°. Loco prope Sanctum Joannem in Montana quo Beatissima Virgo Sanctam Elisabeth visitavit; — Missa Visitationis Beatæ Mariæ Virginis: [6]

V°. In Sacello exteriori Beatæ Mariæ Virginis, erecto ad montem Calvarium; — Missa votiva Septem Dolorum Virginis: [7]

VI°. In loco seu Antro Deserti ubi Præcursor Domini vitam degit usque ad id temporis, quo penes fluvium Jordanum prædicare cœpit baptismum pœnitentiæ; — Missa ut in Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, cum Evangelio uti in Dominica IV. Adventus: [8]

VII°. In altera Domo Nazarena, quæ vulgo **Officina** Sancti Patriarchæ Joseph nuncupatur; — Missa de Sancto Josepho, vel de ejus Patrocinio: [9]

VIII°. In Altari in honorem ejusdem Sancti Patriarchæ Joseph erecto in Crypta Bethlemitica Nativitatis Domini; — Missa de Sancto Josepho, vel de ejus Patrocinio: [10]

---

[1] Missa de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, celebranda ad locum ubi ipse Domini Præcursor ortus perhibetur, concessa fuit cum privilegiis Sanctuariorum majoris Ordinis propriis sed sine *Gloria* et *Credo*, die 5 Decembris 1716.

[2] Duplicia primæ et secundæ Classis in omnibus Indultis anterioribus tamquam dies vetiti ad celebrandas Votivas in Sanctuariis minoris Ordinis semper computantur. Attamen non semper et uniformiter excluduntur Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ et Octavæ privilegiatæ; forsan quia subintelligenda erat regula, quæ «universim statuit, quando Missa aliqua prohibetur in Duplicibus primæ et secundæ Classis, eam quoque prohibitam censeri diebus, quibus eadem Duplicia non admittuntur.» — Cf. Compendiosa Bibliotheca Liturgica P. Aloysii de Carpo, *part. I. num. 33*, ubi auctoritas Gardellinii et Decretorum ad hujus regulæ confirmationem adducitur.

[3] Missa votiva Dominicæ Transfigurationis, cum privilegiis quidem Sanctuariorum minoris Ordinis attamen cum *Gloria* et *Credo* celebranda, jam fuerat die 2 Julii 1749 concessa.

[4] Missa Fugæ Infantis Jesu in Ægyptum, cum privilegiis Sanctuariorum minoris Ordinis quamvis cum *Gloria* et *Credo*, recitari permissa fuit tamquam Votiva die 21 Augusti 1862.

[5] Missa votiva de Cruce, recitanda cum privilegiis cuique Sanctuario majoris Ordinis attributis, die 12 Novembris 1786 est concessa; quamvis in Indulto nulla Hymni Angelici aut Symboli mentio fieret.

[6] Missa votiva de Visitatione Beatæ Mariæ Virginis, jam per bina Rescripta sub die 27 Januarii 1818 atque 21 Augusti 1862 cum privilegiis Sanctuariorum minoris Ordinis permittebatur: primo quidem indulta dumtaxat ceu Votiva solemniter cantanda ratione concursus, solum cum *Gloria;* dein vero etiam ceu Votiva privata ac semper cum *Gloria* et *Credo*.

[7] Hæc Missa votiva in Calvariæ Sacello exteriori, permissa est die 13 Augusti 1763 cum privilegiis Sanctuariorum minoris Ordinis celebrari, sine ulla indicatione Hymni Angelici aut Symboli: in eoque Votivæ secundæ Classis gradu per Indultum superius editum erat relicta; donec 10 Junii 1869 inter Sanctuaria majoris Ordinis Sacellum illud numeratum fuit, et consequenter Missa inter Votivas primæ Classis recensita.

[8] Missa in honorem Sancti Joannis Baptistæ apud Antrum ejusdem Deserti celebranda, triplicem quidem mutationem passa est: I°. Die 27 Januarii 1818, permissa fuit ceu Votiva ratione concursus solemniter celebrari Missa de Vigilia Nativitatis ipsius Præcursoris, cum unica Oratione at omissis Hymno Angelico et Symbolo; II°. Die 21 Augusti 1862, cum *Gloria* et *Credo* concessa est recitari Missa in Festo Nativitatis illius apud Missale Romanum collocata; III°. Demumque die 31 Augusti 1865, ordinata exstitit Missa quæ in textu Indulti superius editi explicatur.

[9] Ante Rescriptum istud Apostolicum, jam die 21 Augusti 1862 permissa erat solummodo Missa de Sancto Joseph cum *Gloria* et *Credo* ceu Votiva celebrari.

[10] Nullum Rescriptum antea latum, binasque Missas de Sancto Joseph vel de ejus Patrocinio permittens Votivas, aut exstat in Archivio repositum, aut ab Auctoribus commemoratum cernitur.

IX°. In loco ubi Dominus Noster Jesus Christus post Resurrectionem suam Sanctæ Mariæ Magdalenæ Pœnitenti apparuit; — Missa de Sancta Maria Magdalena Pœnitente, cum Evangelio ut in Feria V. infra Octavam Paschæ: [1]

X°. In Altari Sanctorum Innocentium, erecto in Crypta Bethlemitica; — Missa votiva Sanctorum Innocentium: in Oratione tollantur verba *hodierna die:* [2]

XI°. Apud flumen Jordanum in loco ubi constans fert traditio Christum Dominum a beato Præcursore baptizatum fuisse; — Missa ut in die Octava Epiphaniæ. [3]

Sanctitas vero Sua ad relationem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, attentis expositis, et anterioribus quibuslibet Decretis nullius roboris in posterum declaratis, de speciali gratia in omnibus juxta preces annuere dignata est; indulsitque etiam in Duplicia secundæ Classis, quæ impediunt celebrationem Missæ propriæ in Sanctuariis minoris Ordinis, sint illa quæ inveniuntur in Proprio Kalendario Sacerdotum celebrantium, et non illo Fratrum Minorum Terræ Sanctæ [4]. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 31 Augusti 1865.

C. Epus Portuen. et S. Rufinæ
Card. Patrizi, S. R. C. Præf.

(L. ✠ S.)

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

---

[1] Rescripto sub die 21 Augusti 1862 concesso permittebatur ceu Votiva secundæ Classis cum *Gloria* et *Credo*, at simpliciter sine ulla Evangelii mutatione, Sanctæ Mariæ Magdalenæ Pœnitentis Missa; cui novissime Evangelium e Feria V. infra Octavam Paschæ desumptum jure assignatum manet.

[2] Missa hæc votiva ante hodiernum Rescriptum non videtur fuisse concessa; quoniam authenticum ejus Indultum neque exsistit in Archiviis, neque ab ullo Auctore memoratum cernitur.

[3] Item ultima hæc Missa Dominici Baptismatis votiva nullo concessionis documento ante præsens Rescriptum indulta vel confirmata noscitur.

[4] Hoc novissimum Sedis Apostolicæ Indultum, plerumque concessiones antea factas resumens, dubia quædam exsolvit, ampliora dedit privilegia, necnon aliquando Missas Mysterio ac Loco magis convenientes assignavit. Nihilominus, etiam per hoc Rescriptum res ad perfectionem deduci non poterat, ob plures in eo defectus occurrentes, aliasque causas quæ alibi clarius adnotantur.

# RUBRICÆ PECULIARES

## QUÆ MISSAS VOTIVAS PERSONIS AC MYSTERIIS PROPRIAS

### IN VENERABILIBUS TERRÆ SANCTÆ LOCIS

### EX INDULTO APOSTOLICÆ SEDIS CELEBRANDAS

### MODERANTUR.

### PROŒMIUM IN RUBRICAS MISSALIS VOTIVI.

**1.** Missa in Sanctuariis Terræ Sanctæ quotidie dicitur, aut secundum annui Kalendarii normas, de Officio occurrente; aut extra ordinem Officii, celebratur Votiva solemnis vel privata, sive etiam Missa Defunctorum, prouti jam in generalibus Rubricis Missalis Romani sub Titulo IV. et V. suis numeris ordinatur. [1]

**2.** Insuper in eisdem Palæstinæ Locis ex Indulto Apostolico ceu Votiva ordinarie celebrari tum solemniter tum privatim conceditur Missa propria Mysteriorum, quæ ibi contigisse feruntur [2]; de qua proinde, ut omnia secundum ordinem fiant, in sequentibus Rubricarum specialium Titulis agetur. [3]

ADNOTATIONES IN RUBRICARUM PROŒMIUM.

[1] Hæc omnis doctrina, diversis parum vocibus, proponitur quoque initio Rubricarum generalium Missali Romani ante I. earumdem Titulum.

[2] E pluribus Sedis Apostolicæ Rescriptis alias relatis, et maxime ex Indulto sub die 31 Augusti 1865, quod superius integre cum suis notis edebatur.

[3] Imitati quodammodo fuimus exempla cl. Bartholomæi Gavanti, qui et ipse peculiares a se composito Octavario Romano Rubricas præponendas censuit.

### TITULUS PRIMUS.

### DE NATURA PROPRIA ET LEGUM QUALITATE

### IN MISSIS VOTIVIS.

**3.** Missa itaque Votiva, prouti hoc loco accipitur, illa est quæ locum habet extra ordinem occurrentis Officii, et quin per se a Rubricis præscribatur: pendet quippe a voluntate Celebrantis, vel etiam ex voto Ecclesiæ, sive desiderio Fidelium recitationem Missæ votivæ ad Sancta Palæstinæ Loca expetentium. [1]

**4.** Apud Sanctuaria singula Terræ Sanctæ, præter Votivas diebus liberis per Missale Romanum recitari permissas, ferme quotidie celebrari possunt ex Indulto Apostolico Missæ de Tempore et Mysteriis inibi peractis; verum corrigenda sunt in earum corpore omnia, ubi violaretur plerumque ritus et veritas verborum, ob quæ incommoda alibi tales Missæ, extra diem suam aut Festum et Octavam [2], ceu Votivæ generatim hodie dici prohibentur. [3]

**5.** Missæ omnes, quæ ad formam Indulti Apostolici apud Terræ Sanctæ Loca votivo more celebrantur, ad Mysteria Domini ac Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum pertinent: de quibus vel juxta Kalendarium ubivis aut alicubi dies Festus, dummodo cum Missa

propria, quotannis instituitur; vel novissime ad colendum Sanctos et Mysteria, de quibus aut nulla Festivitas aut communem habens Missam suppetebat, fuerunt compositæ. [4]

**6.** Missæ hujusmodi, quum omnes ad ritum et veritatem verborum fuerint redactæ, celebrari in universa Terra Sancta poterunt, etiam extra locum in quo respectiva Mysteria contigerunt [5]; sed tamen nullum in casu privilegium Sanctuariis tributum participant, nec proinde diebus secundum Missalis Romani Rubricas impeditis locum habent, neque Hymnum Angelicum et Symbolum per se recipere, aut occurrentes diei Commemorationes et Collectas ab Ordinario jussas valent respuere. [6]

**7.** Quoties Missa alicujus Mysterii vel Personæ dicenda fuerit in diebus æque liberis secundum Missalis Romani Rubricas et secundum Concessionis Decretum pro Sanctuariis Palæstinæ latum: Sacerdotibus permittitur quidem illic Votivam aut secundum Missalis Romani Rubricas, aut juxta quoque Indultum celebrare; ast eis merito suadetur, ad evitandas confusiones, ut Missa ad Apostolici Rescripti privilegia semper ordinent, si rationabilis saltem causa aliud non exegerit. [7]

**8.** Missæ Votivæ in propriis Terræ Sanctæ Locis e Rescripto Apostolico recitandæ, præterquam quod universalibus Missarum legibus diriguntur; normas habent sibi peculiares, quæ ipsas vel ceu Votivas ubique communes dirigunt, vel ceu proprie Palæstinæ Sanctuariis indultas moderantur.

**9.** Omissis ergo legibus cuicumque Missæ etiam Festivæ applicandis, peculiares in sequentibus Titulis Rubricæ exponentur, quæ nunc specialiter Votivas Terræ Sanctæ gubernant: earumque textus e Missali Romano, e Decretis ac Resolutionibus Apostolicæ Sedis, atque ab Auctoribus Liturgicis desumetur; ita tamen, ut omnia cum privilegiis singillatim in gratiam Locorum Palæstinæ jam concessis aut nunc primo concedendis apte conveniant. [8]

## ADNOTATIONES IN I. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hac ferme ratione ab universis Auctoribus Liturgicis describitur Missa Votiva, quæ ex natura sua etiam in Terræ Sanctæ Locis semper Celebrantibus libere per se dicenda manet; quoniam iisdem ipsis diebus, quibus respectivi Mysterii aut Personæ colitur memoria, posset Missa juxta ordinem annui Kalendarii rite celebrari.

[2] Quoniam vero incommoda, quæ nota sequenti indicabuntur, nullatenus occurrunt in die Mysteriorum propria et per eorumdem Octavas: hinc per illum Temporis ambitum, diebus quidem per Rubricas Missalis Romani liberis, non solum tales Missæ ceu Votivæ recitari permittuntur; sed insuper, si petatur Votiva in honorem alterius de eisdem Personis Mysterii jam indulta, Missa semper Octavæ est celebranda. Hoc pluribus S. R. C. Decretis adductis, quoad Octavas nominatim Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum, probat in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 24,* Pater Aloysius de Carpo. Immo, etsi Missæ Dominicales et Feriales generatim more votivo dici prohibeantur, cum tamen in die propria incommodis nullis laborent, hinc Missæ de Feriis Majoribus, concedente Rubrica reformata Missalis Romani sub Titulo III. num. 1, in Festo Semiduplici atque magis inferioris ritus ab omnibus celebrari possunt.

[3] Eam quidem semper esse causam cur tales Missæ ceu Votivæ prohibeantur, deducitur e sequenti Sacræ Rituum Congregationis Decreto, quod sine indicatione anni et mensis ac diei, refertur a Merato *part. I. Tit. IV. num. XVII.;* quodque ita sonat: « Sanctissimus Dominus Noster Paulus Papa V. (anno 1605–21) vivæ vocis oraculo declaravit et sancivit, amplius recipi aut dici non debere quasdam Missas Votivas seu Collectas, quæ propriæ sunt Solemnitatum, aut in « Missali Romano designantur: ejusmodi sunt Missæ Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis « Domini Nostri Jesu Christi; Nativitatis, Purificationis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; Sancti Joannis Baptistæ, et « aliæ hujusmodi, quæ proprios habent Introitus vel Collectas, [quæ] extra proprios dies vel Octavas absurdum esset dicere... Missæ autem Votivæ aliorum Festorum aut Solemnitatum, in quibus veritas et ritus verborum non violatur, nihil prohibet quin dici possint; sed quantum fieri potest, curare debent Sacerdotes, ut omnes Missæ Votivæ ad eas quæ « in Missali assignatæ sunt, reducantur; ne Ecclesiæ Ritus ad cujuslibet arbitrium, propriæ devotionis prætextu temere « mutentur. » Quare, cum Missæ Dominicarum et Feriarum hæc jugiter habeant incommoda, præsertim ob partes secundum diversa Tempora variandæ, quæ in Missali Romano semper deficiunt; e Decreto S. R. Congregationis *sub die 4 Martii 1866 in una Dubiorum ad 2,* tales Missæ ceu Votivæ recitari prohibentur. Hinc etiam vera dignoscitur causa, cur Missæ de quibusdam Mysteriis Domini ac Deiparæ et Sanctorum uti Votivæ recitari concedantur a Sede Apostolica, de aliis vero denegentur; ne scilicet ritus Ecclesiæ, ob partes in Votivis secundum Tempus respective corrigendas addendasque vel subtrahendas, ab imperitis præsertim Sacerdotibus cum nimia recti ordinis atque uniformitatis perturbatione violentur.

[4] Hoc siquidem propositum semper nobis fuit, prouti alibi dicebamus: Missas, quæ apud Missale Romanum penitus desunt, supplere; quæ communibus illic testimoniis conficiuntur, in alias textibus propriis effectas commutare; quæ demum inibi propriæ sunt, reductas prius ad ritum et veritatem verborum, intactas omnino retinere.

[5] Sublatis enim (saltem in novissima Missalis hujus Votivi editione) efficaciter incommodis, quæ prohibitioni occasionem dederunt, ipsa prohibitio cessasse idcirco reputanda est. Cæterum hæc facultas, quæ e verbis Decreti sub Pontifice Paulo V. lati conceditur atque e permissione deducitur Votivarum de Octavis et Tempore suis diebus habendarum, ad

eorum solamen maxime conducit, qui extra quædam Loca Indultum habentia aliquando aut semper in anno celebrare coguntur; quoniam diebus per Rubricas Missalis Romani non impeditis sic poterunt in quocumque Terræ Sanctæ Loco, præsertim Sanctuariis respectivis viciniore, celebrare Votivas quas maluerint.

[6] Reductio enim ad veritatem et ritum verborum, quamvis causam prohibitionis ad recitandas more votivo illas Missas ademerit; nullatenus tamen confert singularissima privilegia, quæ solum intuitu Sanctuariorum concessa dignoscuntur.

[7] Exemplum habetur in Missa votiva de Sanctissimo Sacramento, aut de Spiritu Sancto, aut de aliis Mysteriis, quæ etiam vi Indulti Apostolici recitari concessa maneat. Sine ergo rationabili causa, uti inter varias esset additio Collectæ propriæ ad Missam pro Gratiarum actione per Loci Ordinarium imperatam, quæque ob unicam Orationem in Votivis ex Indulto recitandis permissam, secus excludatur; in aliis ordinarie casibus melius est, ut Missa juxta Indulti privilegia, in Sanctuariorum etiam exinde potiorem cultum obtinendum, jugiter ordinetur.

[8] Si tamen aliqua in hisce nostris specialibus Votivarum Rubricis non placeant, advertatur semper totam earumdem seriem nihil aliud esse, quam Schema legitimæ Auctoritatis judicio omnino examinandum corrigendumque, quod nos humiliter eidem hac mente subjecimus. Quare in notis post unumquemque Titulum apponendis, dum summarie innuimus rationes omnibus Votivis communes, fusius enucleamus privilegia Locis Sanctis jam indulta, et maxime quæ nunc primo impetrari congruum videantur; ne scilicet Rubricarum textus, ob defectus necessariæ declarationis, difficultates haud paucas forsan inveniat.

---

## TITULUS SECUNDUS.

## DE DUPLICI CLASSE VEL ORDINE DISCERNENDO IN MISSIS VOTIVIS.

**10.** Missæ votivæ apud Palæstinæ Loca celebrandæ in duas distinguuntur Classes, prouti nempe ad Sanctuaria majoris aut minoris Ordinis attinent; ac pro varietate Classis, diversis inter se ornantur privilegiis, uti inferius suo Rubricarum Titulo explicabitur. [1]

**11.** In omnibus Sanctuariis, quorum visitationi Indulgentia Plenaria manet adnexa, ob eorum hinc summam perspectam dignitatem, Missæ votivæ ad primam semper Classem referuntur [2]; in aliis vero Locis, quæ Indulgentiis tantum Partialibus aucta sunt, Missæ votivæ ad secundam ordinarie Classem censentur pertinere. [3]

**12.** Nihilominus etiam in Sanctuariis Indulgentiam solummodo Partialem habentibus, Missæ votivæ ad primam Classem jugiter adscriptæ manent, si Mysterii dignitas, Fidelium devotio, aliæ rationabiles causæ, anteriora vel maxime Rescripta hanc exigere videantur. [4]

**13.** In Sanctuariis ubi plures interdum Missæ statuuntur ratione alicujus Mysterii principalis celebrandæ, quoties non omnes ad secundam Classem redigi congruum videatur: ad primam Classem solummodo accensentur Votivæ de quavis Persona vel Facti parte, quæ locum vere principalem in Mysterio tenuerunt; Missæ autem de aliis Personis vel Facti partibus, extra diem suam in Quarto præsentium Rubricarum Titulo declarandam, inter Votivas secundæ Classis retinentur. [5]

**14.** Attamen in die quibuslibet Mysteriis ac Personis propria, vel in illorum Festo ac per eorumdem Octavam, si quidem hæc habeantur, omnia Terræ Sanctæ Loca ceu majoris Ordinis Sanctuaria consideranda erunt; hinc Missæ inibi tum privatæ tum solemnes inter Votivas primæ Classis, eo quidem solum temporis spatio, numeratæ computantur.

**15.** Votiva autem, quæ aliquoties de cunctis partem in Mysterio principalem habentibus permissa est sub nomine communi celebrari, inter Missas numeratur semper primæ Classis, si una saltem ex eisdem Personis jam Votivam cum privilegiis Sanctuario majoris Ordinis indultis inibi possideat: alioquin vero Missa hujusmodi omnibus Communis, extra dies solius Mysterii proprios, inter Votivas secundæ Classis merito semper relinquitur; etiamsi aliquando fuerint dies, quibus alicujus Personæ annuum plane Festum vel diem Mysterio designatam alias non habentis, solemnis per Votivam ejus specialem memoria peragatur. [6]

**16.** Quamvis hujusmodi Votivæ omnino singularia habeant privilegia dein exponenda, quod tamen attinet ad cantus festivi et solemnis aut ferialis qualitatem respective ordinatam, necnon ad recitationem omissionemque Hymni Angelici aut Symboli: Missæ quæ ad primam Classem pertinent, Votivas solemnes *pro re gravi* aut *pro publica Ecclesiæ* concinendas imitantur; quæ vero ad secundam Classem spectant, Votivis pro causa privata celebrandis quodammodo accensentur. [7]

**17.** Quo demum facilius usque dignoscatur cuinam Votivarum Classi, juxta regulas hucusque indicatas, Missa quælibet de Mysteriis ac Personis tum singularis tum Communis debeat accenseri; in apposita Tabella inferius post has Rubricas peculiares edita, quænam Sanctuaria fuerint majoris et quænam vero minoris Ordinis, jugiter indicatur.

## ADNOTATIONES IN II. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Distinctio Missarum in duas Classes, jam sæpe in anterioribus Concessionum Decretis implicite et diversimode servata, expresse et uniformiter invecta est per Indultum sub die 31 Augusti 1865 concessum; ac dein quoque servata constanter in Apostolicæ Sedis Rescriptis, quæ 10 Junii 1869, 26 Augusti 1880, 6 Decembris 1887, 9 Julii 1897, atque saltem quoad dies celebrationi Votivarum præfixos etiam 25 Maji 1868 prodiisse novimus. Cf. RATIO MISSALIS VOTIVI *parte II.*, ubi repectiva Decreta in compendium acta referuntur.

[2] Pater Theophilus Domenichelli, in suo Opere «L'EMMAUS DELLA PALESTINA pag. 239, Livorno 1889», ait ad rem nostram: «Resta dunque a provare che l'Emmaus del Vangelo, invece che fra' secondari, è de' Santuari principali... Già «un buon argomento l'abbiamo dal fatto che esso, come vedemmo nel precedente capitolo, fu decorato d'indulgenza «plenaria; l'indulgenza, cioè, massima; a differenza di tanti altri Santuari che l'hanno parziale: il che mostra essere «stato tenuto tra' primari e più venerandi.»

[3] Hæc distinctionis ratio e præsentium discrimine Indulgentiarum, etiam in Indulto 31 Augusti 1865 habita fuisse videtur: quoniam inde Missa votiva primæ Classis generatim confertur Sanctuariis, quæ adnexam habent Indulgentiam Plenariam; Votiva autem secundæ Classis iis plerumque assignatur Locis, ubi Partialis tantum Indulgentia lucranda invenitur. Itemque e Rescripto 26 Augusti 1880, Missæ de Immaculata Conceptione ac Nativitate beatæ Mariæ Virginis indulgentur recitandæ in respectivo Sanctuario ad Hierosolymitanum Sanctæ Annæ Templum, ubi et Indulgentia Plenaria noscitur affixa. Verum quidem semper est, Missam propriam de Baptismate et Transfiguratione Domini atque de Sancta Cruce e Decreto 31 Augusti 1865 fuisse inter Votivas secundæ Classis collocatam, licet Loca respectiva Indulgentiis Plenariis aucta fuissent: attamen idcirco assignatio illa incongrua merito putatur, uti alias vidimus; quum præsertim Missa de Inventione Sanctæ Crucis, e Rescripto 12 Novembris 1786 solum in Duplicibus primæ Classis prohibita, privilegio Sanctuariorum majoris Ordinis prius ornaretur.

[4] Istis de causis: I°. Per Indultum sub die 31 Augusti 1865, inter Votivas primæ Classis conceditur Missa Sancti Petri ad Lacum Tiberiadis recitanda, quamvis locus ille, uti docet Quaresmius «ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. I. pag. 363», Indulgentias tantum habeat Partiales; II°. Die 10 Junii 1869, evehitur inter Sanctuaria majoris Ordinis Sacellum Deiparæ exterius in Calvariæ Loco erectum, quod per «Cives et Peregrinos magno devotionis et commiserationis affectu» frequentari soleret; III°. Die 6 Decembris 1887, indulgetur Votiva primæ Classis de Sancto Stephano Protomartyre, in cujus Ecclesia e Rescripto 20 Novembris 1887 Indulgentia Partialis centum dierum quotidie, et Plenaria semel tantum in anno conceditur.

[5] Hæc omnia observata fuisse videntur etiam in Indulto Apostolico, quod sub die 31 Augusti 1865 est concessum: quoniam dicenda apud Cryptam Bethlemiticam Missa *Puer natus est nobis*, inter Votivas primæ Classis sub num. II°. recensetur; Votivæ autem de Sancto Josepho vel de ejus Patrocinio, ibidem ratione præcipui de Nativitate Dominica Mysterii celebrandæ, inter Missas secundæ Classis sub numero VIII°. collocantur. Insuper, inter quatuor Missas more votivo recitandas in Templo Hierosolymitano Sanctæ Annæ: Votivæ de Immaculata Virginis Conceptione atque de ejus Nativitate privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis e Rescripto 26 Augusti 1880 habuerunt; Missæ vero de Sancto Joachimo et de Sancta Anna, per Indultum 9 Julii 1897, tantummodo Locorum minoris Ordinis privilegia fuerunt assecutæ.

[6] Ita, ut exempla quædam afferantur, die 22 Octobris in Martyrologio Romano commemoratur Sancta Maria Salome, quæ nullum Festum in Kalendario Seraphico Terræ Sanctæ habet; die autem 26 Julii agitur Festum Sanctæ Annæ, quæ Mysterium non possidet, cui dies propria assignata maneat. In utroque ergo respective casu apud oppidum Japhiæ Missa tantum singularis Sanctæ Mariæ Salome, et Diocæsarcæ solum Votiva Sanctæ Annæ privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis ea die participabit; non autem Missa etiam Communis, quæ nullam cum utroque Festo ac die relationem habet.

[7] Qualitas cantus festivi aut ferialis, secundum diversos casus statuenda in Missis votivis, videtur omnino ex recitatione aut omissione Hymni Angelici et maxime Symboli dependere. Sacra enim Rituum Congregatio, *die 29 Februarii 1868 in una Ratisbonen. ad 3*, propositæ quæstioni circa cantum in Præfatione Dominicæ Nativitatis ad Votivas de Sanctissimo Nomine Jesu atque de Eucharistiæ Sacramento eligendum, respondit: «Dummodo ea Missa votiva non sit solemnis et pro «re gravi, idest dummodo ea cantetur sine *Gloria* et sine *Credo*, Præfatio de Nativitate cantanda est tono feriali.» Hanc autem doctrinam generaliter eadem S. R. Congregatio, *19 Maji 1607 in Placentina ad 14*, de aliis etiam cantatis Missæ partibus intelligendam esse indicavit, his quidem verbis: «Præfatio et **omnia** solemniter sunt peragenda, si Missa solemni«ter celebretur cum *Gloria* et *Credo*.» Itaque Votivæ apud omnia Palæstinæ Sanctuaria majoris Ordinis, quum Hymnum Angelicum et Symbolum ex Indulto 31 Augusti 1865 semper habeant, celebrandæ sunt ritu, quo et Missæ solemnes *pro re gravi* aut *publica Ecclesiæ causa;* quemadmodum jam S. R. Congregatio declaravit, *20 Maji 1890 in una Montis Politiani ad 1*, quoad Votivam de Sacratissimo Corde Jesu prima cujusque mensis Feria VI. recitari concessam. Hinc etiam in eisdem Votivis apud majoris Ordinis Sanctuaria, ubique festivus cantus erit adhibendus, quem nominatim in Præfatione talium Votivarum exigit generalis Rubrica Missalis Romani sub Titulo XII. num. 4. Atque ex adverso, quum illa omnia nullatenus in votivis Palæstinæ Missis ad secundam Classem relatis occurrant, idcirco in eis cantus solum ferialis poterit admitti.

## TITULUS TERTIUS.

## DE DIEBUS QUI LIBERI CENSENTUR

### PRO MISSIS VOTIVIS.

**18.** Apud Sanctuaria majoris Ordinis Missæ votivæ Mysterio Loci respondentes, celebrari possunt solemniter vel privatim singulis anni diebus; verum exceptis semper solemnioribus Duplicibus primæ Classis, nempe Nativitate Domini, ejus Epiphania, Paschate, Pentecoste, Solemnitate Corporis Christi, Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, necnon tota Majori Hebdomada. [1]

**19.** Missæ autem votivæ Mysterio Loci convenientes, apud Sanctuaria minoris Ordinis item singulis anni diebus solemniter et privatim celebrari possunt; exceptis tamen Duplicibus primæ et secundæ Classis, Dominicis omnibus pariter primæ et secundæ Classis, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV. Cinerum, tota Majori Hebdomada, Octavisque privilegiatis Epiphaniæ et Paschatis ac Pentecostes atque demum Sanctissimi Corporis Christi. [2]

**20.** Duplicia tamen primæ vel secundæ Classis [3] aliique dies universi, quibus Votiva propria in Sanctuariis minoris Ordinis facienda prohibetur, intelligi semper debent juxta Kalendarium Romano-Seraphicum Conventus vel Hospitii, in quorum respective Ecclesiis aut Oratoriis habeatur Missa, vel ad quæ Cappellæ aut Sanctuaria quæcumque pertineant, vel a quibus discedit Religiosus Franciscanus Sacerdotes quoscumque Missam celebraturos ducens ad ea Sanctuaria, ubi ritus latinus ratione Possessorum Loci quomodolibet non juridice servetur [4]; aut etiam, juxta Kalendarium Communitatum vel Ordinum Religiosorum, qui Romanam Liturgiam in Sanctuariis per eosdem possessis, ubi Votiva erit celebranda, ex Instituto suo profitentur: numquam autem attenditur Officium Sacerdotis extra Ecclesiam suam Celebrantis, nisi cum Missæ Sacrificium extra illos casus, in Templis ad Catholicos ritus Orientalis pertinentibus vel in Sanctuariis per Infideles aut Schismaticos hodie detentis, aliquando suo vel proximiori loco offeratur.

**21.** Ad celebrandas porro quaslibet Votivas, tum primæ tum secundæ Classis, in Sanctuariorum Templis unam solummodo Missam habentibus, præter impedimenta e publicis vel privatis cujusque Sacerdotis quomodolibet susceptis specialium Missarum oneribus orientia, censentur etiam prohibiti: I°. Alicubi, dies omnes, in quibus illic adsit Officiatura Choralis; atque dies Festivi sub duplici præcepto observandi, suppressis Festis hinc ex privilegio non inclusis, quando Parochi aut Sacerdotes ab eo deputandi in Ecclesia Parochiali debeant pro populo Missam coram ipso celebratam applicare [5]: II°. Ubique vero, dies 2 Februarii, si habeatur Candelarum distributio ac dein Processio; Feria IV. post Dominicam Quinquagesimæ, si fiat impositio Cinerum; Festum Sancti Marci Evangelistæ, et triduum ante Ascensionem Domini, si instituatur Processio Litaniarum majorum aut minorum; Vigilia Pentecostes, si benedictio Fontis Baptismalis exsistentis peragatur; ac demum Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, si Officium de ipsis publice recitetur. [6]

**22.** Nihilominus in die propria, prouti in Quarto præsentium Rubricarum Titulo explicabitur, omnia Sanctuaria ceu Loca majoris Ordinis reputantur: hinc Votivæ tum privatæ tum solemnes ac Personis singulares pariter et Communes inibi celebrari, etiam hoc in casu ceu Parochiales, licent iis diebus eodemque ritu, quibus apud Sanctuaria majoris Ordinis Votivæ primæ Classis permittuntur recitari; exceptis solummodo Festo Purificationis aliisque diebus ad præcedentem numerum secundo loco indicatis, apud Ecclesias omnes ubi una tantum Missa et cum illis Functionibus aut Officiis habeatur.

**23.** Missæ universæ, quæ apud Sanctuaria cujusvis Ordinis quotidie celebrantur ex Indulto Apostolico, semper locum habere hinc possunt etiam quum de eisdem Personis Officium aut Commemoratio, ratione Vigiliæ et Festi atque Octavæ, sub aliis tamen Titulis aliisque Mysteriis saltem nomine diversis, agantur aut agenda forent; nisi Votivam aliquando ritus occurrentis Solemnitatis impediat [7]: quoniam hæ Votivæ non generice Personam ejusque Gesta considerant, sed specifice illud Personæ

Factum seu Mysterium, quod in aliquo e Terræ Sanctæ Locis evenisse fertur. [8]

**24.** In casu tamen superius ad numerum præcedentem exposito, apud Sanctuaria minoris Ordinis non erunt idcirco Missis votivis, ratione Festi vel Octavæ, addenda per se Hymnus Angelicus aut Symbolum; quomodo scilicet non adjunguntur hæc ad Missam votivam Beatæ Mariæ Virginis circa finem Missalis Romani positam, quæ a Sacerdotibus cæcutientibus potest ex Apostolico Rescripto etiam in Festis et infra Octavas ipsius Deiparæ celebrari. [9]

## ADNOTATIONES IN III. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Omnes et uni dies superius indicati, inter exceptos ad celebrandam in Sanctuariis majoris Ordinis Missam votivam, ex Indulto Apostolico sub die 31 Augusti 1865, hic numerantur; præter quam Dominica Pentecostes et Solemnitas Sanctissimi Corporis Christi, quorum Festa inter negatos Votivis dies nunc primo referenda putavimus. Enimvero, non solum utraque Solemnitas majorem vel saltem æqualem habet dignitatem, ac cætera Festa, quæ in Indulto illo ad dicendas Votivas jure excluduntur; sed insuper, Dominica Pentecostes nominatim excipitur in Rescriptis, quæ **expresse ad tramitem** Indulti supra editi, novimus sub die 26 Augusti 1880 et 6 Decembris 1887 concessa; atque Mysterium Sanctissimi Corporis Christi, ex Indulto 23 Aprilis 1884, habet in universo Minorum cœtu Octavam privilegiatam ad instar Epiphaniæ.

[2] Dies supra interdicti ad dicendam Votivam in Sanctuariis minoris Ordinis, qui in anterioribus plerumque Indultis et maxime in Rescripto sub die 31 Augusti 1865 nominantur, hac breviori formula astringi omnes possent: « Duplicia primæ et secundæ Classis, atque magis dies universi qui talia Duplicia non admittunt ». Quoniam vero prohibitio idcirco sæpius habetur, ne majores Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, Festa atque Octavæ Missam suam ob Votivas dicendas amittere cogantur; hinc inter privilegiatas non amplius computamus prius implicite inclusam Nativitatis Domini Octavam, utpote quæ solum Vesperarum et quotidianæ Commemorationis ergo, non autem in gratiam Officii et Missæ privilegiata noscitur. Nullæ enim causæ inveniuntur, ob quas hujusmodi Missa votiva permittatur in Duplicibus majoribus et inferioris ritus extra Octavam occurrentibus, et e contra in eisdem Festis infra Octavam celebrandis prohibita censeri debeat: quum præsertim Octava, uti patet, nullum pro Missis suis exinde privilegium acquirat; ac talis Votiva, secus atque Missa Defunctorum, neque lætitiam Nativitatis dedeceat, neque Præfationem Octavæ et multo minus **Communicantes** rejiciat.

[3] Antea quidem, ex Indulto Apostolico sub die 31 Augusti 1865, Duplicia secundæ dumtaxat non vero primæ Classis, rite poterant secundum proprium uniuscujusque Celebrantis Kalendarium computari; quod tamen privilegium, uti jam hodiernus usus indicat in Sanctuariis Palæstinæ observatus, cessasse videtur ob Decretum **Urbis et Orbis** die 9 Decembris 1895, quo omnimoda præscribitur uniformitas inter Sacerdotes in eisdem Ecclesiis rem divinam oblaturos.

[4] Ita enim (extra dies quoque solemnioris Peregrinationis), si omnes Celebrantes proprium Religiosi Franciscani eos ad Sanctuaria præfata ducentis sequantur Kalendarium; non aderit incommodum illud sæpius antea occurrens, ut nempe alii Sacerdotes possint, alii vero Missam votivam nequeant celebrare, juxta diversum Officium quod eorum unusquisque private recitarit; atque insuper sic Ductor ad plura Paramenta diversi coloris secum ferenda onerose non adigetur, neque recitatio Missæ in Altari portatili nimium difficilis aut incongrua reddetur.

[5] Utrumque Missæ tum Conventualis tum Parochialis onus Officio diei semper respondentis, quodammodo eruitur e responsione quam S. R. Congregatio *die 21 Februarii 1896* dedit cuidam proposito dubio circa Missam solemnem vel etiam lectas, in aliqua extrinseca festivitate concessas. Hinc etiam Ephemerides Liturgicæ Anno 1897 pag. 536, docuerunt in casu licitam non esse Votivam de Sacratissimo Corde Jesu, prima Feria VI. mensis ad instar Votivæ *pro re gravi* permissam die 28 Junii 1889 celebrari, quamvis in hoc Decreto nulla fiat exceptio pro Missa Parochiali in diebus, quibus eam pro populo applicandi urget obligatio apud Ecclesias unum tantum Sacerdotem habentes. Nos igitur Missæ Conventualis obligationem intactam retinentes, utpote etiam nominatim assertam in Indulto 27 Januarii 1818, quod jam sub num. XI°. pag. 18-19 in Opusculo Ratio Missalis Votivi retulimus: legitimæ Auctoritatis permissionem expetimus, qua Parochi in casu Votivas in diebus celebrare possint, quibus Festa sub duplici præcepto non amplius observantur in utroque foro, necnon in die propria Mysterii, quamvis nullum ejus recitetur Officium; ne incongruenter accidat, Mysterium Loci per annum sæpius Votivam habere, atque hoc speciali honore quotidie attributo, solummodo in die propria privatum quandoque forsan exsistere. Cæterum, hanc Votivæ diebus taliter impeditis habendæ licentiam concedi, sic testantur ibidem Ephemerides Liturgicæ: « Hinc passim videmus particulares Ecclesias, petentes apud S. R. Congregationem a lata lege « dispensationem: ac proinde et ab ipso adm. Rev. Parocho,... eadem poterit dispensatio haberi, si eam postulet. »

[6] Istæ Functiones quæ numero II°. hujus Rubricæ enumerantur, sive ex officio sive ex libera voluntate susceptæ, talem habent cum subsequenti Missa inseparabilem ordinarie relationem, ut magnum profecto videatur incommodum, si post illas non quidem Missa saltem occurrentis diei, sed alia Votiva quandoque substituatur. Doctrinam demum, quam Rubrica præsens hoc loco ad Decretorum tramitem observat, plus minusve tradiderunt (die tamen Purificationis hic a nobis addito) Ephemerides Liturgicæ: et nominatim Anno 1896 pag. 126-128, 186-192, 440-443; necnon Anno 1897 pag. 622-623.

[7] Omnia Sedis Apostolicæ Decreta quæ oppositum ordinare videntur, applicanda quidem sunt Votivis, quæ ubique die libera secundum Missalis Romani Rubricas valent celebrari; minime autem extendenda sunt ad eos casus, in quo Missa talis ex Indulto peculiari quibusdam in locis recitetur. Hæc aperte insinuantur apud Votum cl. Roberti Martinucci super Decreto S. R. Congregationis *30 Augusti 1892 in Strigonien. ad 4*, prout integrum retulerunt Ephemerides Liturgicæ Anno 1892 pag. 586-587: « Missa *Rorate* quæ aliquibus in locis, singulis diebus Adventus cantatur, ut omnibus notum est, « ex speciali Indulto repeti debet. Hinc attendendus est tenor Indulti, tam **quoad dies in quibus prohibetur**, quam « quoad ritum. » Immo, expressius hanc doctrinam tradiderunt ipsæ Ephemerides Liturgicæ Anno 1896 pag. 635, in solutione cujusdam propositi sibi Dubii: « Cum agitur de Indultis, regula juris est sequenda, quod tantum valent, quantum

« verba sonant quibus conceduntur. Si igitur in Indulto celebrandi Missam et Officium de Sanctissimo Eucharistiæ Sacra-« mento, etiam in duplici majori, nulla facta fuit reservatio pro festis Sanctissimi Salvatoris, quæ sunt duplicis majoris, « pleno jure Officium votivum et Missa recitari possunt. Nec supponi debet concedentem non cogitasse de possibili hujus-« modi occurrentia [quæ in casu nostro sæpius haberi posset]. Ita in concessione Missæ votivæ de Sanctissimo Corde « Jesu feriis sextis, quæ priora sunt in quolibet mense, cautum fuit ne celebrarentur occurrentibus festis Domini. » Itaque, præmissis doctrinis ad casum nostrum traductis, quum ex Decreto 31 Augusti 1865 inter vetitos dies pro celebrandis Missis votivis nullatenus comprehendantur illi, in quibus de eadem Persona Officium aut Commemoratio sub aliis Titulis et Mysteriis saltem nomine diversis agantur, aut agenda forent; optimo equidem jure Missam votivam hisce omnibus diebus Sacerdotes poterunt, si ritus Festi occurrentis non impediat, apud Palæstinæ Sanctuaria celebrare.

[8] Rubrica præsens non solum ex Indulto ad normam juris intellecto, prouti jam vidimus, apte confirmatur; sed aliis quoque rationibus convenientiæ plurimis, quæ hic inferius declarantur. I°. Unica in omnibus Missis Oratio, atque Hymnus Angelicus et Symbolum, quæ Votivis apud majoris Ordinis Sanctuaria celebrandis jugiter conveniunt, sæpissime omnino vel ex parte non haberentur in Missa occurrentis Vigiliæ vel Festi atque Octavæ, maxime si ipsa careant Officio; sicque minueretur honor sive solemnitas, quam per Missas taliter votivas comparari Palæstinæ Locis, docet in casu simili cl. Gavantus *part. I. Tit. VIII. nota b:* « Æstimatur etiam solemnitas ratione Loci, qua ratione privilegium dicitur fuisse datum « sacrosanctæ Ædi Beatæ Virginis Lauretanæ, ut ibidem in omnibus Missis Beatæ Virginis dici queat *Gloria in excelsis.* » II°. Ob multiplicata nimis ejusdem Personæ Festa, maxime Domini ac Deiparæ, irrisoria evaderet exceptio paucissimorum tantum dierum pro Votivis ex Indulto Apostolico admissa; atque ita Peregrini in Sanctuariis præsertim a civitate remotis, Votivam Loco ac Mysterio propriam celebrandi vel audiendi consolatione perfrui nequirent; et ad Missam Vigiliæ vel Festi et Octavæ, in casu ordinari vel non ordinari extra Officium concessam, ob Orationes et Collectas, necnon propter Hymnum Angelicum ac Symbolum juxta diversos casus recitanda aut omittenda, difficultatibus immodicis angerentur. III°. Si pro Votiva dicendæ forent Missæ de Officiis ejusdem Personæ occurrentibus, quamvis impeditis, non solummodo celebraretur Mysterium alibi memorandum; sed dispensatio a legibus Ecclesiæ gravissimis in gratiam cujusdam Loci indulta, foret irrationabilis: et ideo, exempli alicujus gratia, relicta tunc Missa de Festis solemnioribus infra Octavam Nativitatis Dominicæ peragendis, quotidie oporteret ridiculose celebrari Missa *Puer natus est nobis* in Calvario ubi Crucifixionem, in Sanctissimo Sepulchro ubi Resurrectionem, in Monte Oliveto ubi Orationem aut Ascensionem Domini recolimus; itemque ad eum Calvariæ locum, ubi Virgo dolorosissima stabat juxta Crucem Jesu, dicenda esset quotidie Missa *Gaudens gaudebo* per Octavam Immaculatæ Conceptionis, necnon *Gaudeamus* infra Octavam ejusdem Assumptionis. Missa autem Festi de altera Persona occurrentis, si foret quotidie sumenda, Sanctis Locis debitum honorem adimeret, quin Officiis impeditis novum quoddam privilegium impartiretur. IV°. Antiquus mos, a prima Votivarum concessione sub die 5 Martii 1644 facta ad ætatem usque nostram perseverans, nullatenus ex Indultis exsistentibus prohibitam censuit Votivam, quum de eisdem Personis Officium vel Commemoratio sub aliis Mysteriis ac Titulis agerentur, aut agenda essent; eamque legis interpretationem aliæ Communitates amplectuntur, et nominatim Missionarii Algeriani quoad Votivas de Immaculata Conceptione et Nativitate Beatæ Mariæ Virginis. V°. Rigor oppositarum huic mori legum, ab ipsa S. R. Congregatione aliquando temperatus fuit; et præsertim *die 30 Augusti 1892 in Strigonien. ad 4*, abnuit quidem ut Votiva *Rorate* singulis Adventus diebus concessa, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis caneretur, ast solum iis **diebus in quibus fit Officium infra Octavam ejusdem** Mysterii. = Ergo in Palæstinæ Sanctuariis, ubi Mysteria et Locum in quo ipsa contigerunt, præcise et magis veneramur; ubi detrimenta, quæ Festum occurens cum suis Vigilia et Octava, ratione Votivarum, interdum capere possunt, in altero ejusdem Personæ Sanctuario vicissim compensantur: electio Missæ occurrentis nullam cum Mysteriis Locorum habentis relationem, ne plura dicamus, ridicula saltem esset; et jura Festorum, quæ Missam Vigiliæ vel Festi atque Octavæ eo die secus impediunt, sine ulla causa et contra Rubricas de occurrentia Officiorum violarentur; quod tamen fieret, si in Duplici primæ Classis Missa de Vigiliis et Octavis communibus alias recitaretur.

[9] Rationem ex cl. De Herdt optimam reddunt EPHEMERIDES LITURGICÆ Anno 1893 pag. 171, huic etiam casui congruentem: « Decretum 23 Februarii 1839... agit de Sacerdote dispensato ad legendam Votivam ex defectu visus, qui « infra Octavam B. M. V. extra Sabbatum omittit *Gloria*, quia celebrat Votivam a Pentecoste ad Adventum, quæ **cum « Octava** nil habet commune... Alia vero Decreta... alios Sacerdotes generatim tangunt, qui, uti idem explicat super-« citatus Auctor, Missam dicentes infra Octavam, pro Votiva celebrant Missam de Octava, adeoque addere debent *Gloria* « ratione Octavæ seu festivitatis... Hæc certa omnino sunt, ut nihil de reliquo dicamus. »

---

## TITULUS QUARTUS.

## DE DIE QUÆ MULTIPLICITER CENSETUR PROPRIA

### IN MISSIS VOTIVIS.

**25.** Ad augendum Sanctis Locis debitum cultum, uniformitatem inter Votivas annuo Festo exornatas aut carentes inducendam, et difficultates omnes præsertim in annuali vel solemni Peregrinatione præcavendas [1], congrue statuitur [2]; ut Votivæ omnes in DIE PROPRIA, cum *Gloria* et *Ite missa est* nisi adhibeatur color violaceus, necnon jugiter cum *Credo* et cantu solemni, iisdemque diebus [3] quibus apud Sanctuaria majoris Ordinis, celebrentur.

**26.** Dies autem PROPRIA ad celebrandas solemniter et privatim in quolibet respective Sanctuario, etiamsi minoris Ordinis, Missas cum privilegiis Votivarum primæ Classis, merito semel vel etiam pluries juxta sequentia capita censetur: I°. Dies fixa aut mobilis, in qua juxta Kalendarium annuum recolantur Festa Mysterii vel Sancti respectivi, atque insuper dies in quam ejusmodi Officia aliquando transferantur; II°. Dies in qua de hisce Sanctis eorumque Mysteriis agatur Commemoratio, ratione Festi et Octavæ et aliquando Vigiliæ, ad integrum Officium jure quomodocumque non potientibus; III°. In omni et sola Officii aut Commemorationis perpetua deficientia, dies saltem in qua Mysterium aut Sanctus in respectivo Martyrologio annuntiatur; IV°. Dies semper in qua Mysterium aut Sanctus in Missa aut Officio de Tempore vel de eadem quomodolibet Persona nominantur; V°. Dies semper in qua Visitationes annuales, vel solemniores ratione concursus Peregrinorum, ad Sanctuaria peraguntur; VI°. Dies semper in qua omnis et sola Missa vere solemniter, nempe cum sacris Ministris et Organorum sono, ac præsertim cum frequentia populi concinatur; aut si hæc omnia haberi interdum minime possint, Missa cantata ex aliquo saltem capite adhuc solemnis æstimari possit. [4]

**27.** Quoties idem Titulus eodemque nomine Mysterium quæ in Votivis recoluntur, ratione Vigiliæ et Festi Officium aut Commemorationem habeant, vel ratione Octavæ habere possent: in singulis quibusque casibus Missa apud Missale Votivum Terræ Sanctæ edita, licet textibus propriis ac diversis effecta, semper valet assumi, quoniam tunc Missam occurrentis diei satis repræsentat; omissis quamquam Commemorationibus dici, quæ Festi ritum potius minuere quam augere videntur. [5]

**28.** Si vero idem Titulus eodemque nomine Mysterium alicubi per Votivas recolendum, aut in Vigilia aut diebus infra Octavam vel in ipsa die Octava, diversas atque in Festo Missas habeat, quarum proinde Epistola sive Evangelio Facta Locis temporibusque a respectivo Sanctuario prorsus aliena sæpe commemorantur: tunc Missa Solemnitatis optimo equidem jure illic ad Vigiliam et per Octiduum assumi valet, prouti scilicet Rubrica peculiaris sub num. 23 Titulo Tertio sinit hoc fieri quum alia ejusdem Personæ Festa recurrunt; ipsa tamen in casu per Octavam semper celebretur cum privilegiis cuilibet Sanctuario competentibus in DIE PROPRIA, quoniam mere per accidens, uti infra Octavas Paschæ et Pentecostes evenit, Missa Festivitatis nequit singulis Octavæ diebus jam propriam habentibus iterari. [6]

**29.** Hujusmodi autem Votiva textibus omnino propriis effecta et in Kalendario non assignata, itemque Missa diei Festi in Vigiliis vel per Octavas propriam habentibus, quamvis ex privilegio semper Missæ Parochiali subrogari valeat; minime tamen locum Conventualis juxta Rubricas tenere potest in Ecclesiis, ubi ea die viget Officiaturæ Choralis onus, nisi prima saltem Oratio et Evangelium Votivæ cum recitato Officio conveniant, atque diei Commemorationes cum Collectis et ultimo Evangelio, si hæc adsint, jugiter tali Missæ adjungantur. [7]

**30.** Si quædam Personæ, ad quas Votiva alicubi ratione sui vel alterius Mysterii principalis celebranda refertur, suam per annum semel aut pluries Festivitatem habeant, in qua tamen ex Epistolæ aut Evangelii indicatione colligatur, aliud quam in Votiva Mysterium celebrari: tunc non censebitur DIES PROPRIA illa, in qua Festivitas earumdem Personarum recolitur; sed potius, quoad Missam ratione sui celebrandam, ejus Vigilia vel aliqua Octavæ dies, vel saltem Dominica et Feria in Proprio de Tempore; aut, quoad Missam ratione alterius dicendam, Festum Personæ ac Mysterii principalis; in quorum nempe respectiva occurrentia præfatum Votivarum Mysterium in Officii Lectionibus aut Missæ Epistola vel Evangelio memoratur. [8]

**31.** Nihilominus, si Mysteria vel Personæ in Votivarum serie quomodolibet comprehensæ, nullo juxta Kalendarium illius Ecclesiæ perpetuum exornentur annuo Festo, nec proinde Missam ullam Festivam possideant; vel Persona diem speciali Locorum Mysterio designatam nullam habeat: ad eorum merito cultum statuitur, ut DIES utrobique PROPRIA, præter eam qua respective in Officio aut Missa de Tempore ac de Mysterio principali recoluntur; reputetur etiam illa, in qua eorumdem vel obitus aut memoria apud Martyrologium suum annuntiatur, vel Festum in perpetuis Kalendariis principale invenitur. [9]

**32.** Quando Personæ sub Loci Titulo, earumque Mysteria quæ sub eodem præcise nomine separatim recoluntur, jam Octavam habeant e Kalendarii præscripto; vel si adhuc

non habeant Octavam illam, fuerint tamen præcise Titulares totius Ecclesiæ et Oratorii publici cultui Catholico stabiliter designatorum, non vero Titulares dumtaxat Altaris aut Cappellæ in eisdem exsistentis; in singulis quibusque casibus DIES PROPRIA reputabitur quælibet dies infra Octavam, quam vel habent jam vel dein habere possunt: atque hujusmodi Rubricæ ordinatio, si quidem de Mysterio non vero de aliqua disjunctim Persona talibus Mysteriis Loci carente res agatur, de omnibus etiam Personarum Missis tum singularibus tum Communi quotidie intelligi oportet, præter diem primam Octavæ, ne ita Titularium solemnitas immodice minuatur.

**33.** Hæc autem Octava, quæ Missas directe eo temporis spatio majoribus cum privilegiis celebrandas solum respicit, neque ullum per se jus ad recitationem respondentis Officii cuipiam confert: celebrari semper valet, etiamsi aut proprium Loci Mysterium tempore Octavas excludente memoretur, vel extra Octavæ ambitum transferatur ejus Festum; aut ob carentiam apti de Locorum Mysteriis Officii, Personæ sub aliis Mysteriis ceu Titulares cum Festo recolantur; aut demum apud respectivas Ecclesias et Oratoria nullus Sacerdos stabiliter addictus moram trahat: sed in quocumque casu, semel tantum et sine translatione fiant omnium qua Titularium Octavæ, nempe una ex diebus fixis vel mobilibus secundum PROPRIUM SANCTORUM, aut in ejus solo defectu, juxta PROPRIUM DE TEMPORE. [10]

**34.** Missa pluribus Personis communis, prouti alibi quoque innuitur, DIEI PROPRIÆ privilegia tantummodo reposcit, quum de Mysterio in quo omnes participarunt, solemnitas quomodolibet recolatur; non vero quum agitur memoria de aliqua Persona, quæ annuum Festum vel diem Mysterio Loci designatam non possideat; atque ita dicendum de Votiva particulari, quæ solum in die Mysterii principalis et respective sua, non vero in alterius Personæ memoria vel Festo ceu Missa primæ Classis reputanda erit.

**35.** Ad evitandas demum difficultates quaslibet, in Tabella inferius post has peculiares Rubricas apposita, rite semper indicabitur quænam singulis Votivis apud majoris aut minoris Ordinis Sanctuaria celebrandis sit PROPRIA DIES, et quandonam ipsis Octava jure convenire censeatur.

## ADNOTATIONES IN IV. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ad hæc auferenda quadantenus incommoda, expeti etiam posset Apostolicum Indultum, quod pag. 23 in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI pro Sanctuario Damasceno Sancti Ananiæ Christi Discipuli vidimus collatum. Quod privilegium omnigenam cum illo similitudinem habet, de quo Pater Aloysius de Carpo in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 32. in subjecta nota* ita loquitur: « Quum interdum Sacra Rituum Congregatio quibusdam Ecclesiis Indultum concedat « Missam celebrandi solemnem, et quandoque etiam lectas de quopiam Mysterio vel Sancto extra Officii diem, ad ejus « nimirum solemnitatem in populo recolendam; hic opportunum visum est animadvertere.... in illis *Gloria* recitabitur et « *Credo,* vel non, prout fieret si ea die Officium de Festo illo ageretur. *S. R. C. 18 Febr. 1794 Decr. gener.* Dies porro « in quibus ejusmodi Missæ (silente Indulto) prohibentur, sunt quoad Missam solemnem Festa et Dominicæ primæ Classis; « quoad lectas vero Festa et Dominicæ secundæ Classis. » Attamen, præterquam quod Indultum dubia relinquit insoluta quoad *Gloria* et *Credo,* et uniformitatem non inducit: insufficiens valde est quoad permissionem dierum pro Missa solemni, quæ alioquin non semper et ubique potest celebrari; atque insuper Missas lectas iisdem omnino diebus concedit, quibus Rescriptum sub die 31 Augusti 1865. Quoniam ergo ejusmodi Indultum in præsenti casu expetendum, nullatenus aut parum occurrit incommodis inferius enumeratis; magis opportunum visum nobis est a Sede Apostolica facultatem poscere, qua omne Sanctuarium, in DIE PROPRIA Mysteriorum ac Personarum, tamquam majoris Ordinis habeatur. Merito autem fore confidimus, ut Apostolica Sedes, cujus est omnino quodvis Sanctuarium ut majoris Ordinis etiam semper habendum declarare; facilius hoc permittat aliquibus tantum fieri DIEBUS Mysteriorum PROPRIIS quoad omnia Palæstinæ Sanctuaria, quæ sæpius vidimus haud inferiora esse Locis, quæ uti talia quocumque anni tempore æstimantur.

[2] Hoc privilegium omnibus respective Sanctuariis temporaneum, quod nunc primo a Sede Apostolica censuimus suis de causis implorandum, tripliciter considerari potest: primo, quoad permissos hinc dies, ita ut Missæ in DIE PROPRIA celebrari ubique valeant, perinde ac si omnia respective Loca ceu Sanctuaria majoris Ordinis habeantur; secundo, quoad Hymnum Angelicum et Symbolum, necnon cantum festivum seu solemnem, quæ etiam in Votivis secundæ Classis in casu adjungantur; tertio demum, quoad Missam votivam, quæ in locum Missæ de Vigilia aut Festo et Octava possit in quolibet casu licite adhiberi. Hæc tres privilegii partes in sequentibus notis enucleantur; sed quoad Hymnum Angelicum et Symbolum, alias in suis præsentium Rubricarum Titulis agetur.

[3] Rubricæ hujus pars, quatenus diem Votivis in tali casu designatam respicit, sequentibus rationibus fulcitur: I°. Opus videtur omnino, ut Mysterium vel Persona majoribus ornetur apud Locum suum privilegiis in die Festo, quam reliquo tempore per annum; II°. Removendum est incommodum, quo Votiva omnis, dum privatim solemniterque dici possit singulis ferme anni diebus, præcise et solum in DIEBUS Sanctuario PROPRIIS, ob Duplicia primæ vel secundæ Classis occurrentia, veluti solemnis etiam omittatur; III°. In Festo Sanctuariorum, quo Religiosi Franciscani aliique Fideles e remotis

etiam mundi plagis affluentes ad celebrandum Loci Mysterium conveniunt, ratione concursus vel solius Tituli, Missa saltem solemnis de Persona ejusque Mysterio quamvis nullum quomodolibet officium habentibus, possibiliter concinatur; ac etiam privatæ de eisdem habeantur Missæ, quippe quæ in Locis per Infideles aut Schismaticos detentis extra illam diem aut nullimode aut ægre celebrari a Peregrinis cupientibus hanc consolationem possent; IV°. Adimendæ sunt plurimæ difficultates quæ circa Hymnum Angelicum oriuntur, et maxime circa Symbolum quod in Votivis sine Officio recitandis semper alias omittitur, quin tamen in Missis ad Officium integre recitatum pertinentibus, semper habeatur. = Hæc tamen omnia nullatenus apud Sanctuaria minoris Ordinis hucusque obtinentur, si Festum Loci vel cum Duplici secundæ Classis occurrat; quoniam Rescriptum sub die 31 Augusti 1865, dum Votivas ibidem celebrari nonnisi in Festis ritum Duplicem majorem haud excedentibus indulsit, eas semper sine *Gloria* et *Credo* recitari præcipiebat.

[4] Exempla, et prima e pluribus secundum quinque numeros comprehensis, apud Tabellam inferius post has Rubricas peculiares edendam prostant, nempe Votivæ sub num. X. C. LIX. CXX. LXXXIV., aliæque passim ibidem contentæ.

[5] Non solum ob incommoda quæ nota sequenti exponentur, sed iis etiam de causis Rubrica præsens quoad Missæ qualitatem approbatur: I°. Ne Missæ apud Sanctuaria majoris Ordinis, quæ Hymnum Angelicum et Symbolum reliquis per annum diebus semper recipiunt, ordinarie amittant utrumque in Vigiliis, et aliquando Symbolum in Festis seu Octavis alicujus Personæ aut integro Officio quomodolibet carentibus, aut sine Indulto Symbolum omnino rejicientibus: II°. Ne idcirco Sacerdotibus difficultates ingerantur in usu Altaris portatilis, ob magnum Missale, ob Collectas et Orationes atque ultimum Evangelium diei; quibus removendis incommodis usum Missalium parvæ molis impedientibus, quæ etiam immo magis occurrunt in Peregrinationibus tali die ad Loca per Schismaticos et Infideles detenta ex more instituendis, jam Sedes Apostolica Rescripto 31 Augusti 1865 unam in quibuscumque Votivis Orationem permisit: III°. Quia si Votiva in tali casu de aliis conceditur Personis, multo magis in nostro, in quo Missa semper ceu *festiva* substantialiter de eodem agitur Mysterio Personæ, atque semper cum *Gloria* et *Credo* necnon textibus quandoque magis appropriatis: IV°. Quia si Missa votiva permittitur iis etiam diebus quibus relativum Festum impeditur, uti Missa Septem Dolorum Virginis in die Sancti Joseph; absonum est ut Votiva ab illo suo Festo prohibeatur: V°. Quia diuturna praxis hoc confirmat, innixa ipsius tenore Indulti, ubi exceptio talis non habetur: VI°. Quia ejusdem vigoris sunt leges et Decreta, quæ Votivam prohibent in Festo ejusdem Personæ sive sub iisdem Mysteriis sive sub diversis agendo; et tamen ex Indulto ad normam juris explicato Votivam in Festis ejusdem Personæ sub aliis Mysteriis non prohiberi, jam nota 8 in Titulum tertium comprobavimus.

[6] Si enim in casu præceptive sumenda foret Missa Vigiliæ, aut dierum infra Octavam, aut ipsius diei Octavæ, quod neque Indultum jubet neque praxis confirmat; Votiva diceretur nullam cum Sanctuario relationem habens. Ita, exempli gratia, omnes quidem Missæ infra Octavam Paschæ celebrant Resurrectionem Christi, et tamen Sanctissimo Sepulchro non convenit plenius nisi Missa Dominicæ: itemque Sanctissimo Cœnaculo solum Missa Dominicæ apte respondet, etsi omnes infra Octavam Pentecostes Missæ ad Spiritum Sanctum referantur. Quoniam igitur in utraque Octava aliæ Votivæ apud Sanctuaria majoris Ordinis permittuntur, excepta tantum die Festi; immerito infra Octavam suam, ambæ Votivæ de Resurrectione ac de Spiritu Sancto e Dominica sumptæ omitti deberent, ut sumantur Missæ quæ Christi resurgenti alias extra Sepulchrum Apparitiones, aliasque Spiritus Sancti Descensiones extra Cœnaculum peractas commemorant. Idemque dicatur de aliis casibus, quibus applicari omnino possunt rationes in nota 8 sub Tertio Rubricarum Titulo declaratæ; quum etiam nunc de aliis ejusdem Personæ Factis et Mysteriis quodammodo res agatur.

[7] Aliter enim Missa Conventualis, cujus indispensabile onus (secus atque Parochialis) etiam in DIE PROPRIA intactum retinuimus ad notam 5 in Tertio præsentium Rubricarum Titulo, nequaquam sine illis partibus accidentaliter adjungendis conformis dici possit Officio diei.

[8] Cf. in eadem Tabella, secundum diversos quinque casus, Votivæ ad Sanctum Petrum Apostolum sub num. CXXII. CXXX. CXXV. LXXXIX. et CXVII. pertinentes; ubi nullum ejus Festum in Breviario positum pro DIE PROPRIA computatur.

[9] Cf. in Tabella inferius apponenda, quoad primum, Votiva CXV. Sancti Moysis Legislatoris et Prophetæ dicenda super Montem Thabor; quoad alterum, Missa CVII. Sancti Joachim in ejus Sanctuario apud Diocæsaream celebranda.

[10] Cf. quoad primum, Missa Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ sub num. CV.; quoad alterum, Votiva XCV.; quoad autem Missas singulares et Communem, Votivæ sub num. CXIV-CXVIII. = Hoc autem privilegium, quatenus Octavam Festi sub eo nomine agendam considerat, jam deducitur ex Rubrica **32**; quoad autem Ecclesias et Oratoria, quæ vel Clerum adscriptum non habeant, vel quorum Titulus aut tempore Octavas non ferente occurrat aut jam sub alio Mysterio celebretur, saltem **ex gratia** quam novissime imploramus. Decet enim omnino, ut Sanctus ille vel Mysterium saltem per Missam majoribus auctam privilegiis in Festo et per octo sequentes dies recolantur; quum et eo tempore frequentior ad Locum fiat concursus, et mere per accidens quandoque Titulus juribus Octavæ privetur, et demum hic de sola Missa etsi minoribus gratiis jam tamen concessa, non autem de Officio sermo habeatur.

---

## TITULUS QUINTUS.

## DE LOCO ET ALTARI ELIGENDO

### IN MISSIS VOTIVIS.

**36.** Omnis Missa votiva in Sanctuariis Terræ Sanctæ celebranda, suo loco dicitur ad unum vel plura vel omnia Altaria fixa Templi sive Oratorii aut Cappellæ, ibidem tum exstantia ac dein erigenda aut in locum antiquorum subroganda; prouti nempe unicum aut multi-

plicia coluntur illic acta eodem vel diverso loco Mysteria, et quemadmodum in Tabella inferius edenda ordinabitur. [1]

**37.** Quoties autem Ecclesia, Oratorium, et Cappella in illis exsistens, aut etiam qualiscumque Sanctuarii Locus, vel unum tantummodo contineant Mysterium, licet plures inibi Missæ pro numero Personarum partem in eo principalem habentium assignentur; vel plura etiam Mysteria, quæ tamen uno eodemque loco universa obtigerunt: Votivæ omnes super quælibet Altaria fixe erecta aut portatilia celebrari possunt; nisi postmodum, præsertim cum alicubi ædificium stabiliter erectum fuerit, ex Ordinarii Auctoritate, jam cuilibet Votivæ suum exclusive Altare semel statuendum esse videatur, atque simul Mysteriis ac Personis principalibus vel omnia Sanctuariorum Altaria vel unicum dumtaxat tum quoque reservanda. [2]

**38.** Si neque Ecclesia, neque Oratorium vel Cappella in quibusdam Sanctuariis adhuc erecta inveniantur, aut etiam si in Ædibus sacris stabiliter erectis Altare nondum fixum habeatur; Missæ votivæ interim quacumque per annum die possunt super Altaria quævis etiam portatilia, in loco Sanctuarii opportune singulis vicibus erigenda, a Sacerdotibus celebrari. [3]

**39.** Quando autem Altaria cujusdam Ecclesiæ, Oratorii, aut Cappellæ privilegium Missæ votivæ tunc habentia, subinde ob Sacerdotum maxime Peregrinorum affluentiam minime sufficiant; Missæ in viciniore Altari fixo nullum tamen alterius specialis omnino Votivæ privilegium habente, aut etiam in Altari portatili proxime illic erigendo valeant celebrari. [4]

**40.** Immo, si e Peregrinorum assistentiumque multitudine, Sanctuarium seu Locus neque universos contineat Fideles, neque omnes sinat Sacerdotes inibi Sacrum facere; tunc optime extra Loci ambitum et sub aperto etiam cœlo, poterit et Missa votiva super Altare portatile celebrari, Sacra Communio assistentibus distribui, necnon Loci Indulgentia respective Plenaria seu Partialis acquiri; prouti nempe si reapse intra Ecclesiam, Oratorium aut Cappellam Sanctuarii fuerint omnia peracta. [5]

**41.** Item quandocumque Sanctuarium aliquod ab Infidelibus aut Schismaticis hodie fuerit detentum, atque ibi Sacerdotes Catholici aut numquam aut aliquoties tantummodo Sacrum agere permittantur; Missæ votivæ super erectum viciniori loco Altare fixum aut portatile, interim valeant a Sacerdotibus quomodolibet impeditis recitari. [6]

**42.** Attamen ad singulos quoscumque casus, in quibus Missa super Altare portatile, et maxime sub aperto cœlo fieri conceditur; præter rationabilem alicujus necessitatis causam, extra dies Peregrinationum in Festo Sanctuarii juxta morem agendarum, necessaria respectivi Superioris facultas aut generalis aut specialis debet semper adesse, atque insuper sedulo curandum, ut omnia ordinate ac reverenter fiant, et Locorum mores incolarumque ingenium istæc citra ullam offensionem perfici patiantur.

**43.** Causæ vero rationales, unde Altaris portatilis usus apud Sanctuaria quævis, servatis de cætero servandis, extra diem quoque Mysteriis ac Personis propriam commendatur, uti aliquæ principaliores e multis in medium proferantur, sequentes haberi possunt: Fidelium et Sacerdotum maxime Peregrinorum illuc affluentia, devotionis tum propriæ tum alienæ per requisitam Votivam satisfactio, cultus Sanctis Palæstinæ Locis sæpius in anno exhibendus, commodum ex aliorum illic votivas Celebrantium Missas partum, jura Catholicorum super Sanctuariis per Infideles aut Schismaticos detentis asserenda et conservanda, aliæque judicio Præsulum quorum est, ex facultate propria vel Indulto vel alterius commissione, usum Altaris portatilis Sacerdotibus concedere. [7]

**44.** Superior localis Hospitiorum et Conventuum Ordinis Franciscani in Custodia Terræ Sanctæ exsistentium, ex obtento Sedis Apostolicæ Indulto, potest in casu necessitatis Sacerdotem etiam non Missionarium mittere ad celebrandam super Altari portatili Missam in iis Sanctuariis, aut Cappellis quas Franciscani Terræ Sanctæ divinis quomodolibet frequentant officiis, ubi nondum Altare stabile reperiatur [8]: in aliis vero casibus, rei facultas ad Loci Ordinarium ejusque Vicemgerentes pertinere censetur, qui prouti sibi melius visum fuerit, licentiam ipsius Altaris portatilis impertientur. [9]

**45.** Igitur (secundum tamen casus quoad Sanctuaria superius enumeratos), privilegium Altaris portatilis pro Missa etiam non votiva e Rescripto Apostolico Minoritis in universa Custodia Terræ Sanctæ concessum, requirit *ex parte Loci,* ut vel SANCTUARIUM fuerit, vel

quoties non Sanctuarium, saltem CAPPELLA in qua Franciscani divina peragant officia; ac proinde Missæ super Altare portatile nequeunt vigore Indulti alibi offerri, nisi in Peregrinatione ad flumen Jordanis sive ad aliud remotum Sanctuarium instituenda, infrà quam Missa ex consuetudine et congruentia taliter fieri conceditur in itinere, antequam et postquam respectivi Sanctuarii Locus adeatur: ex parte vero *Personæ* reposcit, ut sit Religiosus Franciscanus, vel Sacerdos quomodolibet vivens sub obedientia Superiorum Ordinis in Terra Sancta; quamquam ex consuetudine et ratione societatis, usus Altaris portatilis concessus intelligatur Sacerdotibus cunctis, alias a Sacro faciendo non prohibitis, qui vel se consuetæ Indultariorum Peregrinationi consociaverint, vel ad Sanctuarium in quo alii Missam taliter agunt, accesserint; ac præsertim concessus Peregrinis, quibus e stylo Curiæ Patriarchalis Hierosolymitanæ indulgetur in impressa licentia, quam CELEBRET vocant, Missas etiam super Altare portatile toto Peregrinationis suæ tempore celebrare. [10]

**46.** Quum omnia Palæstinæ Sanctuaria, vel Ecclesiis aut Oratoriis publicis stabiliterque divino servitio dedicatis exornentur; vel saltem sint Loca omnibus patentia, in quibus aliquando certa per annum die aut fixa aut mobili ad jus Catholicorum debitamque erga illa reverentiam asserendam res divina celebratur: hinc ubique generatim Missa et a Sacerdotibus dici, et a Fidelibus pro Ecclesiastici Precepti adimplemento potest audiri, etiamsi dies quandoque solemniores occurrant, in quibus Missæ in Oratoriis privatis alias prohibentur. [11]

## ADNOTATIONES IN V. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hæc autem distinctionis ratio, juxta quam Loca pro alterutro casu unum aut plura Sanctuaria, necnon ipsa Mysteriis et Personis idcirco singularia aut communia moraliter reputantur, generatim custoditur etiam in Indulto 31 Augusti 1865. Enimvero, exinde Votivæ omnes communiter in toto Sanctuario permittuntur: præter quam apud Nativitatis Basilicam Missa primæ Classis sub num. II°. ac Votiva secundæ Classis sub num. VIII°. et X°., itemque apud Resurrectionis Templum Missa primæ Classis sub num. VI°. VII°. et X°. necnon Votiva secundæ Classis sub num. III°. V°. et IX°.; quæ distinctis earumdem respective Basilicarum locis vel Altaribus specifice designatis celebrandæ statuuntur.

[2] Exemplum cujusque generis ad firmandam Rubricam præsentem hoc et futuro tempore perutilem, ex Indulto sub die 31 Augusti 1865 licet afferri. Enimvero, præter duplicem Votivam, ejusdem quidem Personæ sed Facti aliquantum diversi, apud Sanctuaria majoris aut minoris Ordinis sub num. IV°. et V°. ac dein VII°. et VIII°. concessam; in toto pariter Sanctuario permittuntur sub num. III°., Missæ de Sanctissimo Sacramento vel de Spiritu Sancto, quarum Mysteria Personis ac tempore distincta in **eodem Cœnaculo** acta memorantur. Nihilominus, ibidem inter Votivas primæ Classis sub num. VI°. et X°. ad bina Catholicorum Altaria super Montem Calvarium, Christi ejusque Matris Doloribus consecratum, Missa de Passione ad Altare Crucifixionis, et Votiva Septem Dolorum ad Altare Deiparæ solummodo conceditur; quamvis Missa principalis de Passione Domini, antea per Indultum 12 Novembris 1786, etiam ad Altare Virginis et idcirco in toto Monte Calvariæ recitari licebat. Item Bethlehemi, Missa de Nativitate Domini in tota Crypta ceu Votiva primæ Classis sub num. II°., et ceu Votiva secundæ Classis sub num. VIII°. Missa de Festo præcipuo vel de Patrocinio Sancti Joseph participantis in Mysterio Nativitatis Christi, super Altare extra Cryptam etsi prope eam erectum, celebrandæ assignantur.

[3] E Rescripto Apostolico sub die 14 Julii 1878, quoad saltem Sanctuaria, aut Cappellas quas Franciscani divinis quomodolibet Officiis frequentant.

[4] Rubricæ hujus convenientiam argumento, quod vocant *a fortiori*, insinuamus. Si enim in aliis rerum occurrentiis Missa fieri conceditur extra Ecclesiam vel Oratorium, immo sub aperto interdum cœlo, et in Altari portatili; multo magis hæc indulgeri possunt super Altaria portatilia et præsertim fixa intra Ecclesiæ ambitum exsistentia, quoniam in presenti casu semper incommoda minora exsurgere solent. Hanc tamen licentiam, justis de causis, apud Loca ubi plura habentur Sanctuaria, prouti in Basilica Nativitatis et Resurrectionis Domini, ad Altaria jam Votivæ alicujus Indultum habentia non censemus extendendam fore; quoniam et aliquando in casu Missa extra Sanctuarium moraliter diceretur, et Peregrini, uti auribus nostris audivimus, potius aliquam ex quibuscumque Votivis quam inter eas determinatam sæpe dicere percupiunt.

[5] Privilegia quidem ista et cætera, quæ a Summo Pontifice Leone XIII. per Breve 18 Aprilis 1896 concessa sunt, nominatim favent Peregrinantibus, qui sub directione Patrum Augustinianorum ab Assumptione iter ad Sancta Loca suscipiunt, quamvis tamen expressa Votivarum mentio in eodem Brevi non occurrat. Nos hæc omnia quibusvis Peregrinorum comitatibus applicanda esse proponimus; quoniam præsertim privilegium, unde permittitur loco proximiore Votiva, ex Indulto sub die 31 Augusti 1865 repeti jam possit; atque per legitimam consuetudinem, Ecclesiasticis Superioribus eam videntibus et probantibus, in Missa super Altare portatile et sub aperto cœlo vel frequentius sub tentorio, vi antiquorum privilegiorum et maxime Rescripti die 14 Julii 1878 concessi celebrata, soleat Fidelibus præsentibus Communio sacra distribui.

[6] Exempla hujus privilegii, quod pag. 23 in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI collatum vidimus Missæ Nativitatis, quum integer Mysterii locus a Græcis Schismaticis occupatus teneretur, occurrunt etiam in novissimo Indulto sub die 31 Augusti 1865; ubi inter Votivas primæ Classis indulgetur: «3°. In Sacro Cœnaculo, aut in loco eidem proximo, pro tem-«pore quo illud Sanctuarium erit in manibus Infidelium; Missa votiva de Sanctissimo Sacramento, vel de Spiritu Sancto.» Hoc autem privilegium ad alia quoque extendendum Sanctuaria petimus, ubi Schismatici aut Infideles prohibent aut semper

aut extra quosdam anni dies Sacerdotibus Catholicis Missam celebrare; eo vel magis, quoniam rationes in omni casu eædem prorsus jugiter æstimantur. Immo, hoc rationabiliter eruitur etiam e Brevi sub die 18 Aprilis 1896, quo Summus Pontifex Leo XIII. concessit in gratiam Fidelium qui Peregrinationes in Terram Sanctam expiatorias sub regimine Augustinianorum ab Assumptione suscipiunt, ut omnis Missa, Communio, Indulgentiarum acquisitio proximiore Sanctuariis loco etiamque sub aperto cœlo peragi valerent. Enimvero, sive impedimentum oriatur ex affluentia Peregrinorum, sive ex Loci angustiis, aut ex prohibitione Infidelium et Schismaticorum Sanctuaria quædam occupantium; hoc est per se indifferens ad causam principaliter motivam privilegii, quo nempe providebatur ne impediti Fideles spiritualibus umquam gratiis et consolationibus e dicenda quoque Votiva derivatis, immerito privarentur.

[7] Audiatur Patris Francisci Quaresmii sententia Indultis Apostolicis innixa, quam proponit in Opere ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. I. pag. 416-417: « Quantum ad facultatem celebrandi extra Ecclesiam, dico posse Fratres celebrare in « Sanctuariis, id est locis aliqua illustri memoria consecratis, etsi vel non sint intra Ecclesias clausa, vel jam sint destru- « cta; aliis tamen observatis, et secluso impedimento irreverentiæ Sacramenti. Ratio est, quia posterius privilegium [nempe « quoad *locum*], sicut et prius [quoad *tempus*, vel *horam*], concessum fuit in gratiam Sanctorum Locorum, ut illa in vene- « ratione habeantur, inhabitantiumque et advenarum pietati et devotioni fieret satis: et hoc singulariter fit, oblatis ipsis « sacratissimis Missarum sacrificiis. Igitur illa in memoratis Sanctis Locis Altissimo offerre poterunt. » Hanc autem doctrinam, quam Auctor omnibus generatim Sanctuariis hucusque applicaverat, ita dein ex opinione sua eam in casu particulari explicat: « Denique, in Terra Sancta non solum in casu necessitatis, sed etiam extra, celebrarem in peculiaribus Sanctis « Locis Schismaticorum, tum ut catholico cultu honorentur, tum ut peculiari devotioni fiat satis... Itaque cum hic jus di- « vinum vel ecclesiasticum non obstet, arbitror Fratres posse tuta conscientia, absque aliquo peccati scrupulo, in dictis « Schismaticorum Sanctis Locis preces fundere, et offerre sacrificia, in Altari tamen portatili, cum aliis quibus Romana Ec- « clesia in Missarum celebratione utitur. » Itaque hoc sensu etiam a nobis tradito accipi debent casus rationabilis necessitatis; quod et hodierna praxis confirmat. Indultum præterea sub die 14 Julii 1878, Altaris portatilis usum perpetuo Minoritis omnibus Terræ Sanctæ indulgens in Sanctuario aut Cappella in qua Franciscani divina aut semper aut certis per annum diebus celebrant officia, nihil aliud egisse noscitur quam antiqua quoad Altare portatile privilegia confirmare, quorum legitimus usus postremis hisce annis in dubium vocabatur; ac proinde Indultum antiquiorum locum tenens, eorum interpretationem a Quaresmio datam optime recipere valebit. Ergo ex tenore Indulti novissimi, secus atque facultatum quæ Missionariis Apostolicis concedi solent, ad celebrandas apud Sanctuaria super Altari portatili Missas non requiri videtur ea necessitas, quæ exsurgit ex defectu vicinæ Ecclesiæ vel Oratorii, in quibus Sacrum commode celebretur; neque illa, quæ oritur ex absentia Missionarii cujusvis Apostolici; sed tantum respicitur necessitas seu causa rationabilis exigens vel suadens, ut una Missa vel plures in Sanctuario quodam juxta diversos casus habeantur. Demum in quacumque opinione, ad evitandas difficultates abigendosque animi scrupulos, præstat in quolibet casu hanc inter cæteras explicationem, etiam in gratiam Sanctuariorum eaque visitantium, seligere; quoniam hisce præsertim frequenter et omnino libere agendis Peregrinationibus plura jam Sanctuaria Galilææ conservari ac dein in possessionem Catholicæ Ecclesiæ vindicari potuerunt, atque nunc ita solummodo tueri valeat jus, quo Catholici ad Locum Ascensionis Domini et alibi Missam quotidie celebrare possunt super Altari portatili.

[8] Hæc facultas eruitur e Rescripto in perpetuum valituro, quo sub die 14 Julii 1878 Summus Pontifex Leo XIII. absolute annuit sequenti petitioni: « Affinchè si degni di concedere a' Superiori locali de' Conventi od Ospizi della Custo- « dia di Terra Santa la facoltà di mandare, in caso di bisogno, anche un Sacerdote non Missionario a celebrare la Santa « Messa su di un Altare portatile in quei Santuarii o Cappelle officiate dai Francescani di Terra Santa, dove manca l'Al- « tare stabile. »

[9] Extra casus in superiori Apostolico Rescripto exceptos, potestas concedendi usum Altaris portatilis pertinet ad Ordinariatum Loci, quam et Patriarchæ Hierosolymitano commissam voluit Summus Pontifex Leo XIII. per Breve *Romanorum Pontificum* sub die 18 Aprilis 1896, jam sæpius nominatum.

[10] Quæ hic dicuntur, maxime in Peregrinatione ad Bethaniam occurrentia, et quæ superius de Itinere ad Sanctuarium Jordanis; jam et consuetudo probat, et uniformitas inter Missionarios et non Missionarios Franciscanos extra Sanctuarium eo in Itinere celebrantes vi quoque aliorum privilegiorum inducenda.

[11] Iste casus in Terra Sancta haud frequens nec tamen insolitus, ut aliquod afferamus exemplum, occurrere potest in prima inter duas annuales Peregrinatione, quæ Feria VI. ante Dominicam Passionis quotannis instituitur ad Sepulchrum Sancti Lazari, nullo sacro ædificio vel Altari fixo adornatum; quoties nempe cum Solemnitate Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis dies illa Peregrinationis haud umquam transferendæ occurrat, prouti reapse hoc anno Domini 1898 evenisse noscitur.

---

## TITULUS SEXTUS.

## DE HORA NATURALI ET CANONICA

### PRO MISSIS VOTIVIS.

**47.** Missæ votivæ tum privatæ tum solemnes, apud quævis Ordinis majoris aut minoris Sanctuaria et a quibuscumque Sacerdotibus semper possunt celebrari horæ triente ante auroram vel post meridiem; neque idcirco hoc in casu, secus atque in sequentibus, ulla necessitatis causa vel privilegium obtentum adesse oportebit. [1]

**48.** In casu rationabilis alicujus necessitatis, nempe cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, Missa a quibusvis Sacerdotibus etiam duabus horis ante præfatum tempus, extra necessitatem ac privilegii concessionem alias omnibus permissum, potest apud Palæstinæ Loca celebrari. [2]

**49.** Immo, quotics Sacerdotum affluentia, cæterarum functiones Communitatum in quibusdam Sanctuariis divina officia celebrandi jus habentium, haud anticipandus Peregrinantium adventus differendusve discessus, vel alterius gravioris necessitatis urgeat causa, quæ aliis Sacerdotibus Missam in quodam Sanctuario sine horæ anticipatione celebrandam impediret: Missæ votivæ apud omnia ejusmodi Loca Mysteriis insignia, per unumquemque Sacerdotem poterunt a media nocte usque ad Nonam sequentem post meridiem celebrari; dummodo semper habeatur vera necessitatis causa, et eo quidem urgentior, quo major anticipatio fuerit sumenda vel dilatio. [3]

**50.** Missa votiva solemnis tempore Peregrinationum, atque in Hospitiorum Ecclesiis et Locis ubi non viget Chori obligatio, celebrari semper poterit, quin ulla Horarum Canonicarum aut diei naturalis per se ratio habeatur; prouti nempe efficitur, quum de Missis omnino privatis res agatur. [4]

**51.** In Ecclesiis autem Conventuum, ubi viget Officii Choralis obligatio, Missa votiva solemnis et cantata ordinario locum habet post Primam [5]; nisi aliquando, e rationabilis causa necessitatis, ante vel post Conventualem de Officio occurrente Missam horis quidem per Rubricas præscriptis celebrandam, Votiva oporteat decantari. [6]

**52.** Nihilominus, apud easdem Ecclesias ubi viget Officiaturæ Choralis onus, Missæ in propria die extra ordinem Kalendarii solemniter cum frequentia populi concinendæ, aut ad Titulum impeditum Ecclesiæ vel publici Oratorii pertinentes: in singulis casibus, ipsæ vel juxta Generales Rubricas Missalis Romani sub Titulo VI. vel juxta quoque Indultum pro Votivis Palæstinæ latum decantari possunt, at ordinarie semper post Nonam; immo post Conventualem de Officio currente prius recitatam, si et hæc Missa a Rubricis eo die post Nonam, prouti in Quatuor Temporibus infra Octavam Pentecostes evenit, legenda ordinetur. [7]

**53.** In omnibus vero Ecclesiis, ubi adest Chori obligatio, numquam ob dicendas quascumque Votivas, ullis omitti poterit diebus Missa Conventualis quamvis sine cantu celebranda de Officiis occurrentibus, aut de Votivis secundum Hebdomadæ Ferias in fine Missalis Romani assignatis, aut demum pro Defunctis; et quidem post respectivam Horam Canonicam in Rubricis Generalibus sub Titulo XV. indicatam, et iis etiam diebus, quibus Missa taliter Conventualis ordinatur, vel eligenda e pluribus permittitur.

**54.** Quæ demum superius explanantur de Hora diei naturalis licite anticipanda in Missis Terræ Sanctæ votivis, debita servata proportione, applicari etiam possunt aliis quibusque Missis ubivis celebratis; et maxime quum Missæ votivæ præfatæ certis per annum diebus ad Sanctuaria respectiva, ob ritum et celebritatem Officii tum occurrentis, inhibeantur. [8]

## ADNOTATIONES IN VI. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Juvat hic audire sententiam, quam Raphaël Patroni Lezioni di Sacra Liturgia *vol. II. Tratt. I. num. 89* sic tradit: «Ma ritornando all'ora, Benedetto XIV e Clemente XII ammisero che la Messa possa principiarsi un terzo prima dell'au«rora, e terminare un terzo dopo mezzodì; e ciò come dice Benedetto XIV, per una certa equità, giacchè in Roma era «comune questa pratica: *Æquitate quadam juxta eam, quæ etiam Romæ viget, praxim tolerari solet, horæ triente ante «auroram et post meridiem celebretur.*» Pater autem Franciscus Quaresmius, approbans opinionem Roderici innixam graviorum doctorum sententia, ita circa rem loquitur in opere Elucidatio Terræ Sanctæ *vol. I. pag. 412-416:* «Et si ex «pietate [Sacerdotes] volunt... Missam celebrare, sat illis erit duabus horis ante ortum solis absque privilegio celebrare.» Hac opinione tamen, 16 minutis ad summum ante horam communem, Hierosolymis quandoque Missa inchoaretur.

[2] Hoc privilegium concessit omnibus Martinus V. die 12 Martii 1421 per Bullam *Sinceritas vestræ devotionis*, quam die 3 Martii 1727 confirmavit Benedictus XIII. in Bulla *Loca Sancta Palæstinæ*. Prior igitur Pontifex ita loquitur: «Hinc est quod nos, vestris devotis precibus inclinati, ut Missam, priusquam illucescat dies, etiam per duas horas ante «diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, vobis ac vestrum singulis ac successo«ribus vestris Ordinis Minorum fratribus, in Presbyteratus tamen ordine constitutis, necnon omnibus et singulis catholicis «Sacerdotibus cujuscumque status, dignitatis, gradus, Ordinis et conditionis exstiterint, ad ipsa loca Terræ Sanctæ causa «piæ devotionis peregre profectis, liceat ad spiritualem eorumdem peregrinorum fructum et consolationem, et celeriorem «et opportunam ipsorum expeditionem ... in præfatis et aliis Terræ Sanctæ devotis Oratoriorum locis celebrare.» Igitur, juxta interpretationem Moralistarum, vigore hujus privilegii Missa dici poterit duabus horis antequam alii Sacerdotes

celebrare sine privilegio possunt; nempe duabus horis et viginti minutis ante auroram, vel quatuor horis ante ortum solis juxta Quaresmium, qui in opere ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ *vol. I. pag. 412-416* hanc explicationem tradit.

[3] Hoc singulare privilegium, quod novissime etiam SANCTUARIO DE LOURDES in Gallia per Sedem Apostolicam novimus indultum, concessit Palæstinæ Locis Summus Pontifex Callistus III. in Bulla incipiente *Devotionis vestræ ardor*, quæ in Opere P. Francisci Quaresmii ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ *vol. I. pag. 324*, integra refertur. Ibi enim, inter alias gratias, hæc etiam legitur concessa: « Et omnes Sacerdotes Terræ Sanctæ, sive residentes sive peregrini, et tam Religiosi quorum- « cumque Ordinum sint, sive sæculares, a media nocte usque ad horam nonam, si necessitas urgebit, valeant celebrare... « Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ 1457, pridie nonas Februarii, pontificatus nostri anno 3. » Hanc autem Bullam et gratias in ea contentas multi alii Pontifices confirmarunt, et ultimo Benedictus XIII. per Bullam *Loca Sancta Palæstinæ*, datam Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ 1727 V. nonas Martias pontificatus sui anno 3, ut notat quoque ELENCHUS CÆREMONIARUM TERRÆ SANCTÆ pag. 336-337. Istius porro usus privilegii etiam hodie in Sanctuariis Palæstinæ viget; præsertim apud Sanctissimum Christi Præsepium, necnon apud alia similiter Loca pro quorum visitatione Peregrinantibus una tantum dies reservatur.

[4] Etenim diebus Peregrinationum, præterquam quod sæpissime in iis Terræ Sanctæ Locis decantatur Missa, ubi nulla adest Chori obligatio, immo sæpe in Sanctuariis aut per nullos aut per Infideles vel Schismaticos occupatis; plerumque ab ipso Peregrinantium Comitatu Votiva concinitur, qui neque ad Officiaturam Choralem obligantur, neque attendere Horam diei Canonicam interdum possunt, neque jure exigere ut Communitas Religiosa in Sanctuario quovis immorans, debeat cum gravi incommodo ab eis in Officii recitatione dependere.

[5] Hæc enim est Hora diei Canonica, post quam Missæ omnes votivæ canuntur, quæ non sunt *pro re gravi* aut *pro publica Ecclesiæ causa*, vel ex iis quæ cuilibet Feriæ per Hebdomadam assignantur apud Missale Romanum, ac vi Rubricarum Generalium sub Titulo IV. num. 3 in diebus non impeditis celebrantur etiam pro Missa Conventuali. Ita expresse docent Pater Aloysius de Carpo in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 16 in fine*, cl. De Herdt SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS *part. I. num. 37 nota 2*, ac demum Raphaël Patroni LEZIONI DI SACRA LITURGIA *vol. 2 Tratt. I. num. 88* inquiens: « Le altre Votive per fondazione o per altro obligo, o che si chiedono dalla pietà dei fedeli, secondo il Gujet « il Merati ed altri, si debbono dire dopo Prima. »

[6] Quod enim non est licitum in lege, reddit licitum aliquando necessitas. Hinc ipsamet Sacrorum Rituum Congregatio, uti cl. De Herdt SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS *part. I. num. 37 nota 3* refert, jam quoad Missam vel Conventualem de Officio occurrente declaravit *die 22 Januarii 1678 in Gadicen. ad 5, 6 et 7:* « Rubricam Missalis de hora ce- « lebrandi Missam Conventualem observandam esse, non obstante statuto aut consuetudine quacumque; indulsit tamen, ut « propter Processionem in festo SS. Corporis Christi Missarum solemnia post Nonam peragantur, non tamen infra eamdem « Octavam, licet fiat Processio. » Immo, hanc facultatem celebrandæ solemniter Votivæ ante vel post Missam Conventualem, Sancta Sedes expresse concessit per Indultum sub num. XI°. in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI pag. 18 relatum, in quo celebrare annuit: « Missas votivas solemnes, ut in Festo Visitationis... **ante vel post Missam Conventualem de die** « (horis a Rubricis præscriptis celebrandam). » Hujusmodi autem necessariæ anticipationis casus, ut alios quoscumque omittamus, occurrit sæpius apud Conventum Sanctissimi Sepulchri; ubi Functiones Schismaticorum aliquando cogunt Missas hora tertia post mediam noctem decantari. Illic igitur, cum hujusmodi casus habetur, retenta Missa Conventuali suo tempore legenda post Horam Canonicam pro Officii qualitate a Rubricis præmitti ordinatam, canitur ante Primam Missa votiva de Resurrectione Domini. Atque demum ita efficitur in aliis similiter anticipationis vel prolationis casibus.

[7] Unum e pluribus exemplum habetur in priori Festo Septem Dolorum Mariæ Virginis, sub finem Martii apud Missale Romanum assignato, quoties occurrat cum festivitate Sancti Gabrielis Archangeli. Ea siquidem die in loco apud Montem Calvariæ, ubi Virgo depositum e Cruce Filium accepit, ob concursum populi et Religiosorum illuc peregrinantium, cani posset una Missa solemnis juxta Missalis Romani Rubricas sub Titulo VI.; ac simul celebrari licent omnes Missæ tum privatæ tum solemnes, vi Rescripti sub die 31 Augusti anno 1865 concessi. De hac posteriori Votiva loquimur, cum de priori propositum nobis non sit disserere. Missa igitur solemnis etiam ex Indulto recitanda, extra casus necessitatis, locum habet post Nonam: I°. Quia, etiam exceptis Commemorationibus, Missa est vere de Festo impedito, quæ juxta Patrem Aloysium a Carpo in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 32* locum habere debet post Nonam; II°. Finis hujus Rubricæ ita exponitur in casu a Raphaële Patroni LEZIONI DI SACRA LITURGIA *vol. II. Tratt. I. num. 157:* « La seconda [Messa si dice] « del Santo che si trasferice, dopo Nona, per dar comodo al popolo di riunirsi »; quod commodum concurrentis populi, etiam in Rubricis generalibus Missalis Romani sub Titulo XV. num. 3 et 5 nominatim respicitur.

[8] Privilegium enim, a Callisto III. concessum et a Benedicto XIII. confirmatum, nullatenus distinguit inter Missas votivas et non votivas, neque inter Sanctuaria vel Loca quæ uti talia generatim non reputantur.

---

## TITULUS SEPTIMUS.

## DE SACERDOTIBUS QUIBUS PERMITTITUR

### MISSARUM VOTIVARUM CELEBRATIO.

**55.** Missæ votivæ quæ assignantur in propriis Locis quamvis ædificium sacrum vel Altare fixum nondum habentibus celebrandæ, aut dicendæ in Ecclesiis ad quas Indulgentia Plenaria cujusdam Sanctuarii fuerit olim perpetuo translata, ibique perseveret [1]; per quoslibet et solos (in omni casu etiam sequenti) Latini ritus Sacerdotes tum Peregrinos tum

ibi stabiliter degentes, die tamen ex Indulto Apostolico juxta respectivam Sanctuarii Classem libera, possunt ibidem recitari. [2]

**56.** Votivæ autem quæ proximiori dumtaxat Loco celebrandæ statuuntur, ab omnibus item Latinis Sacerdotibus, ut supra innuitur, semper valent adhiberi; quoties distantia a quovis Sanctuario brevior intercedat, eoque magis si ad Mysterium non procul inde peractum jugiter recolendum, Ecclesia aut Oratorium vel Cappella, omnibus publice patentia stabiliterque erecta illic inveniantur. [3]

**57.** Hinc Missæ quæ designantur pro ingressu Peregrinorum in Terram Sanctam, atque pro eorumdem exitu a Palæstinæ Locis; item Votivæ quæ in Ecclesiis et Locis omnibus ad oras Lacus Tiberiadis recitandæ apponuntur, quarum Mysteria in medio illo mari undique peracta sciuntur; ac demum Votivæ, quæ dici remotiori solum a Sanctuariis Loco interdum possent: extra dies a Rubricis Missalis Romani permissos, ordinarie celebrari nequeunt, nisi a Peregrinis durante Peregrinationis tempore; vel a Sacerdote solum qui saltem coram Peregrinantibus quibusvis, maximeque de eorum rogatu, rem divinam operatur. [4]

**58.** In die nihilominus quarumcumque Personarum ac Mysteriorum propria, Missæ ad superiorem Rubricam secundo ac tertio loco indicatæ, ab omnibus æque Sacerdotibus advenis simul et incolis congrue valent celebrari; iis quidem diebus eodemque ritu, qui jam in Quarto præsentium Rubricarum Titulo clarius explicantur. [5]

**59.** In aliis vero casibus nulla inter Sacerdotes advenas, et eos qui fixe Sanctuarium inhabitant, differentia ponitur; sive quod dies Votivæ omni apud cujusvis Ordinis seu Classis Sanctuaria celebrandæ præstitutos, sive quoad alias quascumque gratias intuitu Missarum hujusmodi aut semper aut aliquando concessas [6]: præterquam in casu, quo Sacerdos aut Peregrinus prima vice ad Sanctuarium accedit; cui ne aliquando ob ritum Festi et Loci distantiam Votivæ prohibeantur, Missam tunc semel cum privilegiis Sanctuariorum majoris Ordinis celebrare et audire ubique conceditur.

**60.** Præter diversa impedimenta, quæ ex alio Rubricarum Titulo vel privatis de causis exsurgere interdum possent, a celebranda Votiva omnino arcetur non solum Sacerdos, qui apud Ecclesias unam dumtaxat habentes Missam Sacrum operatur in casibus ad num. 21 sub Tertio harum Rubricarum Titulo enumeratis: sed omnis qui Candelas, Cineres, Palmas et Fontem Baptismalem antea benedixerit; quum ille per se, excepto Episcopo Diœcesano, Missam subsequentem Officio diei conformem in casu debeat recitare, etiamsi in eisdem Templis plura eo die Sacrificia offerantur. [7]

## ADNOTATIONES IN VII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Respiciuntur his verbis præsertim trina Altaria Ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris, nempe Altare Spiritus Sancti, Sanctissimi Sacramenti, atque Sancti Thomæ; quibus Summus Pontifex Pius IV. per Bullam *Divina disponente clementia*, anno Incarnationis Dominicæ 1561 decimosexto Kalendas Augusti datam, tres Indulgentias Plenarias, quæ in respectivis Locis apud Sanctissimum Domini Cœnaculum a Turcis tunc occupatum erant adnexæ, applicatas voluit. Quas etiam Indulgentias tribus item Altaribus in Ecclesia noviter antiquæ suffecta dignatus est communicare Leo Papa XIII. die 15 Novembris 1885. Igitur hoc modo Celebrantes, qui nequeunt amplius apud Sanctissimum Domini Cœnaculum celebrare, Votivam sic in respectivis Altaribus in ipsa Ecclesia Sanctissimi Salvatoris recitare valent, et Indulgentias quotidie plenarias acquirere: quod sæpissime plures jamdiu desideraverant.

[2] Nullam siquidem distinctionem faciunt inter Sacerdotes advenas et Sanctuarium jugiter incolentes, anteriora Indulta, quæ nos in Opusculo Ratio Missalis Votivi pag. 17-24 in compendium redegimus; nullamque inter eos induxit differentiam praxis tot sæculorum decursu et ubique, etiamque nunc per Communitates a Franciscanis diversas servata. Immo, Rescriptum sub die 31 Augusti 1865 datum, expresse quæsitum fuit ut omne circa rem hanc dubium excludatur; quod etiam Rmus Pater Seraphinus Milani Terræ Sanctæ Custos testabatur in Epistola, quam die 14 Novembris ejusdem anni ad Hierosolymitanum Patriarcham scripsit, et his quidem verbis: «[Ma poichè] altri credevano estensivo il pri-« vilegio ai soli Francescani, altri anche ai secolari; così più volte era stato domandato di farne una conferma generica « e determinata, per togliere tutte le difficoltà: ed ecco la ragione dell'ultimo Rescritto.»

[3] Ita per Indultum Apostolicum sub die 31 Augusti 1865 datum, omnibus generatim Sacerdotibus sine ulla distinctione conceditur ceu Votiva primæ Classis: «III°. In sacro Cœnaculo, aut in loco eidem proximo, pro tempore quo illud «Sanctuarium erit in manibus Infidelium; — Missa votiva de Sanctissimo Sacramento, vel de Spiritu Sancto.» Et merito quidem; nam quoties locus et multo magis ædificium non valde a proprio Sanctuario noscitur distare, Missa **moraliter** in ipso Sanctuario celebrari reputatur, eædemque rationes in utroque casu videntur recurrere. Hoc autem, quod circa aliquas Viæ Dolorosæ Stationes teneri potest, quarum nempe Mysterium, licet in media peractum Via, tamen ad quoddam latus ejusdem Viæ colitur; occurrit nominatim pro loco ubi Dominus flevit super Jerusalem. Illud namque Mysterium, prout infra

pag. 60 in nota 1 advertemus, juxta Anonymi Franciscani Descriptionem anno 1427, est actum « in via publica, montem Oliveti ascendendo »; ad cujus viæ dextrum latus, novissime Cappellam Franciscani ædificatam voluerunt, postquam eis veteris ad dexterum latus Cappellæ, in Mesquitam conversæ, aliquando redimendæ spes evanuit. In hoc enim præsertim casu et aliis ipsi affinibus, eamdem omnino cum Loco Sanctuarii tenent relationem sive vetus sive novum Oratorium ad honorem Mysterii illic erectum.

[4] In unoquoque ex tribus casibus, cum Missæ votivæ aut in eodem moraliter loco non recitentur, aut ad Celebrantes non admodum pertineant; æquum non est ut Missam occurrentis Festi impediant, nisi cum a Peregrinis vel coram Peregrinis vel in die propria recitentur. Hac porro regula casus infrequentior est, et devoti Peregrini aliquam majorem concessionem merentur; quippe quod secus et Mysteria quædam semper omitterentur, et Peregrini consolatione taliter Mysteria illa recolendi perpetuo forsan carerent.

[5] Dispensatio namque a gravibus Ecclesiæ legibus, quæ Votivam semper et ab omnibus dicendam ratione Loci non admodum propinqui satis improbarent; commendatur aliquando ratione diei in honorem Mysteriorum ac Personarum specialiter consecrati. Quoties enim hac die saltem Missa votiva celebrari non liceret, Mysteria præsertim quæ Officio careant, sæpius nullum honorem in locis proximioribus habere possent; quod non videtur esse admittendum, spectata etiam devotione Fidelium ac Sanctuariorum dignitate.

[6] Cf. quoad permissos Votivis dies, nota 3 et 4 in Tertium harum Rubricarum Titulum. Demumque perfecta inter Celebrantes quoslibet uniformitas et paritas, requiritur etiam ob cultum Sanctuariis omnibus hac simul ratione per Votivas præstandum, qui a Peregrinis non semper præsentibus exhiberi dignius posset; necnon ut juxta anteriora quævis Indulta etiam piæ devotioni eorum fiat satis, qui ad Sanctuariorum custodiam jugiter ibidem commorantur.

[7] Sacra enim Rituum Congregatio duobus Decretis, *1 Septembris 1838 in Pinerolien. ad 1 et 2* necnon *23 Septembris 1848 in Liburnen. ad 8* publicatis, declaravit non licere Parochis, immo neque Episcopis Administratoribus, benedicere Fontem Baptismalem in Sabbato Sancto aut Vigilia Pentecostes, Candelas in Festo Purificationis, Cineres Feria IV. post Dominicam Quinquagesimæ, Ramosque Palmarum in Dominica ejusdem nominis, quin deinde per seipsos Missam celebrent; quoniam **id unice competit Episcopis Ordinariis.** Casus tamen præsens aliquantulum ab illo differt, quem ad num. **21-22** in Tertio Rubricarum Titulo et subjecta nota 6 pertractavimus: ibi namque dicitur, habendam semper esse Missam de Officio currente in Templis ubi unus Sacerdos tantummodo celebrat, si inibi tales Functiones agantur; hic autem advertitur, Missam Officio diei conformem celebrandam esse ab eisdem ipsis Sacerdotibus, excepto Ordinario Diœcesano, qui Functiones illas antea peregerint.

---

## TITULUS OCTAVUS.

## DE COLORE VARIO PARAMENTORUM

### IN MISSIS VOTIVIS.

**61.** Ad Missas votivas de Personis earumque Mysteriis, quæ anniversaria celebritate recoluntur per totam Ecclesiam aut in respectivis Locis, idem generatim color atque in die Festo eorumdem Mysteriorum ac Personarum adhibetur, quocumque anni tempore ipsæ Votivæ recitentur. [1]

**62.** A regula superius indicata excipiuntur: I°. Missa votiva *Humiliavit* de Passione Domini, in qua jugiter color adhibetur violaceus, quamvis in die Festo respectivo sub Feria III. post Dominicam Sexagesimæ ordinarie celebrando rubeus color ordinetur [2]; II°. Missa votiva de Sanctis Innocentibus, in qua semper etiam per Octavam utendum est colore rubeo, etsi violaceus in ipsa die Festi extra Dominicam occurrentis requiratur apud Ecclesiam, illis ratione Patronatus aut totius quidem Ædis Tituli aut Reliquiæ insignis, haud propriam. [3]

**63.** In aliis autem quibuscumque Votivis Festum suum in Kalendario respectivo non habentibus, generatim color albus adhibetur, si Missæ referantur quomodolibet ad Beatam Mariam Virginem, ad Angelos vel Archangelos, atque ad alios Sanctos Viros aut Mulieres, qui ceu Christi Martyres [4] ubique aut pro hisce Locis per Ecclesiæ Decreta et praxim non agnoscuntur. [5]

**64.** In omnibus Votivis ad Dominum pertinentibus, quæ item Festum suum minime habeant, color albus, aut violaceus, aut rubeus pro Missæ natura requiritur: albus quidem, in Votivis quæ Miracula Christi, ejusque Gesta ante Passionem acta considerent; præter duas Missas in Locis ubi Dominus egit Quadragesimale Jejunium, atque ubi flevit super urbem Hierosolymam respective celebrandas, quæ colorem violaceum congruenter exposcunt [6]; violaceus autem exigitur in Missa *Humiliavit* extra diem propriam recitanda, atque semper in Missis omnibus de Passionis Dominicæ Mysteriis ubi nulla sanguinis effusio vel impressio habeatur, atque etiam in Missa de Sepultura Domini; rubeus denique in omnibus Missis

de Passionis Mysteriis admittitur, in quibus Christum sanguine madentem, eoque Instrumenta Passionis suæ consecrantem recolimus. [7]

**65.** Ad Missas vero Apostolorum et Martyrum votivas adhibendus erit color rubeus, si generatim in tota eorumdem vita, aut speciatim etiam in illorum cruenta morte (quam Joannes Evangelista non est passus), aut sepultura, Reliquiis, Corporis Inventione ac Translatione, eorum Apparitione, Patrocinio, vel similibus Mysteriis; licet communiter cum aliis vitæ Gestis ipsæ Personæ considerentur, atque simul per testimonia, in defectu aptiorum, quæ vitam ipsorum quandoque respiciant [8]: color autem albus, quoties iidem Sancti in aliquo solum eorumdem vitæ Mysterio apud Sanctuaria propria peracto nominatim recolantur, in quo nullatenus de sanguinis effusione aut quomodolibet ipsorum violenta morte res agatur. [9]

**66.** Demum in duabus Missis votivis, quæ pro ingressu Peregrinorum in Terram Sanctam et pro eorumdem exitu ab iisdem Palæstinæ Locis collocantur apud Missale Votivum, color albus congruenter assignatus manet; quoniam ambæ plus minusve Missas pro Gratiarum actione imitantur. [10]

**67.** Nihilominus, ut Sacerdotes maxime Peregrini, Sacristæ vel Ductores Peregrinantium quaslibet evitent difficultates in Sacri celebratione, apud Tabellam inferius edendam suis quibusque Missis votivis color præstituitur; qui semper etiam in die propria adhibendus erit, præterquam ad Missas quæ sub num. 2 hujus Octavi Rubricarum specialium Tituli indicantur.

## ADNOTATIONES IN VIII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hæc doctrina clare etiam deducitur e Rubricis generalibus Missalis Romani sub Titulo XVIII., ubi agitur *De coloribus Paramentorum*. Ibidem namque num. 2, postquam enumerata sunt Festa in quibus Ecclesia colore utitur albo, adjungitur: « In Missis votivis supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur. » Insuper, num. 3 ubi de colore rubeo quibusdam in Festis requisito habetur sermo, additur circa finem: « Item in Missis votivis supradictorum Festorum. » Et recte quidem hæc ordinantur, quia uti notat cum omnibus Liturgicis Auctoribus Gavantus *part. I. Tit. XVIII. in Rubr. 2:* « Sequitur naturam principalis Festi id quod est votivum; et militat eadem ratio coloris in Votivis, quæ in Festis. »

[2] Quamvis generalis Rubrica Missalis Romani sub Titulo XVIII. num. 5 colorem violaceum requirat « in Missis de Passione Domini »; attamen in die Festo, necnon per Octavam si quando hæc habeatur, adhibendus erit color rubeus. Etenim: I°. In Festo admittitur ad Officium *Te Deum* et ad Missam *Gloria in excelsis*, quæ omnia simul cum colore violaceo stare non possunt; II°. Hoc autem deducitur etiam argumento *a fortiori*, postquam S. R. Congregatio *24 Novembris 1883 in una Dubiorum ad 2*, declaravit in Missa de Passione, quando correspondet Officio votivo, quod minus est quam Festum, utendum esse colore rubeo. Juxta enim praxim, Missam de Festo occurrente quando eadem sit cum Votiva quapiam, dicendam esse more festivo atque cum specialibus etiam Orationibus Festivitatis, alibi jam advertimus.

[3] Alteram exceptionem pro Votiva Sanctorum Innocentium, quæ ab Auctoribus Liturgicis generatim admittitur, Meratus ex ipsa generali Rubrica Missalis Romani sub Titulo XVIII. vult esse repetendam, ajens *part. I. Tit. IV. num. XXXVI:* « Ita ex Rubrica Missalis citata *num. 3*, quæ absolute docet: *Rubeo colore utitur in Missis votivis supradictorum Festo-* « *rum:* inter quæ numeratur etiam Festum Sanctorum Innocentium. » Hæc autem applicari possunt diebus infra Octavam quoque eorumdem Innocentium; quoniam cum de illis integrum non agatur Officium, Missa ipsorum, uti ait Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 24*, dicenda est **more votivo.** Exceptiones demum in ipsa die Festi extra Dominicam occurrentis, pro Patrono quidem vel Titulari totius Ecclesiæ admittit post Cavalerium Pater Aloysius de Carpo *Ibid. part. IV. num. 267;* pro Ecclesia vero Reliquiam eorumdem Innocentium insignem habente, Ephemerides Liturgicæ, Anno 1897 pag. 11-24.

[4] E Rubrica generali Missalis Romani, quæ sub Titulo XVIII. num. 2 refertur. Nulla enim datur exceptio, ne pro Festo quidem Septem Dolorum Mariæ Virginis e Decreto S. R. Congregationis *16 Septembris 1673 in Corduben. ad 1*, neque pro Festo Sacrorum Stigmatum Sancti Patris Nostri Francisci e Decreto ipsius S. R. Congregationis *9 Decembris 1623 in una Urbis* apud Gavantum relato; quamvis utrobique alius forsan color quam albus, ex ipsis Inquirentium dubiis probabiliter sumendus fuisse videretur.

[5] Potest enim casus contingere, ut quidam Sanctus alibi in Proprio Diœcesum habeatur ceu Christi *Martyr*, atque in Palæstinæ Locis solum ceu *Confessor* Domini reputetur. Exemplum tale occurrit quoad Votivam Sancti Nicodemi, prouti jam apud hoc Missale Votivum Terræ Sanctæ pag. 130 nota 3 indicavimus. In hoc igitur casu, quo et Sanctus Lazarus Marthæ ac Mariæ frater comprehenditur, quum Votiva sequatur naturam Festi recitantibus olim concessi; si quando hujusmodi discrepantia inter diversa Loca recurrit, Decretum respectivæ concessionis aut morem in istis Locis observatum attendimus.

[6] Violaceus color, prouti loquitur Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 249:* « Est quasi lividus, prouti ex carnis maceratione et afflictione consurgit, ideo diebus **jejunii**, et pœnitentiæ ac **mœstitiæ** « usurpatur. » Hinc optime exigitur in duabus Votivis in quibus Christum Quadragesimali Jejunio vacantem, atque dein super Jerusalem lacrymas profundentem veneramur; iis nempe ferme de causis, ob quas in Festo Sanctorum Innocentium extra Dominicam occurrente colorem ordinarie violaceum adhibemus, etsi possemus de triumphis eorum collætari. Quod si in

Dominica IX. post Pentecosten viridis plerumque deposcitur, hoc ideo fieri novimus, non solum quia Missæ testimonia excepto Evangelio Mysterium non considerant; sed etiam quoniam communi Dominicæ per annum proprius non est per se color ordinatus, ita ut cujuslibet color Octavæ infra quam Dominica illa recurrit, vi generalis Rubricæ Missalis Romani sub Titulo XVIII. num. 4, assignatus illi maneat. Nihilominus, in Votiva de Quadragesimali Christi Jejunio posset, ob ejus contra diabolum victorias, color forsan albus adhiberi; sed melius utrobique violaceus retinebitur, quem in Dominica I. Quadragesimæ ac Dominica Palmarum, quæ utrique Mysterio dies est propria, jam videmus fuisse attributum.

[7] Hac nota solum agimus de colore violaceo vel rubeo, qui in Missis de Passione Domini secundum casus exposcitur; quoniam de Mysteriis album requirentibus nulla gravis difficultas exsurgere posset. Ratio igitur Mysterii cruenti vel incruenti est causa, ob quam color rubeus adhibeatur in Festis Sanctæ Crucis ac Pretiosissimi Sanguinis, necnon ex Decreto S. R. Congregationis *23 Aprilis 1875 in una de Venezuela ad 2,* in Festis de [Mysteriis atque] Instrumentis Dominicæ Passionis. Hoc autem expresse tradit Raphaël Patroni Lezioni di Sacra Liturgia *vol. II. Tratt. I. num. 58 atque in subjecta nota 2,* ajens rubeum colorem adhiberi: « Nelle due Feste della Santa Croce pel sangue onde fu tinta, e in quella « del Preziosissimo Sangue... Quindi anche nelle Feste dei Misteri ed Istrumenti della sua Passione. » Hinc in aliis Missis de Passione Domini, ubi nulla sanguinis effusio vel impressio colitur, prouti sunt aliqua Mysteria Passionis in Horto Gethsemani peracta; color violaceus videtur retinendus. In Missa demum de Sepultura Domini idem violaceus color assignatus manet; idque: I°. Quia per eam Votivam sicut in Missa *Humiliavit,* mors Domini quodammodo recolitur; in qua tamen Passionis Missa, uti ait cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 49. Q. X. R. 4,* violaceus requiritur « ob dolorem, quem de ea et ex ea concipere debemus »: II°. Niger color in loco ubi lætissima etiam habenda est Dominicæ Resurrectionis Missa, nimis in omnium æstimatione Fidelium repugnaret; et ideo violaceus aptior, qui insuper a S. R. Congregatione *Decreto Generali 23 Julii 1868,* ob causam ferme similem, assignatur etiam ad Missas Defunctorum cum expositione Sanctissimi Sacramenti die 2 Novembris celebrandas.

[8] Quando Personæ generatim in tota earumdem vita considerentur, et præsertim quoties unicum Festum habeant; color rubeus Martyrii, ad Officium et Missam tunc semper inclusi, prævalet colori albo aliis ipsarum vitæ Mysteriis convenienti. Ita ad Missam Sanctæ Theclæ Virginis et Martyris sub die XXIII. Septembris celebrandam, qua ejus obitum incruentum colimus, exigitur color rubeus, quia Virgo illa in toto vitæ suæ tempore consideratur, atque etiam quia non habet sicuti Joannes Evangelista aliam diem Martyrio suo specialiter consecratam. Hoc autem in casu, quemadmodum et cum de solo illarum Personarum Martyrio nominatim agitur; semper color rubeus ordinatur, licet quandoque deficientibus testimoniis aptioribus, sumantur textus vitam eorum potius considerantes: prouti fit in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli sub die XXIX. Junii celebrando, in quo adhibetur color rubeus; quamvis ad Epistolam memorentur ejus Vincula, quæ alias in peculiari Festo sub die I. Augusti colorem album exposcunt. Hinc ad Missas Apostolorum ac Martyrum ubi agitur de eorum visionibus, de vocatione ad Discipulatum vel Apostolatum Christi, de Apparitionibus unde a Magistro post Resurrectionem suam honorati sunt, color albus assignatur; uti ad Missam Sancti Cleophæ Martyris in loco ubi agnovit Christum in fractione panis dicendam: in aliis vero casibus, requiritur rubeus; prouti ad Missam Sancti Jacobi Apostoli celebrandam in ejus Sanctuario apud urbem Japhiam, in quo nullum præcise Factum veneramur, etsi testimonia vitam respiciant.

[9] Omissa etiam mystica significatione, quæ juxta Gavantum *part. I. Tit. XVIII. in Rubr. 2.* necnon juxta Raphaël Patroni Lezioni di Sacra Liturgia *vol. II. Tratt. I. num. 57.,* colorem album in exsistentibus Apostolorum ac Martyrum Festis suadet; ita brevius rem explicat cl. De Herdt in Opere Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 49. Q. X. R. 2°*: « Rubeus [color adhibetur]... in Festis... Martyrum ob fusum sanguinem. Quæ ratio cum non ita inveniatur in Festo « principali Sancti Joannis Apostoli, Conversionis Sancti Pauli, Cathedræ Sancti Petri et ejus Vinculorum, idcirco in his « adhibetur albus. » Quapropter Sacra Rituum Congregatio *die 1 Junii 1876 in Ruremunden. ad dub. II. Q. 1,* declaravit adhibendum esse in Festo Divisionis Apostolorum colorem album. Hinc etiam, ob fusi nempe carentiam sanguinis, in Officio ac Missa de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ color item albus assignatus mansit. Igitur, in aliis quoque Votivis Apostolorum vel quorumlibet Martyrum Festum non habentibus, ut dignoscatur color rubeus vel albus juxta casum adhibendus, sedulo inspici oportet utrum earum Mysteria cruenta fuerint an incruenta.

[10] In Missa quidem pro ingressu Peregrinorum in Terram Sanctam, preces effunduntur enixæ ad uberiores Peregrinationis fructus assequendos, non tamen violaceus color adhibendus videtur; quoniam semper adest gaudium de felici eorum adventu in Sancta Loca, requirens colorem album in casu potius quam violaceum.

---

## TITULUS NONUS.

## DE RITU JUXTA DIVERSITATEM TEMPORIS SERVANDO

### IN MISSIS VOTIVIS.

**68.** Missæ omnes votivæ, quamvis tono feriali apud Sanctuaria minoris Ordinis plerumque concinendæ, jugiter participant aliquid de Festis, quorum sunt vel possunt esse Votivæ [1]; hinc ad illas, prouti infra suis Rubricarum specialium Titulis explicabitur, ritus semper festivus omnesque numerice partes secundum diversitatem Temporis, aut Communis per annum, aut Quadragesimalis post Septuagesimam, aut demum Paschalis usque ad Tri-

nitatem addendæ requiruntur, atque in respectivis Solemnitatibus, quæ tum agantur reipsa aut agi interdum possent. [2]

**69.** Hinc ad Missas votivas locum non habet ritus ferialis, qui aliquando per Hebdomadas a Septuagesima ad Pascham, et a Resurrectione usque ad Sabbatum infra Octavam Pentecostes occurrentes, necnon in Feriis Adventus, et diebus omnium Quatuor Anni Temporum et Vigiliarum cum jejunio, peculiariter ordinatus cernitur; quique simul ad Festa eo tempore occurrentia, et ad alias Votivas communes non soleat adhiberi. [3]

**70.** Quare si Missa quæpiam ex iisdem ferialibus accepta diebus, per legitimæ Auctoritatis permissum, fuerit more votivo recitanda in Palæstinæ Sanctuariis: per additionem detractionemque partium, quarum præsentia vel defectus ferialem constituit ibi ritum, reducenda omnino erit ad festivum; atque ita iis etiam Feriis oportebit ipsa recitari, ubi apud Missale Romanum collocata invenitur. [4]

**71.** Quoties Votivæ apud Missale Romanum ejusque Appendicem collocatæ, ratione Temporis aut Solemnitatis et Octavæ, quibus præcise illæ assignantur; aliquas partes vel penitus non habeant, vel absolute extra eorumdem ambitum dierum incongruas: in utroque casu erunt omnia convenienter ex alio supplenda loco, ne in Votivis extra dies illos celebratis ritus et veritas verborum ad Introitum, Orationes aliamve generatim Missæ partem impune violentur. [5]

**72.** Ne autem arbitrio Sacerdotum private publiceque celebrantium, cum nimia debiti ordinis et uniformitatis perturbatione, negotium hoc relinquatur: suis apud Missale Votivum Terræ Sanctæ locis, quænam in Votivis e Romano desumptis debeant respective adjungi, auferri, corrigi mutarique, ad singulos indicantur casus [6]; necnon Missæ noviter exaratæ talibus ubique testimoniis vel partibus conficiuntur, ut omnes sine detrimento ritus ac veritatis verborum quotidie possint, sine ullo ad Festa eorumque Octavas vel præcisa Tempora respectu, congruenter adhiberi. [7]

**73.** Quoniam vero non solum Apostoli, sed etiam omnes Christi Martyres aliam de Communi habent Missam pro Tempore Paschali, aliamque pro cæteris infra annum diebus: ad evitandas pariter difficultates ex isto forsan capite exorituras, Missa quælibet apud Missale Terræ Sanctæ Votivum utrisque assignata, semper textibus propriis conficitur [8]; neque ulla e Missali sumitur Romano, præter Votivam solummodo de Natali Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ atque alteram de Sanctis Innocentibus, utpote testimoniis Scripturarum propriis et idcirco secundum Tempora invariatis jugiter constantes. [9]

**74.** Quoties demum insequentibus annis, ob redemptum aliquod Sanctuarium aliamve causam, concessio alicujus Votivæ noviter impetranda esse videatur: ut evitentur quoque in posterum cujusvis generis difficultates hucusque excitæ, una cum supplici Libello exponatur jugiter approbationi Sedis Apostolicæ Missa testimoniis propriis et omni Tempori sufficientibus effecta; vel ibidem saltem quænam fuerint in sumptis e Missali Romano Missis, præsertim Apostolorum ac Martyrum, secundum casus auferenda vel addenda vel corrigenda, opportune ab eis ad quos negotium hujusmodi pertineat, semper indicetur. [10]

## ADNOTATIONES IN IX. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ista expresse notat Meratus *part. I. Tit. IV. num. XLV.*, et his quidem verbis: « Quia Missæ votivæ non sunt « Missæ de Tempore, et participant aliquid de Festis, quorum sunt [*et in casu nostro,* vel etiam possunt esse] Votivæ. » Idemque sentit Gavantus *part. IV. Tit. XVII. num. 11:* « Si Missæ dicantur votivæ... vere non sunt Missæ de Tempore... « et sic Votivæ participant de Festis, quorum sunt Votivæ... Omnes autem Votivæ institutæ sunt in eodem gradu, licet « aliqua minus solemnitatis visa sit habere, quam aliæ, ut de Passione, pro peccatis, infirmis, et ejusmodi. »

[2] Festa quidem Personarum cum integro Officio recolenda, ad quas Votiva refertur aut referri posset, has tantum mutationes secundum tria Tempora faciendas quotidie requirunt sine ulla exceptione: I°. A Dominica Septuagesimæ usque ad Pascham, omissis post Graduale *Alleluja* cum Versiculo sequenti, recipiunt Tractum; II°. A Dominica Resurrectionis usque ad Sabbatum infra Octavam Pentecostes, admittunt duplex *Alleluja* ad Introitum, atque unum ad Offertorium et Communionem, necnon post Epistolam absolute exigunt semper duos Versus inter quatuor *Alleluja;* III°. Aliis diebus omnibus per annum, post Epistolam exposcunt Graduale, cum sequenti Versiculo inter trina *Alleluja* collocato.

[3] Iste ritus Feriarum tantummodo proprius aliquando servatur, qui tamen ad Festa tum occurrentia non admittitur; nempe: I°. A Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando resumitur Missa Dominicæ præcedentis, necnon Feria III. V. et Sabbato per Quadragesimam omittitur Tractus; ac post Dominicam Passionis omittitur Psalmus *Judica*, et *Gloria Patri* ad Introitus Antiphonam ac Psalmum *Lavabo:* II°. Infra Octavam Resurrectionis adest Graduale atque *Alleluja* cum

Versiculo sequenti; in Rogationibus ac Feria IV. infra Octavam Pentecostes unus habetur Versus post Epistolas, in Vigilia et Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes assignatur insuper Tractus: III°. In Feria IV. et VI. Quatuor Anni Temporum atque in Vigiliis cum jejunio, reticetur *Alleluja* cum Versiculo sequenti; in Sabbato vero Quatuor Temporum locatur ante ultimam Epistolam Tractus: IV°. Demum, in Feriis Adventus omittitur *Alleluja* cum Versiculo sequenti.

[4] Indultum Apostolicum sub die 31 Augusti 1865 editum bina hujusmodi exempla comprehendit. Enimvero, ibidem inter Votivas primæ Classis conceditur: « XI°. Ad Lacum Tiberiadis; — Missa uti in Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri « et Pauli die 28 Junii; Oratio tamen ut in die Cathedræ Sancti Petri *Deus qui beato Petro.* » Insuper, inter Votivas secundæ Classis indulgetur: « VI°. In loco seu Antro Deserti ubi Præcursor Domini vitam degit usque ad id temporis, quo « penes fluvium Jordanum prædicare cœpit baptismum pœnitentiæ; — Missa ut in Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, « cum Evangelio uti in Dominica IV. Adventus. » Ex iis quæ hucusque diximus in nota 1, ambæ Missæ reducendæ sunt ad ritum festivum etiam respective sub die XXIII. et XXVIII. Junii, ut Missa Hymni Angelici et Symboli sic privilegia servet, ac Sanctuario conveniat: addendo nempe duplum *Alleluja* cum sequenti Versiculo, inibi ratione ferialis ritus deficientia.

[5] Cf. ea quæ alibi disseruimus ad notas 2, 3 et 5 sub Primo præsentium Rubricarum Titulo.

[6] In anterioribus Indultis, hujusmodi additamenta et ablationes correctionesque verborum seu partium, aliquatenus vel etiam omnino sæpius omittebantur; prouti infra notabimus, quum de singulis Missæ partibus sermo specialis instituetur.

[7] Hoc etiam videmus in praxim usque deductum in novissimis concessionibus Officiorum, quæ Sacra Rituum Congregatio postremis hisce annis, et maxime sub Leone XIII. Summo Pontifice approbavit. In exemplari enim concessionis, generatim Tractus post Septuagesimam atque Versus pro Tempore Paschali et Orationes congruæ in Missis designantur.

[8] Omnia testimonia, exaratis per nos Apostolorum ac Martyrum Votivis præstituta, suis apud hoc Missale Votivum Terræ Sanctæ locis inveniri possunt. Quare si testimonia, non quidem propria at solum appropriata, uti Evangelium *Si quis venit* Sancto Hermenegildo atque Evangelium *Nihil est opertum* Sancto Joanni Nepomuceno specialiter attributum, conservantur utrique Martyri etiam infra Tempus Paschale; multo magis intacta retineri oportebit testimonia Missarum **propria.**

[9] Duæ Missæ de Natali Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ aut de Sanctis Innocentibus Martyribus, videntur hanc Rubricam quodammodo respuere. Enimvero: I°. Pater Aloysius de Carpo, in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 23* agens de Votivis Apostolorum Tempore Paschali celebrandis, ait: « Votiva nihilominus Sancti Joannis « Apostoli et Evangelistæ eadem erit, quæ in illius Festo *Ante portam Latinam.* » II°. Meratus autem *part. I. Tit. IV. num. XXIII.* hanc sententiam peculiarem habet, quam et iisdem fere verbis repetit Raphaël Patroni Lezioni di sacra Liturgia *vol. II. Tratt. III. num. 37;* nempe: « Si requiratur Missa votiva in honorem Sanctorum Innocentium Tempore Paschali, « **poterit** dici Missa, quæ habetur in Missali pro pluribus Martyribus Tempore Paschali, cujus Introitus incipit *Sancti « tui Domine:* sed Psalmus erit *Laudate pueri Dominum*, etc. retinendo tamen semper ea, quæ in Missa propria sunt « peculiaria huic Festo, puta Orationem et Versum post Epistolam. » = Nihilominus nos a sententia, quæ utrasque integre Missas ceu Votivas permisit etiam Tempore Paschali, prouti respective habentur die XXVII. et XXVIII. Decembris, recedendum non esse arbitramur. Enimvero, Pater Aloysius de Carpo non videtur negare Missam, quæ die XXVII. Decembris in honorem Sancti Joannis apponitur, esse propriam; sed tantummodo indicare, commodiorem Sacerdotibus aliis in Locis nullo speciali Mysterio consecratis fore semper alteram ipsius Sancti Missam sub die VI. Maji collocatam, in qua et habentur Versus pro Tempore Paschali ad priorem Missam deficientes. Meratus autem, præterquam quod utitur verbo permissivo **poterit**, suis ipse rationibus traditam destruit sententiam. Re namque vera, si ad Votivam Sanctorum Innocentium servanda sunt ea, quæ **sunt peculiaria huic Festo**, uti Auctor ille voluit: retineri idcirco debent Introitus ejusque Psalmus, Oratio cum Secreta et Postcommunione, Epistola et Evangelium, Offertorium atque Communio: uno verbo, integre ad Missam conservanda sunt omnia, quæ habentur sub die XXVIII. Decembris; sumptis tantummodo Versiculis de Communi ad evitandas omnino difficultates. Advertatur insuper, Introitum *Gaudeamus* cum minori certe proprietate ad Martyres referri, quam Introitum *In medio* ad Sanctum Joannem aut Introitum *Ex ore Infantium* ad Innocentes Martyres: et tamen ex Decreto S. R. Congregationis *29 Novembris 1738 in Carthagenen. ad 1*, servatur Introitus *Gaudeamus* in Missa Festi ad Paschale Tempus transferendi, quæ habeat uti in casu nostro Epistolam aut Evangelium proprium.

[10] Si ista quæ supra dicimus, in praxim usque deducantur, nullæ amplius difficultates insurgere dein poterunt: quarum alioquin respectu, ommissa diligentia quam hic Rubrica commendat, vel temere addi et auferri et corrigi partes deberent ausu privato, in Missis præsertim quæ non habeant Commune; vel incongrue misceri aliquando partes Missarum omnino propriæ cum aliis de Communi; vel quoad Apostolos ac Martyres, duplicem de Communi Missam secundum Tempora habentes, errandi periculum non repelli; vel demum frequentes inutilesque recursus ad S. R. Congregationem haberi.

---

## TITULUS DECIMUS.

## DE INITIO MISSÆ NECNON DE INTROITU IN OMNIBUS VOTIVIS.

**75.** In omnibus Votivis dicitur semper Psalmus *Judica*, et recitatur *Gloria Patri* tam ibi quam ad Introitum postea subjungendum et in fine Psalmi *Lavabo* [1], etiamsi infra Hebdomadam Passionis Missa de Cruce vel Passione Domini aliisve affinibus Mysteriis fuerit legenda [2]; neque omittitur umquam Antiphona ipsius Introitus, quamvis Votiva de Spiritu sancto sit forsan canenda in Vigilia Pentecostes. [3]

**76.** Ad quamcumque Votivam intra Tempus Paschale celebrandam, adduntur in fine Introitus duo *Alleluja* ante Versum Psalmi statim post Antiphonam subjiciendi, quoties jam ibi apud Missale Romanum duo vel plura ex iis lætitiæ verbis non fuerint apposita. [4]

**77.** Missæ autem votivæ de Resurrectione et Ascensione Domini, de Spiritu Sancto, ac de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, itemque aliæ si quæ olim concedentur; Tempore Paschali recitantur ex privilegio semper cum omnibus *Alleluja*, quibus in die respectivæ Solemnitatis et per ejus Octavam illa Introitus Antiphona sociatur. [5]

**78.** Missæ omnes, quæ ratione Temporis Paschalis aut affinis eidem Solemnitatis, apud Missale Romanum cum duobus aut pluribus *Alleluja* ad Introitum inveniuntur; quum extra illud Tempus aut Festum ejusque Octavam fuerint more votivo recitandæ, nullibi vocem illam jubilationis *Alleluja* in Introitu ordinarie possunt retinere. [6]

**79.** Missæ tamen de Resurrectione Domini supra Sanctissimum Christi Sepulchrum, necnon Votiva ad locum ubi Jesus Matri post Resurrectionem suam apparuit, adhibendæ; toto Anni Tempore, præterquam a Septuagesima ad Pascham, recitantur ex privilegio semper cum illis gaudii verbis *Alleluja*, quippe quæ eidem Resurrectionis Mysterio peculiarissimo jure manent appropriata. [7]

**80.** Missæ quævis de Sanctis Apostolis et Martyribus quæ apud Missale Votivum Terræ Sanctæ referuntur, etiamque Votiva de Natali Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ necnon de Sanctis Innocentibus e Missali Romano desumpta, prouti in Nono præsentium Rubricarum Titulo indicatur, sunt omnino propriæ; neque idcirco Introitum aliasque partes pro diversitate Temporis immutant, sed solummodo bina illic *Alleluja* sumunt vel respuunt, quemadmodum videlicet Missæ de aliis generatim Personis seu Mysteriis. [8]

**81.** Si demum aliqua ex Votivis apud Missale Romanum collocata habeat Introitum *Gaudeamus*, quotiescumque extra Festum ejusque integram Octavam fuerit more votivo celebranda, recusat Introitum illum, et alterum accommodatiorem aliunde mutuatur [9]; prouti nempe Missa de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis votiva, quæ proinde extra Solemnitatem et Octavam suam, Introitum e Vigilia propria desumit apud Missale Votivum Terræ Sanctæ. [10]

## ADNOTATIONES IN X. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Omissio illa Psalmi *Judica*, et Versiculi *Gloria Patri* ad Introitum et Psalmum *Lavabo*, locum solummodo habere potest in Missis Dominicæ et Feriæ de Tempore Passionis, et nullimode in Festivis etiam per id Tempus celebrandis, inter quas Votivæ aliquatenus semper referuntur. Ita universim sentiunt Auctores Liturgici, quum generaliter de Missis Votivis aut particulariter de Missis Tempore Passionis dicendis sermonem instituunt.

[2] Meratus *part. I. Tit. IV. num. XXXVIII.* ac simul *part. IV. Tit. VII. num. II.* et de Herdt *part. V. num. 6. II.* expresse nominant Missas de Cruce vel Passione Domini, ne quis falso putaret saltem in hisce Missis omittendos esse Psalmum *Judica* et Versiculum *Gloria Patri* in Introitu et Psalmo *Lavabo*, ob nimiam relationem inter illas ac Tempus Passionis.

[3] Missa enim Vigiliæ, licet ad Spiritum sanctum semper referatur, immo eamdem Secretam atque Postcommunionem habeat quam Dominica Pentecostes, et insuper Evangelium Mysterio magis proprium: quoniam tamen in Epistolæ textu memorat aliam Spiritus sancti descensionem extra Sanctissimum Cœnaculum peractam, non potest ipsa in isto Sanctuario consuetam de Spiritu sancto Votivam impedire; uti ad numerum **28** sub Quarto præsentium Rubricarum Titulo notatur.

[4] Ita Rubrica specialis, quæ pro Votivis ante Missam de Trinitate ponitur apud Missale Romanum: « Tempore « Paschali in fine Introitus dicuntur duo *Alleluja*, et in fine Offertorii et Communionis additur *Alleluja*, ubi non habetur. »

[5] Istæ quidem Missæ, generatim extra Festum et Octavam suam Paschali Tempore celebrandæ, duo tantum *Alleluja* in fine Introitus recipiunt, uti patet ex num. 7 inter NOTANDA QUÆDAM GENERALIA AD MISSALE FRATRUM MINORUM per S. R. Congregationem die 13 Februarii 1666 approbata; ubi dicitur: « Quando exponitur Sacramentum... cantari debet Missa... « de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi..., **et tempore Paschali ad-« dendum erit** *Alleluja*, **ut fit in aliis Votivis Missis.** » Et insuper Votiva de Spiritu Sancto necnon de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, subjacent Rubricæ ante Missam de Sanctissima Trinitate apud Missale Romanum positæ, ac nota 4 superius relatæ; uti etiam demonstrat GRADUALE ROMANUM DE SANCTIS anno 1887 Ratisbonæ editum, duo tantum *Alleluja* ad Introitum talium Missarum collocans pro Tempore Paschali. Nihilominus, ob causas quæ nota 2 ad Missam XXX. pag. 41 apud hoc Missale Votivum Terræ Sanctæ exponuntur; legitimam exoramus Auctoritatem, ut Missas illas cum omnibus *Alleluja* ad Introitum, quibus in die Solemnitatis ac per Octavam ipsæ sociantur, toto Tempore Paschali ex quo etiam sumptæ fuerunt, recitandas indulgeat. Hoc enim pacto Introitus semel cum omnibus *Alleluja* edi sufficiet, addita Rubrica quæ illorum omissionem extra Tempus Paschale unice præcipiat.

[6] Quoniam apud Decretum concessionis sub die 31 Augusti 1865 nulla fit mentio de omittendis *Alleluja* in fine Introitus, hinc in editis parvis Missalibus Votivis hucusque *Alleluja* servabantur in duabus Missis de Resurrectione et Ascensione Domini. Rubrica tamen præsens hisce probatur argumentis: I°. Missæ de Spiritu Sancto atque de Sanctissimo Eucharistiæ

Sacramento, e Solemnitate Pentecostes ac Sanctissimi Corporis Christi desumptæ, sine *Alleluja* prostant sub finem Missalis Romani; II°. Ad Votivam de Sacratissimo Corde Jesu incipientem verbis *Miserebitur,* ex Decretis S. R. Congregationis *16 Septembris 1865 in Cameracen. ad 5* necnon *5 Aprilis 1895 in Lincien.*, omittenda ubique sunt *Alleluja;* III°. Si in Festis apud Missale Romanum Tempore Paschali collocatis, omittenda per annum sunt *Alleluja,* multo magis oportebit ipsa omitti ad Missas votivas; IV°. Meratus *part. I. Tit. IV. num. XV.* supponit ex lege communi reticenda esse *Alleluja* in Missis etiam Paschæ et Ascensionis, dum propter hæc incommoda Missas illas ceu Votivas prohiberi censuit. = Hinc optime eam conclusionem hic amplectimur, quam Ephemerides Liturgicæ Anno 1897 pag. 164-166 luculentius tradiderunt.

[7] Ab antiquis enim usque temporibus is mos invaluit, quemadmodum nota 1 in Missam XII. pag. 17 apud hoc Missale Votivum Terræ Sanctæ indicabimus, ut Dominicæ Resurrectionis Missam *Resurrexi* jam die 5 Martii 1644 legitime concessam, semper Celebrantes cum omnibus *Alleluja* recitarent, quibus in die Paschæ sociatur, præterquam a Septuagesima ad Pascham. Cæterum, ipse Meratus *part. I. Tit. IV. num. XV.* aliquam semper adesse incongruentiam in omittendis *Alleluja* ad hanc Resurrectionis Missam sic advertit, ex qua et prohiberi censuit: «[Absurda] plura et incongruen- «tiora occurrunt in Missis Mysteriorum Christi Domini, puta in omittendis *Alleluja* in Introitibus **Paschæ,** Ascensionis, «etc.» Attamen, patet abunde quomodo evitari possit incommodum hoc a Merato perpensum; si retineatur scilicet juxta morem antiquissimum vox illa *Alleluja,* quoties ratione ritus Quadragesimalis non omnino prohibeatur. Insuper, hoc in casu verba Introitus quadamtenus compleri videntur per voces *Alleluja,* quemadmodum in Missali Romano sæpius occurrere, jam nota 3 ad Missam XIII. pag. 19 apud hoc Missale Votivum Terræ Sanctæ advertemus. Hæc autem exceptio, licet ob identitatem rationum ad alteram Resurrectionis Missam incipientem *Deus suscitavit,* atque ad Votivam in loco ubi Christus post Resurrectionem apparuit Matri recitandam extendatur; attamen Missæ de Ascensione ac de aliis Mysteriis, prouti Ecclesia jam fecit quoad Introitus Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi in Votivis de Spiritu sancto et de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, extra Tempus Paschale detrahuntur ubique *Alleluja.*

[8] Cf. ea quæ ad notas 8 et 9 sub Nono præsentium Rubricarum Titulo disseruimus.

[9] Rubrica hæc sequentibus probatur argumentis. I°. Hoc generatim de omnibus Missis votivis expresse affirmant cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 11. Q. II. R. 2°,* Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 23,* Raphaël Patroni Lezioni di Sacra Liturgia *vol. II. Tratt. III. num. 36,* aliique passim Auctores Liturgici; qui omnes in casu Introitum e respectivo Communi sumendum consulunt. II°. Ipsum in casu particulari insinuatur etiam apud Missale Romano-Seraphicum sub die IV. Octobris; ubi in Festo S. P. N. Francisci Introitum *Gaudeamus* habente, in fine Missæ ejusdem assignatur Votivis Introitus *Mihi autem absit* ex altero Festo ipsius Sacrorum Stigmatum sub die XVII. Septembris. III°. Item jam citatus De Herdt, ante quidem Decretum S. R. Congregationis *23 Februarii 1884 in Neapolitana ad Dub. V. Q. 2* contrarium nunc jubens, ajebat *part. I. num. 12. Q. I.*: «Missa Sanctæ «Mariæ de Monte Carmelo ut votiva celebrari potest, sumendo Introitum ex Votiva in fine Missalis.» IV°. Meratus *part. I. Tit. IV. num. XXI.* agens de Votiva Omnium Sanctorum, concedit in casu sumi posse Introitum *Timete Dominum* ex die VIII. Augusti; cui Pater Aloysius de Carpo et Raphaël Patroni *locis citatis,* necnon de Herdt *part. I. num. 12. Q. IV. R. 4°,* adjiciunt Introitum *Sapientiam* de Communi plurimorum Martyrum secundo loco.

[10] Post antiqua Decreta concessionis, per Rescriptum die 31 Augusti 1865 inter Votivas primæ Classis indulgetur: «IX°. Super Sepulchrum Beatæ Mariæ Virginis in Valle Josaphat; — Missa de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis.» Non obstante Indulti silentio, in hac etiam Missa Introitus *Gaudeamus* Votivis extra ambitum Octavæ **penitus** non convenit, uti rationes numero superiori allatæ demonstrant. Ac proinde rejicienda videtur opinio, quam tuetur Elenchus Cæremoniarum Terræ Sanctæ pag. 654: «Dum dicitur secunda Missa [nempe Assumptionis], in Introitu *Gaudeamus,* ubi habetur «*Diem festum celebrantes,* dicetur *Memoriam recolentes,* quia non est dies Festus. *Castald. lib. 2. Sect. 6. cap. 4. num. 1.*» Enimvero, non solum hæc reprobatur accommodatio exemplis in præcedenti nota relatis, ubi non accomodatio talium verborum, sed totius Introitus mutatio injungitur; sed expresse etiam rejicitur a Gavanto *part. IV. Tit. XVII. num. 8:* «Dici potest Missa de Beata Virgine ex his quinque Votivis, cum intentione ad honorem Assumptionis Beatæ Virginis «etc.; alias enim dedecet vel dicere *Gaudeamus omnes in Domino diem Festum* etc., vel immutare tunc verba *diem* «*Festum* in *Commemorationem.*» Meratus autem *part. I. Tit. IV. num. XV.* eadem Gavanti verba refert; atque *part. IV. Tit. XVII. num. II.* ait suo judicio ceu Votivam permitti Missam Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, «nisi obstaret «Introitus, qui idem est ac in Missa Assumptionis.» Attamen, potius quam ad Votivas Deiparæ communes, censuimus ad Vigiliam ipsius Assumptionis habere recursum, ne testimonia propria cum impropriis inepte misceantur. Hoc autem eo vel magis quoniam, juxta doctrinam quam docuerunt Ephemerides Liturgicæ Anno 1897 pag. 700-701 similibus casibus applicandam: «Totus fere partium Missæ de Vigilia complexus idem objectum spectat, sicut in ipso Festo. Sane legas «Missam de Vigilia... Assumptionis... perspectumque facile habebis, ita rem se habere.»

---

## TITULUS UNDECIMUS.

## DE HYMNO ANGELICO RECITANDO VEL OMITTENDO IN MISSIS VOTIVIS.

**82.** Hymnus Angelicus, sive *Gloria in excelsis,* locum habet in omnibus Votivis Mysterio propriis, quæ apud Sanctuaria quævis majoris Ordinis solemniter aut privatim celebrantur; quoniam hæ Missæ ex privilegio omnino Votivis *pro re gravi* vel *pro publica Ecclesiæ causa* dicendis, fuerunt merito adæquatæ. [1]

**83.** Ad Missas tamen ea Dominicæ Passionis vel Sanctorum Mysteria recolentes, in quibus juxta Rubricas istas adhibetur color violaceus, Hymnus ille semper omittitur; quamvis Votivæ apud Sanctuaria majoris Ordinis, vel in propria illarum die recitentur: præterquam in Festo Dominicæ Passionis Feria III. post Sexagesimam celebrando, ac per sequentem Octavam sicubi hæc habeatur, ad Missam *Humiliavit* de ipsa Passione Domini, ob colorem rubeum iis respective diebus ordinatum. [2]

**84.** Ad Missas autem votivas apud Sanctuaria minoris Ordinis, extra diem propriam privatim vel in cantu simpliciter dicendas, ordinarie et per se omittitur Hymnus Angelicus; etiamsi Tempore Paschali, Dominicis, Festis Duplicibus, vel infra aliquam eis quomodolibet alienam Octavam, interdum ipsæ celebrentur.[3]

**85.** Nihilominus, Votivæ apud Sanctuaria minoris Ordinis etiam privatim adhibendæ, admittunt semper Hymnum Angelicum, si fuerint: I°. Missæ ad Angelos vel Archangelos referendæ, quacumque die celebrentur [4]; II°. Votivæ sub qualibet Mysterii appellatione in honorem Beatæ Mariæ Virginis dicendæ, quoties in Sabbatis habeantur [5]; III°. Missæ omnes etiamsi privatæ, quæ in die Personis earumque Mysteriis multipliciter propria, sicut in Quarto præsentium Rubricarum Titulo explicatur, fuerint celebrandæ, dummodo Paramenta tunc violacea non præscribantur; quas inter IV°. Etiam omnis et sola ex Votivis hujusmodi vere illic solemnis habenda accensetur. [6]

**86.** Quoniam vero ceu propria nullatenus dies reputatur, in qua de eisdem quidem Personis Officium aut Commemoratio ratione Vigiliæ aut Festi et Octavæ agantur aut agenda forent, attamen sub aliis Titulis ac Mysteriis; hinc ad Missam votivam, quæ cum alio Officio ipsius Personæ nil habet commune, prouti alibi notatur, Hymnus Angelicus in Sanctuariis minoris Ordinis nullimode per se adjungetur. [7]

**87.** Hoc autem loco advertere juvabit quoad intonationem Hymni Angelici, præceptive juxta diversos casus requisitam [8], semper ad Missas omnes quæ sine Paramentis violaceis, Hymnum talem rejicientibus, apud Sanctuaria majoris Ordinis communiter concinantur, *Gloria in excelsis* a Sacerdote intonandum esse veluti IN FESTIS SEMIDUPLICIBUS [9]; ad Votivas autem Angelorum vel Archangelorum (nam de aliis Personis casus non datur, præterquam de Beata Maria Virgine, de quo inferius dicetur) apud Sanctuaria minoris Ordinis, extra diem eis multipliciter propriam, quemadmodum IN FESTIS SIMPLICIBUS juxta Missale Romanum assignatur. [10]

**88.** Ad Missas autem votivas in Sanctuariis cujusvis Ordinis die multipliciter eis propria concinendas, semper in ipsa Solemnitate, in die Octava si quidem Festo ipsa conveniat, Feria II. ac III. Paschatis aut Pentecostes quoad Missas respective de Resurrectione Christi aut de Spiritu sancto, necnon quotiescumque Missa vere solemniter celebretur, Hymnus Angelicus est a Sacerdote intonandus sicut IN DUPLICIBUS ET SOLEMNIBUS DIEBUS; infra Octavas autem, quas Mysterium aut Persona vi præsentium quoque Rubricarum habere interdum posset, tamquam INFRA OCTAVAS QUÆ NON SUNT BEATÆ MARIÆ.

**89.** Attamen Hymnus Angelicus jugiter a Celebrante intonandus erit uti IN MISSIS BEATÆ MARIÆ, quoties in Votiva quorumvis Mysteriorum ac Personarum adsit Præfatio de Nativitate Domini vel magis de ipsa Dei Genitrice; quamcumque ob causam et solemnitatem et quavis die etiam Sanctuariorum propria, apud Missale Votivum Terræ Sanctæ ejusve Rubricas alterutra e Præfationibus illis ordinetur. [11]

## ADNOTATIONES IN XI. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hoc singulare privilegium, Votivis apud majora Sanctuaria Palæstinæ dicendis ab Apostolica Sede sæpenumero assertum, nempe die 29 Maji 1655 et 31 Maji 1670, prouti jam vidimus pag. 17-24 in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI; confirmatur etiam ex Indulto quod sub die 31 Augusti 1865 prodiit, in quo nempe sequens habetur regula pro Missis celebrandis ad: « SANCTUARIA MAJORIS ORDINIS. Et in his Missa votiva propria Mysterio Sanctuarii..., cum *Gloria* (quoties « id exigat Missæ qualitas) cum *Credo*... dici possit singulis anni diebus. »

[2] Missæ apud Sanctuaria majoris Ordinis in Palæstina celebrandæ, ex privilegio Votivis pro *re gravi* vel pro *publica Ecclesiæ causa* sunt æquiparatæ; ita ut solummodo color violaceus Hymnum Angelicum impediat. Hinc verba Indulti sub die 31 Augusti 1865 « Missa votiva... cum *Gloria* **(quoties id exigat Missæ qualitas)**... dici possit »; valent idem quod Rubrica Missalis Romani sub Titulo VIII. num. 4, concedens Hymnum Angelicum, quoties « Votiva solemniter « dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, **dummodo non dicatur Missa cum Paramentis violaceis.** »

[3] Rescriptum die 31 Augusti 1865 latum, hanc habet Rubricam pro Votivis ad « MINORIS ORDINIS SANCTUARIA. Et in his Missa votiva propria Mysterio Sanctuarii..., sine *Gloria* et *Credo* singulis anni diebus dici possit. » Hæc

tamen regula novissime tunc per Indultum relatum primo satis firmata est; quoniam ante illud, sæpius *Gloria* et *Credo* Votivis etiam secundæ Classis per Sedem Apostolicam indulgebantur, et etiamnunc quoad Votivam Spineæ Coronæ retinentur; uti jam vidimus in Opusculo Ratio Missalis Votivi pag. 17-24. Ast inde gravis oritur quæstio, num videlicet Hymnus Angelicus et Symbolum sint in eo saltem dicenda casu, quo alterutrum eorum vel utrumque ex alio Rubricarum Missalis Romani et Decretorum capite requiratur? Nos sententiam affirmativam libenter amplectimur, his moti rationibus: I°. Indultum non videtur circa tales Missas quidpiam novi statuere, sed illas ad communem juris normam reduxisse, qua Votivis pro causa privata lectis vel cantatis *Gloria* et *Credo* ordinarie denegantur; II°. Hinc in casu nostro Indultum videtur Missis ad Sanctuaria minoris Ordinis pertinentibus non concedere *Gloria* et *Credo*, prouti indulserat Votivis ad Sanctuaria majoris Ordinis recitandis; minime autem Hymnum Angelicum et Symbolum a Missis talibus auferre, si hæc jam vi Rubricarum Votivis competerent; III°. In Indulto illo, inter XXIII. Missas more votivo recitari concessas, **solum** Missa Visitationis Beatæ Mariæ Virginis in Sabbatis dicenda debuisset **rationabiliter** excipi; ac proinde, cum de unica tantummodo Missa ibi ageretur, exceptio illa vel ex oblivione omitti potuit, vel potius ipsa e Rubricarum legibus subaudiri.

[4] Ita expresse jubet generalis Rubrica Missalis Romani sub Titulo VIII. num. 4: «In Missis votivis non dicitur «[*Gloria in excelsis*]... nisi in Missa... Angelorum.»

[5] Rubrica generalis Missalis Romani sub Titulo VIII. num. 4, ita ad rem loquitur: «In Missis votivis non dicitur «[*Gloria in excelsis*]... nisi in Missa Beatæ Mariæ in Sabbato.»

[6] Hymnus Angelicus in die propria jam per se competit Votivis: I°. De Festo Simplici, si impediatur ab altioris ritus Officio, juxta Decretum S. R. Congregationis *13 Junii 1671 in Angelopolitana ad 2;* II°. De cujuslibet Personæ Octava similiter impedita, prouti deducitur per Auctores e Decretis S. R. Congregationis, præsertim *22 Augusti 1744 in Cracovien. ad 8;* III°. De Sancto vel Mysterio, iis diebus quibus idem respective obiit vel illud commemoratur in Martyrologio, uti docet cum Gavanto et omnibus Auctoribus Liturgicis, Meratus *part. I. Tit. IV. num. XLI.* = In aliis vero casibus, competit ex rationibus *a fortiori* quas adducemus alibi, quum de Symbolo nominatim agetur.

[7] Cf. ea quæ consideravimus ad notam 9 sub Tertio præsentium Rubricarum Titulo.

[8] Sacra Rituum Congregatio Decreto *die 14 Martii 1896 in Romana* jussit, ut intonationes Hymni Angelici ac Symboli, necnon singulæ modulationes a Celebrante in Missa cantata exsequendæ, videlicet Orationum, Præfationis, Orationis Dominicæ et cum relativis responsionibus ad Chorum pertinentibus; non obstante contraria consuetudine quam jubet eliminari, ex præcepto servari debeant prout jacent in Missali, quin mutari potius valeant juxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum. Hæc autem omnia, prouti etiam docuerunt Ephemerides Liturgicæ Anno 1897 pag. 92, non de omnibus indifferenter eligendis intonationibus quæ in Missali Romano prostant, accipi debent; sed specifice de illis, quæ correspondent ritui aut solemnitati aut Tempori, juxta respondentes ipsius Missalis Rubricas.

[9] Ad Missas in Sanctuariis majoris Ordinis, ad instar Votivarum *pro re gravi* aut *pro publica Ecclesiæ causa* cum *Gloria* et *Credo* celebratas, cantus ubique festivus est adhibendus; uti jam in nota 7 sub Secundo præsentium Rubricarum Titulo declaravimus. Ast cum tonus festivus etiam in Semiduplicibus ad Orationes, Præfationem, Orationemque Dominicam ordinetur; liquido patet etiam modulationem Hymni Angelici pro *Festis Semiduplicibus* præscriptam, hinc haberi veluti festivam. Nos igitur et modulationem festivam semper in casu retinentes, et solemnem denegantes Missis, quæ sæpe sine Ministris et absque solemnitate et frequentia populi celebrantur: statuimus ut modulatio uti *In Duplicibus et Solemnibus diebus*, reservetur pro prima et ultima Octavarum die atque Feria II. et III. Paschæ et Pentecostes, quum Officium quod Votivis respondet aut responderi posset, vere ritum duplicem habet, necnon quotiescumque Missa vere solemniter concinatur; modulatio autem uti *In Festis Semiduplicibus et infra Octavas quæ non sunt Beatæ Mariæ*, pro aliis diebus infra Octavam et per annum. Hæc posterior modulatio pro diebus infra omnes Octavas a Rubricis Missalis Romani ordinata, licet Octavæ sint continuatio Solemnitatis, jugiterque habeantur sæpe *Gloria* et *Credo;* distinctionem nostram neque in generalibus Rubricis et Decretis neque per Auctores datam, utpote quod negotium nunc est de Indulto speciali, inde mirifice confirmat. Quæ si non placeant, hic et in tota sequenti Rubrica **88**, modulatio uti *In Duplicibus et Solemnibus diebus* jugiter præscribatur.

[10] Ad Missas enim ibidem taliter celebratas ordinarie sine *Gloria* et *Credo*, quæ ideo Votivas pro privatis causis imitantur, adhibendus est ubique cantus ferialis, uti jam diximus ad notam 7 sub Secundo præsentium Rubricarum Titulo. Modulatio autem ferialis in casu est eadem, atque *In Festis Simplicibus*, prouti similiter docet Magister Choralis Ratisbonæ anno 1894 italice editum, ubi super illa modulatione ad pag. 77 nota 2 hoc ipsum advertitur.

[11] In eodem Opusculo Magister Choralis *loco citato*, ante intonationem *In Missis Beatæ Mariæ* ordinatam, legitur: «Questa intonazione è prescritta anche per le Messe votive della B. V., per quelle del Natale e del *Corpus Domini*, «nelle Ottave di queste solennità, e in generale ogniqualvolta si canta il Prefazio della B. V. o del Natale.» Jam etenim S. R. Congregatio *25 Maji 1877 in Ratisbonen. ad 1-3*, circa ecclesiasticum cantum ista omnia declaraverat.

---

## TITULUS DUODECIMUS.

## DE ORATIONE PRIMA AC SECRETA ET POSTCOMMUNIONE IN MISSIS VOTIVIS.

**90.** In omnibus Missis votivis, quæ apud Sanctuaria Terræ Sanctæ tum majoris tum minoris Ordinis, sive solemniter sive privatim celebrentur, unica semper dicitur Oratio; nempe Oratio propria Missæ illius, omissis ex privilegio quibuscumque Collectis imperatis, necnon Commemorationibus in Officio vel Missa ipsius diei secus peragendis. [1]

**91.** A regula numero superiori exposita excipiuntur solummodo Missæ votivæ de Sancto Petro vel de Coapostolo ejus Paulo, sub quacumque Mysterii denominatione singulariter celebrandæ; tunc enim ad Missam unius secunda de altero Oratio recitatur, juxta qualitatem Missæ quæ dicitur, et quidem sub distincta semper conclusione [2]: sumptis pro alterutrius agenda Commemoratione iis respective Orationibus, quæ in Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii apud Missale Romanum collocantur; ac mutato verbo *Commemorationem* in *Natalitia* in prima Orationum Sancti Pauli, ad Votivam Sancti Petri a die XXIX. Junii usque ad VI. Julii recitandarum. [3]

**92.** E contra vero, apud Sanctuaria ubi Titulus impeditus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri vel commemorari vel omitti debeat, vel alicujus Personæ solemnitas in die propria sine Officio recolatur; unica ut reliquo per annum tempore dicitur Oratio in Votivis ex Indulto Apostolico lectis vel in cantu etiam in locum Parochialis tunc celebratis, retenta solum Missa Conventuali, juxta Decreta vel Kalendarium vel Rubricas celebranda in iis Ecclesiis, ubi ea die viget Officiaturæ Choralis onus. [4]

**93.** In quibusvis Votivarum Orationibus verba *hodie, hodierna die, solemni* ante nomen *officio,* et hisce similia omittuntur; voces autem *Natalitia, Solemnia, Solemnitas, Festum, Festivitas, Celebritas* hisque affines, mutantur servato earum casu in alias *Memoria* vel *Commemoratio;* itemque expressiones omnes, quæ Votivis ordinarie non competunt, in congruentiores debent permutari: immo, si Oratio propria dictis vel similibus modis nequiret accommodari, tunc ne violetur ritus ac veritas verborum, alia convenientior Oratio etiamsi de Communi liceret assumi; qui tamen casus postremo indicatus loco, numquam in exsistentibus apud Missale Votivum Terræ Sanctæ Missis hucusque invenitur. [5]

**94.** Hæc tamen omnia quæ superius adnotantur, nullimode oportebit secundum casus auferri, addi, corrigi aut variari, si Votiva celebranda fuerit in Festo et per Octavam ipsi vigore præsentium quoque Rubricarum respondentem, sive infra aliquod Tempus; quibus nempe respective diebus verba illa retenta vel non mutata aut integræ etiam Orationes rite congruere Missæ probantur. [6]

**95.** Si per quoddam Tempus, aut infra Octavam vel in die Octava Mysteriorum, ad quæ Votiva sub eo præcise nomine pertineat, diversæ a consuetis habeantur Orationes et Mysterio Loci adhuc appropriatæ; in singulis quibusque casibus, erunt Orationes illæ intra definitum eorumdem ambitum dierum, omissis interea per annum solitis, semper adhibendæ. [7]

**96.** In Missis votivis jam olim concessis atque etiam modo retentis [8]; necnon in Missis, quæ nunc primo in Missale Votivum Terræ Sanctæ e Romano transferuntur [9]: quænam in Orationibus detrahenda aut addenda aut mutanda aut aliunde sumenda fuerint, ut evitentur confusiones et difformitates, opportune suis in eodem Missali Votivo locis semper indicatur.

**97.** Quæ hucusque de prima Missæ Oratione adnotantur, ob identicas rationes, intelligi quoque debent de Secreta simul et Postcommunione; ubi talis verborum ablatio, additio, correctio vel totius Orationis mutatio, secundum diversos casus occurrentes, aliquando requiri merito videatur.

**98.** Ad Votivas omnes, quæ aut solemniter aut in die Personarum ac Mysteriorum propria et per totam Octavam ipsis quomodolibet tributum celebrentur, itemque ad Votivas illas quæ apud omnia Sanctuaria majoris Ordinis quomodocumque habeantur, Oratio simul et Postcommunio cantari debent in Tono festivo; ad Votivas autem, quæ apud minoris Ordinis Sanctuaria extra diem propriam et non solemniter locum habeant, eædem Orationes concini solum valent in Tono Missæ feriali. [10]

**99.** Demum, quoties in Orationibus, quemadmodum et in aliis Missæ partibus, nomen proprium recurrit Sanctorum de quibus utcumque dicitur Votiva; caput versus librum inclinatur, aut ad eorum simulacrum vel imaginem, si hæc in loco Altaris principali habeantur. [11]

## ADNOTATIONES IN XII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ex Indulto 31 Augusti 1865, Sanctuaria Terræ Sanctæ in duas dividuntur Classes, in quarum priori: «Continerentur « Sanctuaria majoris Ordinis. Et in his Missa votiva... **sine ulla Commemoratione** dici possit singulis anni diebus... « In altera autem classe sequentia continerentur Minoris Ordinis Sanctuaria. Et in his Missa votiva... **absque ulla « Commemoratione** singulis anni diebus dici possit. » Denique unius Orationis privilegium ita nunc invaluit, ut Hierosolymis Votivæ de Immaculata Conceptione et Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, de Sancto Stephano Protomartyre, ac de

Spinea Christi Corona cum unica semper Oratione recitentur: quamvis in respectivis Rescriptis, quæ nos in Opusculo RATIO MISSALIS VOTIVI pag. 23-24 compendiose retulimus, expressum de unica Oratione ad eas permissa non habeatur indicium; sed tantummodo **ad tramitem** Indulti superius citati, prima et secunda ac tertia ex istis Votivis fuerint concessæ.

[2] Exceptio quidem ista, nullam utpote fixa difficultatem in usu parvi Missalis et Altaris portatilis creans, habetur etiam apud Indultum sub die 31 Augusti 1865 latum, quo inter Votivas primæ Classis permittitur: « XI°. Ad Lacum « Tiberiadis; — Missa uti in Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die 28 Junii; Oratio tamen ut in die Cathedræ « Sancti Petri *Deus qui beato Petro*, cum Commemoratione Sancti Pauli *Deus qui multitudinem Gentium.* » Quam exceptionem, e Liturgicorum quoque sententia, ad omnes alterutrius Apostoli Votivas singulares censuimus extendendam.

[3] Locus, unde utriusque erit sumenda Commemoratio, deligitur juxta exempla apud Missale Romanum in alterutrius Festo recurrentia sub die XVIII. ac XXV. Januarii. In Oratione tamen Sancti Pauli per Octavam Natalis ejus, nempe a die XXIX. Junii usque ad VI. Julii, non videtur adhibenda esse vox *Commemorationem*, sed *Natalitia* quæ jam occurrit in eadem ipsius Natalis Commemoratione sub XXX. Junii; prouti ex infra dicendis etiam eruitur.

[4] Expresse hanc Rubricam ponimus, ne objici possit *Pro-Memoria* per S. R. Congregationem die 18 Februarii 1794 omnino approbata; ubi quoties ex Indultis agi permittitur solemnitas extra diem Officii de Mysterio quodam vel Persona, exiguntur semper Commemorationes diei necnon aliæ juxta Rubricas in Missis ubique privatis, immo etiam in solemni quoties Missa Conventualis de die illic non fuerit celebrata. Porro, si hujusmodi Commemorationes omittuntur in Missis solemnibus et privatis reliquo per annum tempore, multo magis omitti poterunt in propria atque solemniori die Mysteriorum ac Personarum: præsertim cum Missa juxta Kalendarium, ubi adest ejusdem obligatio, numquam omittatur; uti jam sub Tertio præsentium Rubricarum Titulo subjectisque notis et alibi passim notavimus.

[5] Hanc regulam et alias hic expositas universi exhibent Auctores Liturgici, cum de Missis votivis aut de Suffragiis agunt Sanctorum, quum in utroque casu easdem recurrere causas advertant. Necesse autem non videtur hic eorumdem Scriptorum nomina et loca citare, cum sermo sit de rebus cuique notissimis; eo vel magis postquam S. R. Congregatio, præsertim *22 Decembris 1753 in Wilnen. ad 5* ac *16 Septembris 1865 in Ratisbonen.* hanc normam authentice firmaverit.

[6] Cf. ea quæ jam diximus ad notas 2 et 3 sub Primo præsentium Rubricarum Titulo; ubi per Decretum relatum, prohibitis quibusdam Missis tamquam Votivis, expresse dicitur: « Et aliæ hujusmodi, quæ proprios habent Introitus vel « Collectas, [quæ] **extra proprios dies vel Octavas** absurdum esset dicere. »

[7] Ita, ut exempla quædam afferantur, ad Missas in Commemoratione Dominicæ Passionis et in ejus die Octava, in utroque Festo Septem Dolorum Immaculatæ Dei Genitricis, ad Missam de Cruce Tempore Paschali adhibendam, prima ex Orationibus propria est, diversaque ab illa quæ in Votivis eorumdem Mysteriorum ordinarie recitatur.

[8] Ad Missas jam concessas, aliarum hic omissis incommodis, sequentia inveniuntur absurda, quæ etiam in editis hucusque Missalibus Votivis retinebantur, quoniam Indultum sub die 31 Augusti 1865 publicatum, etsi de aliis variationibus loquens, nullatenus istas mutationes indicabat: I°. Adjectivum *Paschalibus* in Secreta simul et Postcommunione recurrens ad Missam de Resurrectione Domini extra Paschale Tempus celebrandam; II°. Phrases *Nativitatem celebrantes* et *Joannis generatione lætitiam*, nimis absolute positæ in Secreta respective et Postcommunione ad Votivam de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ; III°. Vox *solemni* ad Postcommunionem Missæ de Tranfiguratione Domini; IV°. Expressiones *Solemnitas, Solemniis, Celebritatis annuæ* in tribus Orationibus ad Votivam de Visitatione Beatæ Mariæ Virginis; V°. Nomen *Festivitatem* in Secreta ad Missam de Natali Sancti Joseph. — Rationes harum assertionum nostrarum apud hoc Missale Votivum dabimus, ubi de singulis Votivis præfatis agetur; præterquam de Missa Visitationis, cui propria novissime sufficitur.

[9] Nempe Missa Nativitatis Domini *Lux fulgebit*, Epiphaniæ, Sanctorum Gabrielis Archangeli, Jacobi Apostoli, Joannis Apostoli et Evangelistæ, Conversionis Sancti Pauli, ac Sanctorum Joachim atque Annæ; quorum etiam Orationes aliquam requirunt correctionem, ut suis apud hoc Missale Votivum locis videbimus.

[10] Cf. ea quæ ad notam 7 sub Secundo præsentium Rubricarum Titulo disseruimus. Tonus enim Orationum **festivus vel solemnis**, juxta librum MAGISTER CHORALIS ad pag. 78 sub nota 2, adhibetur: « Quando Officium est duplex, « vel semiduplex, vel de Dominica in Matutinis, Missis et Vesperis; etiam in Laudibus et Missis votivis solemnibus (ob « causam gravem et publicam, et frequentiam populi). His exceptis, semper dicuntur in Tono feriali. » Tonus autem **simplex ferialis** Missæ admittitur, prouti alias *Ibidem* ad pag. 80 notatur: « Nelle Feste semplici e nei giorni feriali ..., quindi « anche nelle Messe votive private. » Hæc demum omnia traduntur etiam apud CÆREMONIALE EPISCOPORUM Lib. I. Cap. 27, ac simul apud DIRECTORIUM CHORI Ratisbonæ anno 1889 editum, inter *Communia Directorii* pag. 38* et 40*.

[11] Cf. ea quæ ad notam 8 sub Decimotertio præsentium Rubricarum Titulo fusius explicabimus.

---

## TITULUS DECIMUS TERTIUS.

## DE EPISTOLA PARITER ATQUE EVANGELIO IN MISSIS VOTIVIS.

**100.** Si qua Epistola, quæ assignatur Votivis apud Romanum Missale occurrentibus, extra quoddam Tempus agnoscatur impropria; in aliam aptiorem, eo quidem excepto Temporis spatio, erit jugiter commutanda [1]: qui tamen casus apud Missale Votivum Terræ Sanctæ tantummodo ad Missam de Resurrectione Domini *Resurrexi* nunc scitur occurrere, quoties extra Tempus Paschale fuerit more votivo celebranda. [2]

**101.** In Votivis quæ e Missali Romano integre desumuntur, si quando Epistola aut Evangelium diversis e Scripturæ locis per annum assumi conceditur, hoc nullatenus in respectivo Festo ac per Octavam vel in die quodammodo propria fieri valet; quibus proinde saltem diebus Epistola aut Evangelium retinentur, quæ in eodem Missali Romano fuerant assignata. [3]

**102.** Item quando in Votivis quibuscumque Epistola aut Evangelium breviari permissum est apud Missale Votivum Terræ Sanctæ, id nullatenus fieri conceditur in Festo ac per Octavam vel in die quodammodo propria respectivæ Personæ vel Mysterii; quibus idcirco diebus integra semper recitari debent, non autem breviata. [4]

**103.** In diebus pariter, quibus Missæ de Tempore idem Mysterium vel Miraculum atque Votiva celebrant, ac tamen in hujus corpore Evangelium a diverso Auctore sacro fuerit acceptum, quod insuper in alio Sanctuario vel in alia Missa votiva non sit recitandum, sed tantum in sui ipsius secundo loco; oportebit ad respondentem Missam votivam, reliquis non mutatis, Evangelium de Tempore tunc adhiberi: qui tamen casus dumtaxat in Missa de Mysteriis Ad oras Stagni ubi Christus Dominus sedavit Discipulis fluctuantibus procellam, et Ubi Christus Quinque Panes multiplicavit nunc recurrit; quoties prior ex illis Votivis Dominica IV. post Epiphaniam aut aliqua post Pentecosten, et posterior debeat Dominica IV. Quadragesimæ celebrari. [5]

**104.** Ne autem omnia quæ hucusque adnotata manent, negligi queant aut erronee forsan accipi; quænam in singulis casibus agenda fuerint tum quoad Missas jam indultas de Resurrectione Domini *Resurrexi,* tum quoad alias nunc primo concedendas, suis apud Missale Votivum Terræ Sanctæ locis opportune indicantur. [6]

**105.** Quoties item in Votivis potestas fit Sacerdotibus aliam Epistolam vel aliud Evangelium assumendi, aut ea quæ ibi apponuntur ceu breviata recitandi: quo efficacius omnes eviteutur confusiones, Sacerdos votivam Missam canturus iis rem prius indicet Ministris, ad quos alterutra eorumdem lectio textuum pertineat; prouti agit, quum Votivam aut Sanctorum sine annuo Festo, aut Pro Fidei Propagatione, vel Missam Defunctorum in ordine primam vel secundam valeat cantare. [7]

**106.** Denique, licet in decursu Epistolæ aut Evangelii, quemadmodum et in aliis totius Missæ partibus, caput semper ab omnibus inclinetur, quoties proprium recurrit illius Personæ nomen, in cujus honorem Votiva celebranda eligatur; ipsa tamen capitis inclinatio locum nullatenus habet in titulis Epistolæ vel Evangelii, cum nempe pronuntiatur nomen respectivi Auctoris in eisdem etiam Missis recolendi. [8]

## ADNOTATIONES IN XIII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Quum Epistola Fidelium exhortandi ergo communiter apponatur, fieri aliquando potest, ut ipsa cum suis adhortationibus extra quoddam Tempus videatur impropria; quod tamen de Evangelio dici nequit, utpote ad narrandum primarie instituto. Hæc autem Rubrica peculiaris consequitur e norma generali, quam sub Primo ac Decimo præsentium Rubricarum Titulo statuimus, uti Meratus *part. I. Tit. IV. num. XVIII.* ac de Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 11. Q. II. et III.* aliique Auctores indicant; nempe in Votivis omittendas vel in aptiores commutandas esse partes incongruas.

[2] Rationes, quibus hæc assertio demonstratur, numero 2 notarum et additionum ad Resurrectionis Missam XII. pag. 17 referuntur. Reliquæ autem Votivæ hoc non habent incommodum; ne Missa quidem e Festo Pentecostes assumpta, in qua Epistola *Cum complerentur* toto anni Tempore congrue valet recitari, uti numero 3 notarum et additionum ad Missam XXX. pag. 41 evincitur. In Missa enim de Sanctissima Trinitate, de Angelis, de Spiritu Sancto, de Cruce, ac de aliis Mysteriis, si Epistola aut Evangelium aut utrumque diversum atque in die Festi reperiatur; hoc, sicuti legenti patet, ratione varietatis et brevitatis efficitur, minime autem, quia extra quoddam Tempus illa Votivis non congruerent.

[3] Ejusmodi exempla occurrunt apud Missale Votivum Terræ Sanctæ ad Missas sub num. et pag. CIV. 155, CVII. 160, ac CXLVII. 224. Hoc non aliis de causis ordinatur, nisi ut impleantur meliori quo liceat modo leges, quæ Votivam prohibent iis diebus, in quibus de eodem Sancto vel Mysterio Officium seu Commemoratio ratione Festi vel Octavæ agenda fuerint. Quamvis enim rigor earumdem legum alibi a legitima Auctoritate moderandus expetatur, eo quod in Terræ Sanctæ locis non generice Personæ, sed specifice earum Mysteria quæ in determinatis Sanctuariis evenerunt, sint veneranda; hæc tamen dispensatio necessaria minime censetur in casu, quo de eodem præcise Mysterio et cum Missa propria e Missali Romano desumpta Festum sit agendum. Igitur in horum Sanctorum Festis omnes Missam *integre* dicant, prouti respectivis diebus in Missali Romano collocatur; quemadmodum, si quis infra Octavam Pentecostes, aut in Festo Trinitatis, Votivam de hisce Mysteriis voluerit recitare, Missas adhibet quæ in Solemnitate ipsa, et minime quæ circa finem Missalis assignantur.

[4] Habetur apud ipsum Missale Romanum hujusmodi exemplum breviationis in Votiva de Cruce, quæ eamdem quidem habet Epistolam ac Festivitates Inventionis et Exaltationis ipsius Sanctæ Crucis, at pluribus verbis in principio diminutam. Ad hanc normam etiam in hoc Missali Votivo Terræ Sanctæ, ad Missas sub num. et pag. LI. 72, LXXXV. 123,

LXXXVII. 127, CI. 150. ac CII. 152, Evangelium ordinarie legi contractum Sacerdotibus indulgetur, vel semper integrum conceditur recitari, prouti unicuique Celebrantium videatur. Hæc tamen libertas difficultatem nullam excitare potest: cum non modo breviata legi Epistolæ et Evangelia concedantur, sed, quod magis merito videtur, etiam diversa et quidem in Festivis sumi pro Celebrantium lubitu, vel in ipso Missali Romano apud Commune Sanctorum et Missas pro Defunctis libere sinatur. Nos tamen facultatem petimus pro iis solum casibus, uti vidimus supra, in quibus Evangelia nimis protraherentur, jamque in aliis distribuuntur Missis, et satis unicuique ex Votivis assignatur jam textus; et hæc quidem omnia nullimode in diebus Mysteriorum propriis, quamvis hoc casu sub Feria II. post Dominicam III. Quadragesimæ concedatur apud ipsum Missale Romanum non integra facti series enarrari.

[5] Iisdem e rationibus, quas nota 3 et 4 ad Rubricam **101-102** sub hoc Titulo enucleavimus, regulæ præscripta ad solos casus in textu indicatos restringenda putamus. Causa ex qua ista norma statuitur, est eadem ac illa quam superius enunciavimus, ut scilicet Votiva a Missis de Festo occurrente (etiamque de Tempore) irrationabiliter non discrepet.

[6] Hac Rubricæ ordinatione impeditur quominus Celebrantes errent, sive non concessam breviandi Epistolas aut Evangelia jam posita vel ipsa aliunde accipiendi libertatem sumentes, sive quibusnam diebus hæc facultas detur vel prohibeatur, ignorantes. Insuper neque decet semper, ut in ipsa die propria vel Festo commutetur Epistola et Evangelium aut prolongetur; quoties nempe, vel Loci Mysterium adhibito ad Votivam textu integre recolatur, vel in plures Missas textus ille sit divisus, aut plurium narratio diversis Sanctuariis aut Personis ejusdem Loci fuerit dispertita. Demumque, si testimonia propria vel magis propria sint minus propriis aut communibus aliquando subrogata, tunc minime opus erit, ut Votiva in diebus etsi propriis in Missam Festi occurrentis immutetur; prouti neque permutatur apud Ordines Regulares et Diœceses, ubi Personæ vel Mysteria cum Missa propria, ideoque cum Epistola aut Evangelio sæpe diversis recoluntur.

[7] Præter ea, quæ in Rubricæ textu enumerantur et frequentius occurrunt, hujusmodi exempla datæ libertatis habentur insuper in eodem sæpius Missali Romano. Enimvero: I°. In Missis votivis Sanctorum [pariter ac festivis], qui neque in Kalendario Ecclesiæ universali neque in particulari Celebrantium habent locum, uti cum aliis Auctoribus Liturgicis ait Meratus *part. I. Tit. IV. num. XIX:* « Quandoquidem, ut supponitur, locus determinatus non sit, poterit eligi ex primo « vel secundo loco, prout placuerit et devotio suggesserit. » II°. Rubricæ speciales, quas Missale Romanum in Communi unius Martyris ponit tum Tempore Paschali tum etiam extra illud, prouti cum aliis Scriptoribus observat cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. V. num. 35,* permittunt Celebranti eisdem in casibus legere: « Etiam Missam cum Epistola « et Evangelio ex alia Missa de eodem Communi. » III°. Eademque potestas, nempe eligendi pro Defunctis quamcumque Epistolam vel quodlibet ibi positum Evangelium, tribuitur Sacerdoti ex Rubrica post Missam Quotidianam Defunctorum.

[8] Inclinationem capitis ad nomen Sanctorum in Titulis Epistolæ aut Evangelii occurrentium, post Meratum *loc. infra citand.* aliosque Auctores, prohibet Decretum S. R. Congregationis *13 Februarii 1892 in Calagurritana et Calceaten. ad 26.* Ipsius vero Decreti jussio, quæ statuit « *inclinationem capitis faciendam in Festis Sanctorum tantum* », vel Votivis minime applicanda, vel saltem non amplius hodie videtur attendenda. Enimvero: I°. Ritus Celebrandi Missam sub Titulo V. num. 2, nullam inter votivas festivasque Missas distinctionem ponens, absolute ordinat: « Ubicumque nominatur « nomen B. Mariæ, **vel Sanctorum de quibus dicitur Missa,** vel fit Commemoratio... [Sacerdos] semper caput « inclinat. » II°. Auctores omnes, inter quos citatur Meratus *part. II. Tit. V. num. XI.* alios plures adducens, cum Patre Aloysio de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 169,* ita explicite asserunt pro inclinatione capitis habenda sufficere Missæ recitationem: « Cum enim... peculiaris cultus Sancto tribuatur, **cujus Missa** vel memoria peragitur, con- « gruum est, ut Sacerdos ad illorum nomina specialem exhibeat reverentiam. » III°. Immo expressius Raphaël Patroni Lezioni di Sacra Liturgia *vol. II. Tratt. II. num. 60,* ita docet: « [Si china il capo], quando si nomina... il Santo di cui si ce- « lebra la Messa — **sia anche votiva.** » IV°. Si demum quis nimium in Decreti illius verbo **festis** insistere velit, ei responderi posset etiam Votivas considerari ceu Festa; quoniam ad eas unica Oratio, sæpe *Gloria* et *Credo,* necnon jugiter Præfatio propria admittitur, secus atque in Vigiliis effici solet; eo vel magis quia S. R. Congregatio, *13 Februarii 1666 in Romana ad 1 et 2* necnon *5 Maji 1736 in Einsidlen. ad 1 circa rem hanc,* declaravit in Officiis Sanctorum votivis ad 8 Lectionem dici oportere *Cujus Festum.* = Quapropter Decreti illius antedicta prohibitio vel non applicanda erit etiam Missis votivis, ast solum Orationibus *ratione* Suffragii, Stationis, aut in diebus liberis ad arbitrium Sacerdotum addendis; aut saltem in novissima Decretorum collectione hoc omittendum et corrigendum probabiliter erit. Eo vel magis, quoniam inter normas Commissioni Liturgicæ ad revisionem Decretorum adlectæ statutas, hanc primam legamus in Vol. I. continenti Decreta Authentica Congregationis Sacrorum Rituum, Romæ 1898: « Iis tamen non paucis [Decretis] ademptis... *c*) « quæ secum ipsa aut **cum certo Rubricarum præscripto confligerent.** » Ita, salvo meliori Auctoritatis judicio, reputamus, nixi etiam novissima Rubricarum emendatione; in qua licet ad ipsius Decreti tenorem, dicitur capitis inclinatio facienda versus librum, « nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam « caput inclinatur »; nihil tamen de inclinatione ipsa extra *Festum* Sanctorum omittenda adnotatur.

---

## TITULUS DECIMUS QUARTUS.

## DE GRADUALI AC SEQUENTI VERSICULO

### IN MISSIS VOTIVIS.

**107.** In Feriis Adventus, in Feria IV. et VI. ac Sabbato omnium Quatuor Anni Temporum extra Quadragesimam vel Tempus Paschale occurrentium, atque in Vigiliis quæ jejunantur, quando ad Missas feriales omittitur in Graduali *Alleluja* cum suo Versiculo; ad Missas votivas quascumque, etiam in colore violaceo dictas, neque *Alleluja* nec Versus

insequens erunt ullimode omittenda, quoniam ipsæ ritum habent jugiter festivum. [1]

**108.** In Missis votivis, quæ per se vel per accidens ad Sanctuaria majoris Ordinis infra Octavam Paschatis recitari sunt permissæ; non dicitur Graduale, sed quatuor *Alleluja* cum duobus Versiculis, uti reliquo Tempore Paschali ad easdem Votivas ordinatur. [2]

**109.** Votiva tamen de Resurrectione Domini, cui dant initium verba *Resurrexi,* a die Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, retinebit Graduale quod habet in die Solemnitatis, cum Missa hæc semper de Octava per illos dies censeatur. [3]

**110.** Item Missæ omnes, in quibus aliqua Christi Domini a mortuis resurgentis colitur Apparitio, habere debent Graduale infra eamdem Octavam Paschatis, unde ipsæ generatim et Evangelia sumunt, uti Votiva Resurrectionis [4]; nempe: *Hæc dies* sicuti per Octavam Resurrectionis, deinde Versus secundus post initium Gradualis in unaquaque Missa per annum designatus, postremo *Alleluja* cum sequenti Versiculo in qualibet ex Votivis post Graduale suum collocato. [5]

**111.** Si autem totum Graduale, vel aliquis ejusdem Versus, vel *Alleluja* cum Versiculo sequenti, ratione ritus ferialis vel Temporis talia non habentis, in aliqua Votiva desint [6]; item si extra quoddam Tempus, aut Festum ejusque Octavam incongrua videantur, nec facile possint accommodari [7]: in singulis casibus, unum eorum vel alterum vel omnia, prouti opus fuerit, aliunde suppleantur ad ritum et veritatem verborum etiam hic inviolate observandam.

**112.** Ne autem hæc omnia privato Celebrantium arbitrio relinquantur, suis apud hoc Missale Votivum locis, quæ debeant addi vel demi vel mutari secundum casus jugiter indicatur: ac præsertim in Missis jam olim concessis, atque etiam nunc, uti apud Missale Romanum apponuntur, ordinarie retentis [8]; itemque in aliis Votivis, quæ nunc primum e Romano in idem Missale Votivum Terræ Sanctæ invehuntur. [9]

## ADNOTATIONES IN XIV. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ratio hujus Rubricæ est, uti loquitur Meratus *part. I. Tit. IV. num. XLV.*, unde ipsa ferme litteraliter sumebatur: « Quia Missæ votivæ non sunt Missæ de Tempore, et participant aliquid de Festis, quorum sunt Votivæ: in his autem « post Graduale decet extra Septuagesimam audiri *Alleluja* ad exprimendam aliqualem lætitiam. » Merato consentiunt Gavantus *part. IV. Tit. XVII. num. 11*, Hagerer et Halden a Merato adducti, De Herdt *part. I. num. 30. in nota 1. ad Rubr. 4*, ac denique Missale Romanum in Missa votiva Beatæ Mariæ Virginis pro Tempore Adventus.

[2] Hæc est communis apud Auctores Liturgicos opinio, inter quos citantur Meratus *part. I. Tit. IV. num. XLV.* et *part. I. Tit. X. num. II.* ac *part. IV. Tit. XI. num. VI.*, Gavantus *part. IV. Tit. XVII. num. 12*, Bauldry, Corsettus, Halden et Ruiz a Merato adducti, cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 13. IV.* et *part. V. num. 18. I.*, necnon alii Auctores Liturgici. Ratio est quia, uti ait Meratus *loco primum citato,* « Graduale conveniat quidem Missis illius « Octavæ Paschalis; non tamen Missæ votivæ Paschali, quæ infra illam dicitur »: idemque alii repetere consueverunt.

[3] Igitur, cum jam consuetudine super Christi Sepulchrum Missa e Dominica Resurrectionis per totam Paschæ Octavam permittatur, quoniam ridiculum esset sumi Missa quædam dierum infra Octavam in qua agitur de Apparitionibus alibi quam in Sepulchro eodem factis, et postquam maxime aliæ Votivæ ad Sanctuaria majoris Ordinis per ipsam Hebdomadam haud vetantur; hinc merito quæri potest, utrum talis Missa extra saltem Paschatis diem habere debeat Graduale, an quatuor *Alleluja* cum duobus Versiculis ut reliquo Tempore Paschali? Auctores de hac quæstione agere non possunt, quoniam Missa Resurrectionis semper alibi ceu Votiva prohibetur, et præsertim infra Octavam propriam, in qua omnes Votivæ respondentes huic sunt vetitæ. Nos tamen credimus in Missa e die Paschæ accepta Graduale esse dicendum usque ad Sabbatum in Albis, idque: I°. Missa de Festo *per se* sine ullis mutationibus dicenda est per totam Octavam, atque mere *per accidens* est, si dies omnes infra Octavam Paschatis Missam propriam ac diversam atque prima dies possident; II°. Non habetur ratio, ob quam Meratus et alii in nota præcedenti adducti, Graduale Votivis negandum censent; III°. In prolegomenis ad Kalendarium Terræ Sanctæ *pag. 14 num. 9*, de *Ite missa est* hæc ad rem traduntur, quæ tamen ad Graduale ob rationis identitatem referri possunt: « In Missis votivis infra Octavam Paschæ dicendis, non est addendum « duplex *Alleluja* ad *Ite missa est* **(excepta Missa supra Sepulchrum Domini nostri Jesu Christi)** aut *Benedi-* « *camus Domino,* quia hoc tantum proprium est Missis ipsius Octavæ. » — Ergo, saltem in Missa Resurrectionis Christi incipiente *Resurrexi,* dicendum erit Graduale per totam Octavam usque ad Sabbatum in Albis.

[4] Hæ quidem Missæ apud Missale Votivum Terræ Sanctæ sub sequentibus numero et pagina inveniuntur: III. 4, V. 6, XI. 15, XIII. 18, XXXII. 43, LXXXV. LXXXVI. et LXXXVII. 123-127, XCIX. 147, CXIX. 179, CXXII. CXXIII. et CXXIV. 184-187. Evangelium enim earumdem Votivarum legitur per Octavam Paschæ, et Apparitiones inibi narratæ objectum Missarum infra Hebdomadam ipsam constituunt. Quemadmodum ergo in Missa *Resurrexi* conservatur Graduale, ita et Votivis illis addendum videtur; quippe quæ per talem Hebdomadam maxima ex parte vere sunt Missæ de occurrenti die, aptatis solummodo omnibus testimoniis ad Apparitionem ea Feria apud Missale Romanum celebrandam. Insuper, in hisce Votivis quæ semper Christi Resurrectionem colunt, non deesset mystica ratio, quam Aloysius de Carpo in Com-

PENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 112.* ita ex Ruperto declarat: « Quum Graduale sit doloris symbolum ac « laboris, ideo Tempore Paschali, per quod gaudium et beatitudo cœlestis adumbratur, prætermittitur. Quod si in Missa « diei infra Octavam Paschæ locum obtinet, id fit propter Neophytos, ut nimirum ex eo intelligant multum laboris eis super- « esse ad partem cum Christo habendam in secunda resurrectione. » Hæc nempe, inquimus, symbolica ratio in ipsis Missis votivis supra dictis plenissime occurrit: in quibus Beata Virgo Mater, Maria Magdalene, Apostoli et Discipuli coluntur quidem uti participes gaudii de Resurrectione Jesu provenientis, sed postquam consortes fuerant dolorum Dominicæ Passionis, et postquam in Christi desiderio et in ejus inquisitione plures eorum dolorose fideliterque institerant.

[5] Inspectis namque Missis omnibus infra Octavam Dominicæ Resurrectionis appositis, Graduale semper per verba *Hæc dies* inchoatur. Cæterum, si tota hujus Rubricæ ordinatio non placeat, a Revisoribus omittatur; quum in eorum gratiam, idcirco et hic separatim a Rubrica prorsus indubia circa Missam *Resurrexi* sit posita, atque in corpore Missalis Votivi non fuerit suis locis peculiariter adnotata.

[6] Ex Indulto Sedis Apostolicæ sub die 31 Augusti 1865, plures permittuntur Missæ votivæ, quin tamen ibi anterioribusque indicetur Rescriptis, quonam sit recurrendum, quoties ratione Temporis aut ratione ritus ferialis, vel totum Graduale vel aliquis ejusdem Versus desunt in Missis, cæteroquin Commune suum non semper habentibus. Et quidem inter Votivas apud Sanctuaria majoris Ordinis celebrandas, conceduntur sub relativo numero: I°. Missa de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, ubi deest Versus cum *Alleluja* post Graduale recitandus; IV°. Missa de Oratione Domini Nostri Jesu Christi in Monte Olivarum, simile habens incommodum; VIII°. Missa de Ascensione Domini, in qua totum deest Graduale atque Versiculus sequens cum *Alleluja*, quoties per annum sicut Votiva celebretur; XI°. Missa de Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, in qua Versus cum *Alleluja* post Graduale per annum deest recitandus. Inter Votivas autem apud Sanctuaria minoris Ordinis habendas, indulgetur sub numero: VI°. Missa de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, carens pariter Versiculo cum *Alleluja* post Graduale item ordinarie recitando.

[7] Indultum Sedis Apostolicæ sub die 31 Augusti 1865 publicatum, inter Votivas apud Sanctuaria majoris Ordinis celebrandas, duas Missas sequentibus incommodis laborantes sub respectivo numero concedit. « II°. Missam de infra Octavam Dominicæ Nativitatis *Puer natus est nobis*, in qua Versiculus cum *Alleluja* post Graduale collocatus, extra saltem dies a Nativitate ad Vigiliam Epiphaniæ decurrentes, videtur omnino incongruus et nullimode accommodabilis; nempe: « *Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram.* » VII°. Missam de Resurrectione Domini uti in die Paschæ, in qua totum Graduale, extra Octavam etiamque per annum noscitur incongruum; et maxime ejus initium « *Hæc dies, quam fecit Dominus: exsultemus, et lætemur in ea.* » = Porro, neque Indultum illud Concessionis neque anteriora quævis Rescripta ullatenus indicabant, qua ratione duobus hisce incommodis occurratur, in talibus præsertim Missis alias Commune suum non habentibus.

[8] Missalia Votiva parvæ molis hucusque edita, sequenti ratione occurrebant incommodis ad notam 6 et 7 superius enumeratis, quoad Votivas jam olim concessas. Et quidem, quod pertinet ad partes ibi deficientes: 1°. In Missa Annuntiationis, sumebatur Versus *Ave Maria* cum *Alleluja* e Votiva pro Tempore Adventus; 2°. In Missa Orationis, Versus idem statuebatur *Ne discesseris* ex fine Tractus ipsius Missæ; 3°. In Missa Ascensionis, Graduale cum primo Versu efformabatur e Versiculis *Ascendit Deus* ac *Dominus in Sina* jam pro Tempore Paschali designatis, *Alleluja* cum Versiculo sequenti *Exivi a Patre* a Vigilia Ascensionis e secundo Versu post Epistolam; 4°. In Missa Vigiliæ Apostolorum Petri et Pauli, Versus *Tu es Petrus* cum *Alleluja* ex Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii; 5°. In Missa de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, nondum in edita votiva Missa erat huic defectui remedium allatum. Quoad vero partes attinet in Missis concessis sæpius incongruas: 1°. In Missa Resurrectionis, Graduale haud pulchrum ex primo Versiculo post Graduale in Missa Feriæ V. infra Octavam Paschatis in duos diviso: « *Lapidem... in caput anguli* « ℣. *A Domino... oculis nostris.* » 2°. In Missa Nativitatis, solummodo in Versiculo omissum erat verbum *Hodie;* at insufficienter ob totius Versus incongruentiam, et erronee solum per Octavam non autem usque ad Vigiliam Epiphaniæ, retinebatur vox illa *Hodie.* = Nos vero, hujusmodi defectus nova nunc et efficaciori ratione aliquando tollere, omniaque legitimæ Auctoritatis examini subjicere censuimus; quoniam et Missalia Votiva hucusque edita nec plenum ubique incommodis remedium, neque admodum varietatis et pulchritudinis regulis conforme, privatoque insuper nomine inducebant.

[9] Unicum exemplum habetur quoad Missam de Inventione Sanctæ Crucis in Sanctuario proprio celebrandam, quæ novissime Votivam alteram de Cruce circa finem Missalis Romani positam subrogavit.

---

## TITULUS DECIMUS QUINTUS.

### DE TRACTU RECITANDO VEL OMITTENDO

### IN MISSIS VOTIVIS.

**113.** In omnibus Votivis, a Septuagesima usque ad Pascham celebrandis, semper locum habet Tractus, prouti nempe in Missis Festorum tunc recurrentium: etiamsi eo Tempore, ad illas Ferias in quibus resumitur ante Cineres Missa Dominicæ præcedentis, et in Feriis III. et V. ac Sabbato infra Hebdomadas Quadragesimæ, Tractus ipse omittatur. [1]

**114.** Aliis per annum diebus, extra Tempus a Septuagesima ad Pascham decurrens, ad Votivas quascumque omittitur omnino Tractus; etsi in Vigilia Pentecostes ac Sabbatis

omnium Quatuor Anni Temporum post ultimam Epistolam Tractus ille ad Missam Feriæ currentis habeatur [2]; quamvisque in eadem Vigilia et Sabbato infra Octavam Pentecostes Votiva de Spiritu sancto interdum recitetur. [3]

**115.** Quoties in aliqua Missa desit Tractus, eo quod vel in Festo respectivo ob rationem Temporis non fuerat appositus [4], vel extra illorum ambitum dierum videatur incongruus; quum talis Votiva fuerit a Septuagesima usque ad Pascham recitanda, Tractum congruentiorem aliunde semper mutuatur. [5]

**116.** Ad evitandas tamen quaslibet difficultates et incongruentias in Sacri celebratione, apud Missale Votivum Terræ Sanctæ, unaquælibet Missa, sive ex jam indultis [6], sive e noviter concedendis [7], jam Tractum sibi convenientiorem suo loco novissime obtinuit.

## ADNOTATIONES IN XV. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hanc Rubricam efformavimus ex iis, quæ Meratus notat *part. I. Tit. IV. num. XLV.*, auctoritate fretus Lohner et Hagerer ibi adductorum. Cæterum, eadem doctrina ab omnibus Liturgicis Auctoribus ipsoque Missali Romano approbatur; nam omnes edicunt in Missis votivis a Septuagesima ad Pascham usque celebratis Tractum esse recitandum, quin ullam quandoque ponant exceptionem. Et denique approbatur ex eo, quod alibi ad notas sub Nono præsentium Rubricarum Titulo dictum fuit: nempe Votivas participare de Festis, in quibus eodem Tempore numquam omittitur Tractus.

[2] Numquam invenimus Auctores, qui de Missis votivis in duplici hoc postremo casu dicendis quæstionem instituant; at facile eam solvimus ex principio generali Votivas omnes moderante. Missæ enim votivæ, uti jam alibi advertimus cum Merato *part. I. Tit. IV. num. XLV.*, non sunt Missæ de Tempore; sed participant de Festis, quorum sunt aut possunt esse Votivæ. Hinc licet, uti etiam Festa tunc celebranda, subjiciantur ritui Quadragesimæ, Passionis, Paschatis, atque Communis per annum; non tamen subsunt ritui, qui per quoddam ex iis Temporibus in aliqua Feria peculiariter ordinatus cernitur.

[3] Ex iis quæ supra notantur, omnibus palam fit, neque Missam de Spiritu Sancto habere Tractum posse, quum in Vigilia Pentecostes aut Sabbato infra sequentem Hebdomadam more votivo celebretur: quoniam Missa illa *Spiritus Domini* festiva est, non autem diei occurrentis; ac Tractus præfatis diebus est exclusive proprius Vigiliæ, necnon Missæ de sacra Ministrorum Ecclesiasticorum ordinatione. — Cf. ea quæ ad notam 3 sub Nono præsentium Rubricarum Titulo, et ad notam item 3 sub Decimo earumdem Titulo, et alibi passim notavimus.

[4] In omnibus Rescriptis anterioribus, atque etiam in ipso Indulto sub die 31 Augusti 1865, nullatenus indicabatur undenam sumendus esset Tractus ad Missas more votivo recitari permissas, quæ plerumque suum omnino Commune non habere noscuntur. Hujusmodi ergo defectus occurrit in Votivis pluribus, quæ apud Indultum cum indicatione diei et mensis et anni jam citatum permittuntur. Ibi enim inter Votivas apud Sanctuaria majoris Ordinis celebrandas, conceditur sub numeris: II°. Missa de infra Octavam Nativitatis *Puer natus est nobis;* VII°. Missa Dominicæ Resurrectionis; VIII°. Missa Ascensionis; IX°. Missa Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; XI°. Missa de Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, XII°. Missa de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ. Inter Votivas demum apud Sanctuaria minoris Ordinis recitandas, permittitur sub numeris: I°. Missa Transfigurationis; IV°. Missa Visitationis Beatæ Mariæ Virginis; VI°. Missa de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ; IX°. Missa de Sancta Maria Magdalena; XI°. Missa de die Octava Epiphaniæ.

[5] Deficientiæ Tractuum ad notam 4 indicatæ, Missalia Votiva parvæ molis hucusque edita, incongruum taliter remedium ac privato nomine afferebant; assignantes: 1°. Missæ de Nativitate Domini *Puer natus est nobis*, Tractum *Tecum principium*, qui e solo Graduali ad primam Natalis Missam sub media nocte dicendam efformatur; 2°. Missis de Resurrectione Domini, ejus Ascensione ac Transfiguratione, Tractum *Laudate Dominum* e Sabbato Sancto aut e Vigilia Pentecostes acceptum; 3°. Missæ de Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Tractum *Tu es Petrus* e Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii; 4°. Missæ de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, Tractum *Fuit homo* e solo Graduali respectivæ Vigiliæ desumptum; 5°. Missæ de Visitatione Beatæ Mariæ Virginis, Tractum *Gaude Maria Virgo* e Votiva ejusdem a Septuagesima usque ad Pascham; 6°. Missæ de Sancta Maria Magdalena, Tractum *Veni sponsa Christi*, e Missa *Cognovi* de Communi nec Virginis nec Martyris. In Missis autem de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, de die Octava Epiphaniæ, nil quoad Tractum ex consuetudine deducitur; quum ob rarum talium Missarum usum, numquam ipsæ separatim editæ hucusque fuerant.

[6] Remedium namque illud, quod sub nota 5 supra vidimus allatum deficientiæ Tractuum, non solum privata auctoritate videbatur inductum, sed non sæpe erat congruum, aut universale. Enimvero: I°. Tractus communissimus *Laudate Dominum* nil cum Resurrectione, Ascensione ac Transfiguratione Domini habet commune; et ne in Votiva quidem de Spiritu sancto retinetur, quamvis in Vigilia Pentecostes jam fuerit assignatus: II°. Alii Tractus apud Missale idem Romanum duos saltem Versus præter initium communiter habent; dum Tractus in Missalibus Votivis antea suffecti, unum tantummodo Versiculum accipiebant: III°. Insuper, ad Votivas de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, et maxime de Octava die Epiphaniæ, nullus adhuc Tractus assignatus erat: IV°. In Missa demum de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, deque aliis Mysteriis, Auctores alium quam ibi Tractum ordinarie sumendum edixere.

[7] Missæ noviter concedendæ, quibus Tractum novissime adjecimus, utpote qui apud Missale Romanum deficiebat, sunt: Missa de Sancta Helena Imperatrice, secunda Missa de Nativitate Domini *Lux fulgebit*, de Epiphania, de Sancto Jacobo Apostolo, de Sancto Joanne Apostolo et Evangelista, de Sancto Joachimo Patre Beatæ Mariæ Virginis. Hisce addi possent aliæ Missæ, quibus non solummodo Tractus, sed aliæ quoque partes omnino propriæ novissime tribuuntur, etsi apud Missale Romanum communia testimonia prorsus possiderent.

## TITULUS DECIMUS SEXTUS.

## DE BINIS VERSIBUS PRO TEMPORE PASCHALI IN MISSIS VOTIVIS.

**117.** In omnibus Missis votivis, quæ a Dominica Resurrectionis usque ad Sabbatum infra Octavam Pentecostes sint celebrandæ, dicuntur duo Versus inter quatuor *Alleluja*, prouti ad Missas Festorum occurentium tunc efficitur [1]; idque etiamsi in Missa Feriæ occurrentis aut unus tantum Versus, aut etiam Tractus habeatur. [2]

**118.** Infra Octavam quoque Paschatis Missa quævis non debet habere Graduale, sed duo Versus inter quatuor *Alleluja*, prouti nempe reliquo Tempore Paschali [3]; excepta tamen Votiva de Resurrectione Domini *Resurrexi*, cui per Hebdomadam illam Graduale merito servatur, utpote ad Octavam suam vere pertinenti. [4]

**119.** Item in omnibus Votivis, in quibus memoratur aliqua Christi a mortuis resurgentis Apparitio, per eamdem Paschatis Octavam, infra quam tales Apparitiones singillatim recoluntur, legendum est Graduale, prouti jam sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo notatur; quoniam tales Missæ, iisdem e causis, veluti ad Resurrectionis Octavam pertinentes licent merito computari. [5]

**120.** Si ratione Temporis in aliqua Votiva e Missali Romano desumpta desint hujusmodi Versus [6], aut unus vel alter vel uterque ex appositis extra Festum ejusque Octavam videantur incongrui [7], aliunde omnino suppleantur; quoniam in hac, quemadmodum et in aliis totius Missæ partibus, inviolate observari oportet ritus ac veritas verborum. [8]

**121.** Ne autem hujusmodi negotium privato Celebrantium arbitrio committatur, in omnibus Votivis quæ apud Missale Votivum Terræ Sanctæ inveniuntur, sive ex jam concessis sive ex noviter concedendis [9], quid singulos ad casus rite agendum fuerit, opportune suis locis semper indicatur. [10]

### ADNOTATIONES IN XVI. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ita docent omnes Auctores Liturgici, qui cum Merato *part. I. Tit. IV. num. XLV.* post Halden, præterea notant super qualibet Missa Personæ Commune suum habentis: « Versus illi cum quatuor *Alleluja* desumi pro ea debent de Com- « muni illorum Sanctorum, de quibus Missa votiva celebratur. » Demum, hoc etiam eruitur e Missali Romano, ubi Votivæ circa ipsius Missalis finem collocatæ, semper habent duo Versus inter quatuor *Alleluja* pro universo Tempore Paschali.

[2] In Missa quidem Rogationum et Feriæ IV. infra Hebdomadam Pentecostes habetur in Missali Romano unus tantummodo Versiculus, atque in Missa Vigiliæ et Sabbati infra Octavam Pentecostes recitatur et Tractus; ast hæc omnia pertinent exclusive ad Ferias illas, et non ad ritum Paschalem qui a Dominica Resurrectionis usque ad Sabbatum ante Festum Sanctissimæ Trinitatis ordinatur. Votivæ autem, uti jam ad notam 1, 2 et 3 sub Nono præsentium Rubricarum Titulo ediximus, non subjiciuntur ritui feriali sed festivo in Missis Sanctorum tunc habendis servato. Denique, idem e silentio Rubricarum Auctorumque deducitur, qui nullam exceptionem pro Votivis ad Ferias illas recitandis admittunt; quas tamen nos hic nominatim includere, ratione uniformitatis alibi quoque ab Auctoribus servatæ, jure maluimus. Consuli etiam possunt ea, quæ ad notam 3 sub Decimoquinto præsentium Rubricarum Titulo et alibi passim observavimus.

[3] Quoniam casus identicus omnino est cum altero, quem sub Decimoquarto harum Rubricarum Titulo pertractavimus; ne hic inutiliter jam illic dicta repetantur, consuli possunt ea, quæ ibidem ad notam 2 advertebamus.

[4] Cf. ea quæ alibi, ad notam 3 sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo, circa rem istam observavimus.

[5] Cf. omnia, quæ opportune ad notam 4 sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo consideravimus.

[6] Anteriora quævis Rescripta, atque etiam Indultum sub die 31 Augusti 1865 latum, Missas hujusmodi Versiculis pro Tempore Paschali carentes quotidie ceu Votivas permittebant, quin simul indicarent undenam Versus illi in casu forent assumendi. Re sane vera, per Decretum illud Concessionis supra ultimo loco citatum, inter Votivas tali incommodo laborantes, assignatur apud Sanctuaria quidem majoris Ordinis sub numeris: II°. Missa de infra Octavam Nativitatis *Puer natus est nobis*, IV°. Missa de Oratione Domini in Monte Olivarum, VII°. Missa Dominicæ Resurrectionis *Resurrexi*, IX°. Missa de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, XI°. Missa de Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, XII°. Missa de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ. Inter Votivas autem apud minoris Ordinis Sanctuaria, conceditur sub numeris: I°. Missa Transfigurationis, IV°. Missa Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, VI°. Missa de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, IX°. Missa de Sancta Maria Magdalena Pœnitente, X°. Missa de Sanctis Innocentibus, XI°. Missa de die Octava Epiphaniæ. — Porro, quum plures ex eisdem Missis non habeant Commune respectivum, liquido patet, quam difficile vel arbitrarium foret hujusmodi supplere Versus; et quam a Liturgico sensu abhorrens in iis etiam quæ habeant Commune, vel incongrue permisceri partes proprias cum aliis Missæ partibus impropriis, vel alioquin etiam tunc quidpiam arbitrarie disponi.

[7] Si enim in aliquibus Versiculis læderetur veritas verborum, hi extra Festum ejusque Octavam in magis accommodatos permutandi essent, juxta principium generale votivas dirigens Missas. Hinc exempli gratia, ad Versus pro Tempore Paschali efficiendos, verba *Hæc dies* unde incipit Graduale in Dominica Resurrectionis, incongrua essent extra Octavam Paschatis; pariterque incongruus foret Versus *Solemnitas*, qui post Graduale ad Missam de Sanctissimo Rosario Beatæ Mariæ Virginis collocatur.

[8] Jam Missalia Votiva parvæ molis hucusque edita sic privato nomine defectus illos Versuum auferebant, assignantia quidem: 1°. Missæ de infra Octavam Nativitatis Domini *Puer natus est nobis*, Versus *Dies sanctificatus* (extra Tempus Natalitium omnino incongruum), atque *Dominus regnavit* e Dominica infra Octavam ejusdem Nativitatis; 2°. Missæ de Oratione Domini, Versus *Æstimatus sum* e Graduali (repugnantem voci *Alleluja*), atque *Et ne avertas* ex Tractu; 3°. Missæ de Resurrectione Domini, Versus *Pascha nostrum* ibi exstantem, atque *Surrexit Dominus de Sepulchro* e Feria III. infra Octavam Paschæ; 4°. Missæ de Vigilia Sanctorum Petri et Pauli, Versus duos e Missa Sancti Marci Evangelistæ sub die XXV. Aprilis; qui tamen Versus nullatenus conveniunt Missæ de Cathedra Romana, ex qua in eodem Missali Votivo Versus cum *Alleluja* post Graduale atque Tractus jam supplebantur; 5°. Missæ de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, Versus *Tu puer* ibi exstantem, atque *Priusquam* ex initio Gradualis, contra opinionem Auctorum qui in casu recursum ad Commune præcipiunt; 6°. Missæ de Transfiguratione, Versus *Speciosus forma* necnon *Eructavit*, ambos ex initio Gradualis et e primo ejusdem Versiculo, contra usum Missalis Romani apud quod semper infra Tempus Paschale pro alterutro Versiculo adhibetur Versus cum *Alleluja* post Graduale appositus, nisi saltem alius omnino novus ac proprius apponatur; 7°. Missæ de Visitatione Deiparæ, Versus pro Tempore Paschali uti in Missa de ipsius Annuntiatione; cum potius sumendi essent ex Votiva ejusdem Beatæ Mariæ Virginis circa finem Missalis Romani collocata; 8°. Missæ de Sancta Maria Magdalena, Versus e Missa *Cognovi* de Communi nec Virginis nec Martyris; 9°. Missæ autem de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, de Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, de Sanctis Innocentibus, atque de die Octava Epiphaniæ, quoniam necdum separatim editæ fuerant, respondentes Versus omnes arbitrio Celebrantium eligendos incongrue relinquebant. = In nova igitur hujus Missalis editione, quoties apud Missale Romanum non essent quomodovis indicati; proprios suffecimus (itemque Gradualia cum *Alleluja* et Versiculo sequenti aut Tractus); ne varietas lædatur, ac testimonia propria cum impropriis inepte misceantur. Id autem sine nota temeritatis audere potuimus; cum et hoc juxta laudabiliora Romani Missalis exempla esset, et totius rei examen legitimæ Auctoritati omnino remitteretur.

[9] Missæ autem, quæ novissime e Romano in Missale Votivum Terræ Sanctæ advehuntur, jam ad notam 7 sub Decimoquinto præsentium Rubricarum Titulo indicantur, ubi de Tractu specialis habetur sermo.

[10] Versiculi pro Tempore Paschali, secus atque Graduale vel Tractus, in Missis propriis facillima jugiter ratione efformari possent, quin ullatenus recursus ad respectivum Commune Personarum habeatur; juxta quidem exempla, quæ apud Missale Romano-Seraphicum passim inveniuntur, quorum vel unum cujusque generis nobis sufficiat adduxisse. Et revera, hunc in finem inservire queunt: I°. Versus post initium Gradualis, ac Versus sequens cum *Alleluja;* uti in Missa de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis sub die VIII. Decembris: II°. Initium Gradualis, ac Versus immediate sequens, omisso altero Versiculo cum *Alleluja;* uti in Missa de Sancta Margarita Cortonensi Pœnitente sub die XXII. Februarii: III°. Initium Gradualis, ac Versus cum *Alleluja,* omisso etiam Versiculo intermedio post initium Gradualis collocato; uti in Missa de Sancto Justino Philosopho et Martyre sub die XIV. Aprilis; IV°. Tractus ejusque Versiculi, uti in Missa de Septem Doloribus Virginis Mariæ. = Igitur cum Missæ omnes vel Tempore Paschali collocentur, et tunc nulla est quæstio; vel alio Tempore semper habeant Graduale, ac per annum aut *Alleluja* cum Versiculo sequenti aut post Septuagesimam Tractum: liquido patet in omnibus Missis vel jam haberi Versiculos hujusmodi, vel saltem ibi facillima ratione confici illos posse; uno quidem ex notatis modis, prouti rectus voluerit ordo, necnon ritus ac veritas verborum exegerit, vel necessaria continuatio textus in duos sæpe Versus distributi, atque partes Missæ pro diverso Tempore illic exsistentes deposcerint. Quod si Auctores Liturgici in casu ad Commune Sanctorum remittunt, etsi testimonia propria sic communibus admisceantur; hoc ideo consulunt, quia minus eis videtur istud incommodum, quam quidquam privato Celebrantium nomine agendum permittere, cum aliquo uniformitatis vitio et cum periculo ritus ac veritatis verborum.

---

## TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

## DE SEQUENTIA NECESSARIO VEL LIBERE DICENDA IN MISSIS VOTIVIS.

**122.** In omnibus Votivis, quæ in propriis Festis et per Octavas eorumdem privatim aut solemniter celebrantur, ex præcepto recitanda est respondens eis, si habeatur Sequentia [1]: quamquam de Officio Festi vel Octavæ occurrentis, vel sola vel nulla Commemoratio in Missis diei quandoque peragatur [2], vel denique, in alios dies eo anno fiat repositio. [3]

**123.** Quando autem Missæ Sequentiam suam habentes, extra diem Festum ejusque Octavam more votivo fuerint privatim aut solemniter celebrandæ: tunc e novo privilegio, Sequentia ad libitum Sacerdotis Missam lecturi adjungenda vel omittenda relinquitur; qui nihilominus in Missa cantata, ut omnia ordinate fiant, rem prius cum iis ad quos pertinet, conferre non omittat. [4]

**124.** Sequentia tamen *Victimæ Paschali* in Missa Dominicæ Resurrectionis collocata, ac Votivæ tributa de Resurrectione *Resurrexi,*

ac Missæ celebrandæ ad locum ubi Christus post Resurrectionem suam Mariæ Magdalenæ apparuit [5]; extra Tempus Paschale, utpote incongrua, erit omnino relinquenda: quoniam dumtaxat eo dierum spatio locum habere convenienter possit in utraque Missa, præceptive quidem per Octavam Paschæ, et libere dein infra reliquum Tempus Paschale. [6]

**125.** In omnibus denique Votivis, quæ aliquam Christi Domini a mortuis surgentis celebrant Apparitionem, exceptis ut supra Missis *Resurrexi* et *Tibi dixit*, Sequentia *Victimæ Paschali* minime recitatur, ne a Dominica quidem Resurrectionis usque ad Sabbatum in Albis, utpote eisdem impropria. [7]

**126.** In Sequentiis vero nunc apud Missale Votivum Terræ Sanctæ exsistentibus, quocumque anni Tempore Votivæ recitentur, nulla omnino fiet immutatio; præterquam in Sequentia *Lauda Sion Salvatorem*, ubi extra Octavam Sanctissimi Corporis Christi, omittuntur Strophæ *Sit laus plena sit sonora* atque *Dies enim solemnis agitur*, utpote extra dies illos incongruæ, prouti suo apud hoc Missale Votivum loco adnotabitur [8]; quoniam in præsenti, sicuti in aliis quoque Missæ partibus, servari jugiter debet ritus ac veritas verborum.

**127.** Sequentia demum, communi per annum Tempore ac simul Paschali recitatur post ultimum respective Versiculum, postremo *Alleluja* in finem ipsius Sequentiæ translato post verbum *Amen;* a Septuagesima vero usque ad Pascham, post ultimum Tractus Versiculum eadem Sequentia collocatur.

## ADNOTATIONES IN XVII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] In Missis votivis omittenda est generatim Sequentia, uti allata inferius rite probant argumenta. I°. Hoc jubet S. R. Congregatio *16 Septembris 1673 in Corduben. ad 2*, necnon *21 Martii 1795 in Conimbrien. ad 2.* = II°. Idipsum affirmant omnes Auctores Liturgici, quorum nomina hic necesse non erit adducere, quoniam de rebus agitur notissimis. = III°. Apud Missale Romano-Seraphicum ad Missas de Sanctissimo Nomine Jesu sub die XIV. Januarii, de Septem Doloribus Virginis Mariæ sub Feria VI. post Dominicam Passionis, de S. P. N. Francisco sub die IV. Octobris, semper respectivo loco hæc habentur verba: «**Sequentia in Missis Votivis omittenda.**» = IV°. Hoc ipsum affirmatur num. 3 inter NOTANDA QUÆDAM GENERALIA AD MISSALE FRATRUM MINORUM per S. R. Congregationem die 13 Februarii 1666 approbata; ubi legitur: «Qualibet Feria V.... Missa Conventualis erit de Sacramento, prout ponitur in Missali post Commune Sanctorum, in qua **non dicitur Sequentia seu Prosa...**» = V°. Demum, in Indulto Sedis Apostolicæ sub die 31 Augusti 1865, etsi quoad Sequentias de Spiritu sancto et de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ac de Septem Virginis Doloribus nihil edicatur, utpote jam aliunde certo omittendas, inter Votivas primæ Classis indulgetur: «VII°. Supra Sepulchrum Domini Nostri Jesu Christi; — Missa ut in die Paschatis... sed absque *Communicantes* et *Hanc igitur* propria, «**sine Sequentia**: et in Oratione omittatur *hodierna die.*» Hinc etiam in casibus infra exponendis omittebatur Sequentia.

[2] Si de Festo vel Octava integrum agatur Officium, certo certius Sequentia debet adjungi; quoniam Missa est de Officio currente, omissis quamquam ex privilegio Commemorationibus, et licet infra Octavam Paschatis et Pentecostes Missa propria, diversaque quam in Festo accidentaliter habeatur. Ast etiam quum sola vel nulla agatur Octavæ (vel Officii) Commemoratio, Sequentia est adjungenda; quia sine ulla distinctione, aut Officii integre recitati vel non recitati, aut solummodo vel nullatenus commemorati, omnino hæc probant argumenta: I°. Numero 7 inter NOTANDA QUÆDAM GENERALIA AD MISSALE FRATRUM MINORUM per S. R. Congregationem die 13 Februarii 1666 approbata, legitur: «Quando exponitur Sacramentum... cantari debet Missa... de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi «(**nisi infra Octavam ejusdem Festi casus accideret.**)» II°. Expressius autem, juxta Clementinam Instructionem, S. R. Congregatio *18 Maji 1883 in Marianopolitana ad V.* hoc item declaravit: «Infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi, «Missa erit de Octava eadem **cum Sequentia.**» III°. Rationes in oppositum adductæ vim non habent in casu nostro: quia Decretum S. R. Congregationis *16 Septembris 1673 in Corduben. ad 2* agit de Votiva Septem Dolorum, quæ Festum cum Octava non habet; Decretum *21 Martii 1795 in Conimbrien. ad 2* loquitur de Missa respondente Officiis Votivis Sanctissimi Sacramenti extra Octavam suam recitandis; Indultum sub die 31 Augusti 1865, atque Auctores demum Liturgici loquuntur de Missa extra Festum et Octavam, quibus diebus Votivas prohiberi censent, quemadmodum nempe loquuntur, cum de omissione Introitus *Gaudeamus*, ac de mutationibus agunt in Oratione aliqua faciendis.

[3] Casus iste nonnisi quoad Sequentiam *Stabat Mater dolorosa* potest modo recurrere, quum bina Septem Virginis Mariæ Dolorum Festa, mense Martio ac Septembri celebranda, ad aliam diem transferantur; nam Solemnitas Paschæ, Pentecostes, ac Sanctissimi Corporis Christi numquam transfertur. Quæritur autem num in tali casu, quum Missa uti de Festo transferendo censeri valeat, locum habere possit ex præcepto Sequentia, vel non habere. Aloysius de Carpo in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 32*, ita ad rem loquitur: «Missa de Festo, quod transferatur, canenda est «post Nonam, et dicenda **eo prorsus modo** ac si de illo Officium fieret.» Verum quidem est, hic verbum explicite non haberi de Sequentia, sed tamen jure includitur vocibus **eo prorsus modo**; ac proinde, quemadmodum eo die Sequentia recitaretur, si Officium fieret; ita etiam dicenda est, si Officium idem non agatur. Insuper, in casibus huic affinibus omitti non debent verba *hodie, hodierna die,* neque permutari *Solemnitas, Natalitia, Festum* et similia: quoniam, licet in translatione quoque accidentali Orationes tales serventur immutatæ ad evitandam privatorum licentiam, uti ex Decreto S. R. Congregationis *7 Septembris 1816 in Tudent. ad 21*, P. Aloysius de Carpo *Ibidem part. II. num. 154* observat; tamen verba illa potius diei **vere** Natalitiæ et diei in **qua** Solemnitas manet **affixa** congruere videntur, quam diei in quam tantum-

modo Officium solummodo transfertur. Igitur, cum eædem causæ utrobique recurrant quoad Orationes simul et Sequentiam; patet in casu eamdem Sequentiam convenire Votivis, etiamque Missis in casu tunc privatim celebrandis.

[4] Quemadmodum in corpore Missalis Votivi sæpius innuimus, plures Sacerdotes Votivam dicentes de Doloribus, de Resurrectione Christi, de Spiritu Sancto, ac de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; desiderium patefecerunt recitandi Sequentiam respectivam, quæ tam apta est ad ciendos affectus pios, præsertim cum Missæ in Loco ubi Mysteria contigere, fuerint celebrandæ. Horum desideriis satisfacturi, dispensationem a Sede Apostolica imploramus earum legum, quæ extra Festum ejusque Octavam Sequentias in Votivis non concedunt. Sequentibus autem argumentis petitio ipsa fulcitur: I°. In Missis Quotidianis Defunctorum, quæ si numerum Orationum causasque Missæ spectaveris, Votivæ quodammodo sunt respectu Missarum in die obitus seu depositionis et ab alterutro eorumdem tertia, septima ac trigesima atque anniversaria dicendarum; Sequentia arbitrio Sacerdotum private celebrantium relinquitur, præcipiturque in Missis decantatis. II°. In Sequentiis apud Missale Votivum Terræ Sanctæ optime servatur semper ritus et veritas verborum; ac proinde deest ratio prohibitionis, nempe nimia relatio ad Festum ejusque Octavam, ex qua alio anni Tempore Sequentiæ plerumque fiunt incongruæ. III°. Finis Sequentiarum in Votivis nostris semper obtinetur: quia enim Sequentia, uti ait A. de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 116,* «Confert ad lætitiam aut compunctionem excitandam» et ad admirationem ingerendam, incongrua solum erit cum sensus lætitiæ extra diem Festum insolitos exprimere videatur; quod tamen in nulla ex Sequentiis nostris locum habere cernitur, immo contrarium præsertim in Sequentia Dolorum Virginis occurrit.

[5] In Sequentia *Victimæ Paschali* pluribus verbis Maria Magdalena respicitur; hinc optime ad ejus Votivam Sequentia illa ordinatur pro Loco ubi memoria Apparitionis, qua Christus a mortuis excitatus Discipulam suam consolatus est, recolitur. Aptissime namque ibi ad Sanctam referuntur saltem Strophæ: «**D**ic nobis, Maria, — Quid vidisti in via? = «**S**epulchrum Christi viventis, — Et gloriam vidi resurgentis. = **A**ngelicos testes, — Sudarium, et vestes. = **S**urrexit «Christus spes mea: — Præcedet vos in Galilæam.»

[6] Sequentia *Victimæ Paschali* quotidie infra Octavam Paschæ ad Missam *Resurrexi* ex præcepto est recitanda, uti allata superius ad 2 notam omnino probant argumenta; et confirmatur ex iis, quæ circa Missam hanc pag. 650 notabat olim Elenchus Cæremoniarum Terræ Sanctæ: «Sequentia solum dicitur infra Octavam Paschæ. *Durandus lib. 4. Cap. 22.* «*num. 3.*» Eidem autem Missæ *Resurrexi* atque Votivæ *Tibi dixit* de Sancta Maria Magdalena, infra Tempus Paschale recitandis, hæc competit ex gratia quam novissime imploramus. Non tamen extra Tempus illud eadem Sequentia recitanda congrue videtur, non solum ob verba *Victimæ Paschali,* sed quia et satis inconcinna est, et lætitiam exprimit communi forsan Tempori nimis impropriam. Si tamen Auctoritas velit, ipsam toto anni Tempore permittat atque extendat etiam ad Missam alteram Resurrectionis *Deus suscitavit,* sive pro Tempore solum Paschali sive pro reliquis diebus per annum.

[7] Cf. ea, quæ jam ad notam 4 sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo notavimus. — Attamen cum ibi sit sermo de ritu qui proprietatem non lædit, hic vero de parte adjungenda in Missis quibuscum Sequentia parvam habet relationem; in Missali Romano Missæ de Octava Paschatis generice Resurrectionem celebrent, hic sub aliqua omnino Apparitione: hinc Rubrica Sequentiam negans apponitur, quæ tamen pro Octava Paschæ posset in affirmantem commutari.

[8] Præfata earumdem Stropharum ablatio, nedum Prosæ connexionem auferat, valde potius obfirmat, regulas rhytmicas intactas conservans. In tota enim Sequentia agitur de Venerabili Eucharistiæ Mysterio, abstrahendo a circumstantia diei ad recolendam solemnitatem instituti; præterquam in duabus Strophis, quæ extra Octavam hic omitti ordinantur. Cæterum, si in Orationibus, in Hymno *Iste confessor,* in Sermone de Communi Confessoris tum Pontificis tum non Pontificis pro pluribus adhibito Sanctis, mutationes fiunt; si respective in Hymno ad Matutinum de Virginibus pro non Virginibus assumpto, vel in Secreta ad Missam *Terribilis* extra propriam Ecclesiam, aut demuntur integræ Strophæ aut plurima verba: non videtur incongruum, ut ad Sequentias quoque regula illa iisdem e causis possit extendi. Verba autem Strophæ tertiæ: «**L**audis thema specialis — Panis vivus et vitalis — Hodie proponitur», bene dici possunt cum Votiva de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento extra Octavam quoque suam celebretur. Nam vere est **Laudis thema specialis** ad Votivam ea propositum die, distinctumque a themate communi quod in honorem Eucharistiæ Missas ad omnes proponitur. Demum, quoniam Votivæ et Suffragia Sanctorum a Liturgicis merito Auctoribus adæquantur, in casu nostro non violatur ritus ac veritas verborum per voces illas, quemadmodum non violatur in Oratione de Nativitate Joannis Baptistæ, ubi ex Decreto S. R. Congregationis *23 Junii 1893 in una Vicariatus Apostolic: Carolinæ Septemtrionalis,* dicitur: «Deus qui **præ-sentem diem** honorabilem nobis in beati Joannis Commemoratione fecisti.» Aut sicut non violatur in Oratione Sancti Bartholomæi Apostoli, de qua ante alios Auctores Liturgicos, ajebat Gavantus *Sect. V. Cap. XVIII. num. 10:* «Nec est «incongruum dicere: *Qui venerandam, sanctamque lætitiam in B. Bartholomæi Commemoratione:* et his similia, quia «non enunciantur falsa, et Commemoratio Patroni, seu Titularis est quasi repetitio Festi per annum.»

## TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

## DE SYMBOLO RECITANDO VEL OMITTENDO IN MISSIS VOTIVIS.

**128.** In omnibus Missis votivis, quæ sive solemniter sive privatim ad Sanctuaria majoris Ordinis quotidie celebrantur, recitandum semper est Symbolum; quamvis ad eas Paramenta coloris violacei, et extra Dominicam quoque, fuerint vigore præsentium licet Rubricarum tunc adhibita. [1]

**129.** Ad Votivas autem apud Sanctuaria minoris Ordinis celebrandas, per se et ordinarie Symbolum non habetur [2]; quamvis Missæ

in diebus infra Octavam eis quomodolibet alienam, aut in Dominica, aut in aliis solemnioribus Festis vel diebus *Credo* alioquin requirentibus, fuerint votivo more recitatæ, in eisque cantus extra Dominicam adhibitus. [3]

**130.** In die multipliciter Personarum et Mysteriorum propria, necnon per eorumdem integram Octavam si etiam præsentium vi Rubricarum hæc habeatur, Missæ omnes etiam ad Sanctuaria minoris Ordinis celebrandæ, recipiunt Symbolum [4], quamvis de eisdem Mysteriis aut Personis ne Officium quidem vel Commemoratio aliquando peragatur; quoniam tum Sanctuaria quævis uti majoris Ordinis seu Classis Sanctuaria debent reputari, prouti fusius in Quarto jam præsentium Rubricarum Titulo explicatur. [5]

**131.** Hinc etiam in Missis votivis, quæ apud Sanctuaria minoris Ordinis interdum quacumque ex causa solemniter celebrantur, nempe cum sacris Ministris et cantu atque Organorum sonu, et maxime quando adest concursus populi seu Peregrinorum illuc satis affluentium; hisce in casibus semper canitur *Credo* ratione Solemnitatis, quemadmodum videlicet plerumque ageretur in ipsis Festis, quibus Votivæ respondent vel possent respondere. [6]

**132.** Quod si unum aut alterum ex his Solemnitatis signis, ob aliquam necessitatis causam, omitti aliquando oporteat, adhuc recitari Symbolum poterit; dummodo Missa ex alio capite solemnis adhuc sit, maxime ratione concursus Fidelium, et saltem in cantu ipsa celebretur. [7]

**133.** Immo, Missæ omnes votivæ quæ simpliciter in cantu Dominica die celebrantur, ratione ipsius Dominicæ, omnino Symbolum recipiunt [8]; atque insuper Hymnum Angelicum, si Paramenta coloris violacei, *Gloria in excelsis* jugiter excludentis, non fuerint ad illas Missas utcumque adhibita. [9]

**134.** Quoniam vero, nullatenus ceu propria reputatur illa dies, in qua de eisdem quidem Personis agatur aut agenda forent, ratione Vigiliæ aut Festi vel Octavæ, Officium vel Commemoratio; ast sub aliis earum Titulis vel Mysteriis, ipsa die occurrentibus: hinc ad omnes Votivas, quæ cum alio ipsius Personæ Officio non habent quidquam commune, prouti jam circa Hymnum Angelicum sub Undecimo præsentium Rubricarum Titulo notatur, apud Sanctuaria minoris Ordinis non poterit Symbolum per se iisdem in casibus recitari. [10]

## ADNOTATIONES IN XVIII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Cf. illa, quæ diximus ad notam 1 sub Undecimo præsentium Rubricarum Titulo, ubi de Hymno Angelico sermonem habebamus. Si autem solemnitas Loci vel per solam Hymni Angelici additionem augetur, uti cum Gavanto jam ad notam 8 sub Tertio præsentium Rubricarum Titulo observavimus; optimo equidem jure S. R. Congregatio die 31 Augusti 1865 per anteriora sæpe Decreta concessum Sanctuariis Palæstinæ inter omnia mundi Loca celeberrimis Symbolum, ad retinendam augendamque eorum solemnitatem, dignata est confirmare. Hinc etiam sequentibus annis Sacra eadem Congregatio Hymni Angelici ac Symboli privilegium contulit Votivis de Immaculata Deiparæ Conceptione deque ejus Nativitate, atque de Sancto Stephano Protomartyre, immo de Spinea Domini Corona etsi in Sanctuario minoris Ordinis celebrandis; prouti jam in Opusculo Ratio Missalis Votivi pag. 23-24 advertebamus. Denique, hac in re Missæ hujusmodi vere majora habent privilegia, quam Votivæ solemnes *pro re gravi* aut *pro publica Ecclesiæ causa:* nam priores habent jugiter Symbolum, quamvis in Paramentis violaceis extra Dominicam celebrentur; dum posteriores Missæ in iisdem circumstantiis, ex Decreto S. R. Congregationis *19 Maji 1607 in Placentina ad 14,* neque Hymnum Angelicum neque Symbolum recipiunt.

[2] Ita disponitur in Indulto sub die 31 Augusti 1865: «Minoris Ordinis Sanctuaria. Et in his Missa votiva propria «Mysterio Sanctuarii... sine *Gloria* et *Credo* singulis anni diebus dici possit.» Vidimus autem jam ad notas circa Decretum ipsum pag. IX-XII. integre relatum, ante diem 31 Augusti anni 1865 etiam Votivis apud Sanctuaria minoris Ordinis celebrandis fuisse Symbolum cum Hymno Angelico sæpissime ab Apostolica Sede concessum.

[3] I°. Non esse dicendum Symbolum ad Votivas quæ Dominica die recitantur, jam S. R. Congregatio aperte *15 Maji 1819 in Assisien. ad 1* declaravit. II°. Item ad Votivas, quæ generatim in Dominicis necnon in Festis Apostolorum aliisque Duplicibus atque etiam infra eorumdem Octavas celebrantur; ratione prædictarum Festivitatum, adjungi non debere Symbolum, jam pariter eadem S. R. Congregatio *13 Januarii 1674 in Lauretana ad 1* noscitur indicasse.

[4] Rubricæ hujus convenientia Hymnum quoque Angelicum respiciens, apte insinuatur in *Pro-Memoria,* quam S. R. Congregatio servari mandavit die 18 Februarii 1794, quoad Missas tum privatas tum solemnes extra ordinem Officii concessas. Ibi enim legitur: «Inoltre nelle Messe votive, così basse che cantate, non si dice *Gloria* e *Credo,* se non sono «*pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa,* o in quei casi d'eccezione espressi nelle Rubriche; eppure quando si dà una «Messa cantata, o sola o coll'altre basse, per una Festa straordinaria o trasportata, troppo mancherebbe al decoro della «Festa, se non si cantasse il *Gloria,* ed anche il *Credo* se è Festa che l'esiga. Sembrerebbe dunque in tali casi doversi «usare le seguenti frasi: *Missam, vel Missas ut in die Festo;* se poi si tratti di una Messa straordinaria della Madonna, «o altra, di cui non vi sia Festa propria, dirsi: *Missam, vel Missas instar Votivæ pro re gravi.*» Cf. etiam ea, quæ ad notas 1-5 sub Quarto præsentium Rubricarum Titulo consideravimus.

[5] Juxta normam in præfata *Pro-Memoria* traditam, Symbolum recipiunt: 1°. Missæ omnes de Domino, Beata Maria Virgine, Angelis, Doctoribus, Patrono præcipuo Loci, ac Titulari propriæ Ecclesiæ, juxta generalem Rubricam Missalis Romani sub Titulo XI. relatam. 2°. Missæ omnes, quæ celebrantur Bethlehemi ad Sepulchra Sancti Eusebii Abbatis, ac Sanctarum Paulæ Viduæ Romanæ atque Eustochii Virginis ejusdem Filiæ, juxta Indultum S. R. Congregationis *11 Augusti 1643* concessum. 3°. Missa saltem solemnis de Titulari impedito vel de Festo transferendo, juxta Rubricam generalem Missalis Romani sub Titulo VI. contentam. 4°. Missa solemnis de Titulari Oratorii saltem benedicti, etsi cultu hic liturgico per Officium et Missam non recolatur; uti e Decreto S. R. Congregationis *4 Augusti 1657 in Tarvisina* fusius Ephemerides Liturgicæ Anno 1894 pag. 537 docuerunt. 5°. Missa solemnis, vel cantata ob extraordinarium populi concursum, uti infra videbimus. = Hinc, cum omnis Votiva apud Palæstinæ Sanctuaria ad unum ex hisce quinque numeris reducatur, patet abunde eis Symbolum ordinarie in die propria competere, quemadmodum nempe si respectivum earumdem Festum ageretur. Et si quando Votivis Symbolum de rigore juris non competeret, hoc imploratur ex indulgentia legitimæ Auctoritatis.

[6] I°. Symbolum ratione **concursus** dicitur in Missa solemni vel saltem cantata, tum festiva de Officio currente tum etiam votiva de Simplici vel Octava impeditis, modo concursus extraordinarius habeatur; uti declaravit S. R. Congregatio *1 Aprilis 1662 in una Burgi Sancti Domnini,* et *13 Junii 1671 in Angelopolitana ad 2 et 5,* atque demum *3 Septembris 1746 in una Massæ et Populoniæ ad 1.* = II°. Ratione autem **Solemnitatis**, quæ ordinarie cum concursu populi manet adnexa, Symbolum additur juxta normam, quam in casibus quarumvis Votivarum Ephemerides Liturgicæ Anno 1891 pag. 492 docuerunt: « Circa quam sequens statui posse videtur regula: Missa votiva **simpliciter solemnis** canitur ut « in Festo: ut *Gloria* et *Credo* habere vel non habere debeat, juxta quod vel habet vel non habet in Festo. »

[7] Hujus Rubricæ convenientiam melius hic insinuare non possumus, quam relatis duabus normis, quas Ephemerides Liturgicæ Anno 1891 pag. 492 ita cum sua limitatione tradiderunt: « 1. Missa votiva privata numquam habere debet *Credo,* « ad quemcumque illa pertineat Sanctum, ad quodcumque Mysterium. 2. Missa votiva privata nec *Gloria* habere debet, « nisi aut sit de B. Maria in Sabbato, aut de Angelis, aut de Sancto in die Festo vel infra ejus Octavam. Hæc autem du- « plex regula ad Missam quoque cum cantu esse applicandam patet ex Rubricis et Decretis, quippe quæ pro hac Missa « nil excipiunt. Excepimus tamen casum, quo hæc Missa cum cantu, solemni sufficeretur ex necessitate, puta si solemnior « dicenda esset, sed Ministri non suppeterent. Tunc enim rectus sensus dictat, Missam cantatam jure haberi posse tam- « quam solemnem. » In hoc autem casu apud Sanctuaria Palæstinæ non insolito, quamvis loci angustiæ Ministros non si- nant adesse requisitos, vel longitudo itineris ad remota Sanctuaria aliæve causæ ægre ferant, ut Peregrinantes possint omnia ad Missam undique solemnem secum advehere; attamen, præter circumstantiam diei Personarum ac Mysteriorum interdum propriæ, multitudo affluentium Peregrinorum extraordinaria, vel alia exteriora signa quæ necessitas patitur ad- hiberi, in causa sunt cur Missa talis adhuc censeri possit simpliciter solemnis.

[8] Argumentum hujus Rubricæ sumimus e Votivis *pro re gravi* vel *pro publica Ecclesiæ causa* canendis in colore violaceo, quibus generalis Rubrica Missalis Romani sub XI. Titulo Auctoresque Liturgici Symbolum in die Dominica competere affirmant, etsi talibus generatim Missis *Gloria* et *Credo,* ob Decretum S. R. Congregationis *19 Maji 1607 in Placentina ad 14,* omnino denegentur. Quoniam vero, neque res gravis aut publica Ecclesiæ causa, neque cantus aut solemnitas adhibenda, neque concursus Fidelium ullatenus Missis hujusmodi infra Hebdomadam conciliant Symbolum, ita neque in Dominica die conferre illud possunt; ideoque additio Symboli est aliunde repetenda, nempe **ex circumstantiis** Dominicæ.

[9] Decreta relata S. R. Congregationis, quæ contrarium ordinare videntur, intelligi optime possunt de Votivis omnino privatis et sine cantu celebrandis, prouti aperte sunt quæ de Votiva a Sacerdotibus cæcutientibus singulariter dicenda eloquuntur; in quibus omnibus, secus atque in Missa solemni, nullam populus admirationem concipit, si solemnis Fidei professio per Symbolum quibuslibet Dominicis fieri solita omittatur. Decretum vero quoad Missam Rogationum Dominica in Albis celebrandam, huc minime facit: quia ibi sermo est de Missa feriali unicum post Epistolam habente Versum, hic autem de Votiva quæ ritum habet festivum Missarum Tempore Paschali occurrentium; atque Votivæ, ut alibi sæpius ostensum fuit, semper ritum festivum exigunt et non ferialem. Immo, expressius confirmatur exemplo ad Vigiliam Nativitatis Christi Dominica die recolendam, ubi quoniam ritus ferialis per additionem *Alleluja* cum sequenti Versiculo post Graduale tunc in ritum transit festivum, *Credo* adjungitur; atque insuper ad Dominicam vacantem, in qua etiam Symbolum recitatur. Idem erui posset e Sanctissimæ Trinitatis Præfatione, quæ in Votivis neque propriam neque de Octava aut de Tempore assignatam habentibus debet Dominica die recitari; prouti infra sub Vigesimo præsentium Rubricarum Titulo disseretur. Enimvero, non magis Præfatio Sanctissimæ Trinitatis est propria Dominicis, quam Symbolum; et si decet eo die per illam Præfationem sic Trinitatis fidem publice profiteri, non minus decet cum eodem Trinitatis Mysterio simul et Dominicæ Resurrectionis gloriam per Symbolum proclamare. Ad Missas igitur etsi Votivas Dominica die concinendas, uti loquitur Gavantus *part. I. Tit. XI. litt. l. bis* in casu admodum simili: « Æquum est, ut Sanctam Fidem Populus ibidem « cum Clero conclamet et profiteatur »; præsertim, quum non semper alia cantetur Missa de Officio currenti.

[10] Consuli possunt ea, quæ alibi ad notam 9 sub Tertio præsentium Rubricarum Titulo observantur.

---

## TITULUS DECIMUS NONUS.

## DE OFFERTORIO PARITER ET COMMUNIONE

### IN MISSIS VOTIVIS.

**135.** Ad omnes Missas votivas quæ Tempore Paschali celebrantur, addendum erit unum *Alleluja* in fine Offertorii simul et Communionis; attamen solummodo, quoties vox illa jubilationis ibi semel aut pluries jam non fuerit quomodolibet apposita. [1]

**136.** Offertorium aut Communio ad Missas de Resurrectione Domini, de Spiritu sancto, ac de Patrocinio Sancti Josephi, et de aliis pariter Mysteriis; recitari debent Tempore Paschali cum omnibus *Alleluja*, quæ habent in die respectivæ Solemnitatis ac per Octavam subsequentem. [2]

**137.** Missæ omnes quæ apud Missale Romanum Tempore Paschali inveniuntur appositæ, aut quæ ratione Solemnitatis Paschali similis habent extra illud Tempus duo vel plura *Alleluja* in Introitu; quotiescumque fuerint more votivo celebrandæ extra Tempus idem Paschale, aut extra Festum ejusque Octavam, generatim amittunt ubique in Offertorio et Communione illam gaudii vocem *Alleluja*. [3]

**138.** Offertorium tamen et Communio ad binas Missas de Resurrectione Domini supra Sanctissimum ejus Sepulchrum celebrandas, necnon ad Votivam recitandam in loco ubi Jesus apparuit Matri post Resurrectionem suam; semper cum omnibus *Alleluja*, uti in Missali Votivo prostant, per totum merito annum sociantur, præter quam a Septuagesima usque ad Pascham. [4]

**139.** Denique Missæ omnes, quocumque anni Tempore etiamque Paschali cum binis aut pluribus *Alleluja* ad Introitum appositæ, ipsam retinent vocem *Alleluja* solummodo ad Offertorium aut Communionem [5]; quoties nempe alterutra vel utraque Antiphona gaudium, vel victoriam, vel similia exprimere noscatur [6]: qui tamen casus non occurrit apud Missale Votivum Terræ Sanctæ, nisi in Offertorio ad Votivam de Inventione Sanctæ Crucis sub die III. Maji in Missali Romano collocatam. [7]

**140.** Missæ illæ, quæ in diebus earum Festis per annum habent quidem in Offertorio et in Communione semel aut pluries gaudii verbum *Alleluja*, sed minime illam in Introitu vocem bis aut pluries recipiunt [8]; semper extra Tempus a Septuagesima ad Pascham decurrens, in utraque retinent Antiphona omne *Alleluja* [9]: quoniam tunc ratione verborum lætitiam aut victoriam aut quid simile exprimentium et non ratione Solemnitatis, constat esse additam ibi jubilationis vocem. [10]

**141.** Hoc demum loco advertatur, in Votiva de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis minime inclinandum esse caput ad nomen *Mariæ* in Communione hujus Missæ recurrens, quia verba tantum applicata Deiparæ noscuntur; itemque caput nullatenus inclinandum dum in quibusvis Missæ partibus de Sancto Josepho Deiparæ Sponso aut de Sancta Anna ipsius Virginis Matre, nomina eorumdem propria litteraliter de omonymis Veteris Testamenti Personis efferuntur, ac per solam applicationem alterutri conveniunt. [11]

## ADNOTATIONES IN XIX. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ita vult Rubrica specialis, quæ pro omnibus Votivis ante Missam de Sanctissima Trinitate apponitur circa finem Missalis Romani: « Tempore Paschali... in fine Offertorii et Communionis additur *Alleluja*, ubi non habetur. »

[2] Ad istas etiam Votivas, si legem communem spectaveris, unum quidem *Alleluja* addendum foret; uti pag. [168] clarius ostendit Graduale Romanum de Sanctis, quod Ratisbonæ anno 1887 edebatur. Ibi etenim ad Missam de Patrocinio Sancti Josephi, quæ ex Indulto generali S. R. Congregationis die 5 Julii 1883, Quartis quibusque Feriis per annum non impeditis valet cum Officio respondente recitari, etsi Cantores ad Festum ipsius Patrocinii Dominica III. post Pascham celebrandum remittantur; expresse tamen unum dumtaxat *Alleluja* Offertorio et Communioni relinquitur, juxta videlicet ritum simpliciter paschalem. Nihilominus, quoniam universa quæ de Introitu alibi exponuntur, etiam Offertorio et Communioni penitus valent applicari; hinc inspici possunt ea quæ ad notam 5 sub Decimo præsentium Rubricarum Titulo disseruimus, ut legitima Auctoritas indulgere velit Missas toto Tempore Paschali recitandas cum omnibus *Alleluja* (Missa Patrocinii ratione saltem uniformitatis inclusa), quibus ornantur in die respectivæ Solemnitatis.

[3] Hæc Rubrica easdem habet causas, quas de Introitu agentes, adduximus ad notam 6 sub Titulo præsentium Rubricarum Decimo. Hic tamen non comprehenditur casus, de quo sermo fiet ad antepenultimam Rubricam hujus Decimineni Rubricarum Tituli; qui tamen casus, uti infra disseritur, locum tantummodo habet in Missa de Inventione Sanctæ Crucis.

[4] Conferantur, quæ circa Introitum jam dicta fuerunt ad notam 7 sub Decimo præsentium Rubricarum Titulo.

[5] In hoc autem casu quoad Introitum omnino ne regula quidem valet inferius apponenda, qua retineri permittuntur *Alleluja* in Antiphonis, gaudium et victoriam atque similia exprimentibus: nam certe solemnissima habentur Festa de Immaculata Conceptione atque Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, gaudiumque summum exprimunt Introitus respectivi *Gaudeamus* atque *Gaudens gaudebo;* et tamen duplex *Alleluja* ad Introitum Missæ in utroque Festo, et in aliis eidem similibus non adjungitur. Hinc merito a Rubrica excluditur Introitus, in quo extra Tempus Paschale non additur *Alleluja*.

[6] Hoc autem probatur ex iis rationibus, quæ ad notam 10 sub hoc Rubricarum præsentium Titulo adducuntur; nam utrobique eadem prorsus est ratio pro vocibus *Alleluja* retinendis tum in Missa quæ Tempore Paschali assignatur, tum in Missa quæ extra illud Tempus ratione consimilis ei solemnitatis sic apponitur. Attamen cum agitur de Votivis, quæ habent in eisdem casibus duplex in Festo *Alleluja* ad Introitum, atque unum ad Offertorium et Communionem; melior res est

atque securior ubique omitti *Alleluja*, quum more votivo extra Tempus Paschale et Festum ejusque Octavam recitandæ fuerint Missæ, nisi in casu particulari aliud a Sancta Sede præscribatur. Ratio est, quia in pluribus Offertorii vel Communionis Antiphonis verba exprimunt gaudium, victoriam, atque hisce similia; et tamen exempla Missalis Romani, Rubricæ Festorum speciales, Decreta, Auctoresque Liturgici adimendum esse jubent *Alleluja* extra Tempus Paschale aut parem ei Solemnitatem. Enimvero: I°. Missæ de Spiritu Sancto, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nullum retinent extra Tempus Paschale suamve Solemnitatem *Alleluja*. II°. Officia ac Missæ festivæ, quæ cum *Alleluja* Tempore Paschali assignantur, extra illud e Rubricis peculiaribus post respectiva Festa appositis, amittere ubique debent *Alleluja*. — Ast aliquando, uti ad Offertorium de Sancti Josephi Patrocinio atque de Sacratissimo Corde Jesu, verba lætitiam exprimunt, et tamen auferuntur *Alleluja;* uti patet ex Missali, et ex Decreto S. R. Congregationis *5 Aprilis 1895 in Lincien.* dato.

[7] Unicus iste casus excipitur etiam ab ipsa S. R. Congregatione, uti Decreto suo *16 Februarii 1754 in Rhemen.* declaravit. Evidenter hic non includuntur a nobis duæ Missæ de Dominica Resurrectione *Resurrexi* et *Deus suscitavit*, ac Missa *Secundum multitudinem* de Apparitione Christi Matri suæ post Resurrectionem. Reliquæ Missæ autem, quæ e Tempore Paschali desumuntur, sunt Votiva de Pentecoste, de Corpore Christi, ac de Patrocinio Sancti Joseph; quæ ubique sine *Alleluja* extra Tempus Paschale ac Solemnitatem suam in Breviario, Missali atque Antiphonario Romano vi specialis illic Rubricæ retinentur. Dubitari igitur solummodo potest, an alicubi in Missa Dominicæ Ascensionis sit retinendum *Alleluja;* quamvis nos, ob rationem in nota præcedenti allatam, ubique omittendum ibi hoc lætitiæ verbum jusserimus.

[8] Ex pluribus Auctoribus, quos consulere potuimus, nullus explicite hanc quæstionem exsolvere aggreditur. Exempla Missalis Romani ad Votivas de Spiritu sancto et de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, necnon Decretum S. R. Congregationis *5 Aprilis 1895 in Lincien.* quoad Missam *Miserebitur* de Sacratissimo Corde Jesu, ad quæstionem resolvendam nullatenus conferre possunt; quoniam, si exinde eruitur omittendum esse *Alleluja* in Offertorio et Communione, tamen illic est casus de Missis, in quibus voces illas gaudii seu jubilationis *Alleluja,* evidentissime ratione Temporis Paschalis aut paris Solemnitatis additas esse constat, cum duplex ibi exstans *Alleluja* ad Introitum alias numquam admittatur.

[9] Casus hujusmodi nunc solummodo ad Offertorium Missarum de Transfiguratione Domini ac de Assumptione Virginis recurrit; quamvis in Votivis novissime confectis, ubi congruebat, vox illa *Alleluja* sæpius fuerit apposita.

[10] Quæritur utrum verba jubilationis omitti an servari debeant in Votiva, quoties ad Missam Festi respondentis extra Tempus Paschale collocatam, vox *Alleluja* non quidem etiam bis in Introitu, sed tantum in Offertorio vel Communione vel utrobique reperiatur? Si exemplis in Missali Romano exsistentibus nimium tribuere velimus, omittere opus esset nobis ubique *Alleluja;* quoniam non solum in Votivis circa finem Missalis Romani assignatis, numquam in Offertorio et Communione invenitur *Alleluja;* sed insuper vox illa detrahitur Offertorio *Protege Domine* in Missa de Sancta Cruce, ac pariter Offertorio *Stetit Angelus* in Missa de Angelis, quamvis in relativis Festis sub die XIV. ac XXIX. Septembris jam ad eosdem omnino textus *Alleluja* apponatur. Nihilominus, nos vocem illam in Votivis retinendam credimus, hisce suasi rationibus: I°. In Missa de Immaculata Deiparæ Conceptione ad Offertorium, atque de Sanctissimo Nomine Jesu ad Offertorium et Communionem ponitur *Alleluja;* quin tamen Rubricæ Missalis, aut Decreta Sanctæ Sedis, Auctoresve Liturgici omissionem ipsius vocis in utraque illa Missa aliisque Votivis uteumque jubeant. II°. Hinc Graduale Romanum de Sanctis jam citatum, nihil pag. [168] dicit super omissione verbi ejusdem *Alleluja,* quod invenitur ad Offertorium Missæ de Immaculata Virginis Conceptione illic simpliciter ex Festo indicatæ; quamvis ibidem alias diligentissime notetur, unum dumtaxat *Alleluja* retinendum Tempore Paschali ad Votivam de Patrocinio Sancti Josephi. III°. Officia votiva per annum, Suffragia Sanctorum, ac Missæ votivæ easdem sequuntur regulas; uti pariter e recto Liturgico sensu insinuare videtur Pater Aloysius de Carpo, qui in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 23* agens de Missis votivis, remittit lectorem ad Operis ejusdem *part. II. num. 92* ubi de Suffragiis Sanctorum sermonem instituit, atque *num. 181* affines prorsus tradit regulas de Officiis votivis. Ast in Officiis votivis retinetur in casu simili *Alleluja,* prouti in Antiphona ad Magnificat in I. Vesperis atque ad Benedictus in Laudibus in Officio de Immaculata Deiparæ Conceptione, relato ad pag. [239-250] in Altera parte Breviarii Romani Ratisbonæ anno 1893 editi, conspicitur; in Suffragiis demum Sanctorum jam Decreto suo S. R. Congregatio *die 29 Novembris 1738 in Carthagenen. ad 4,* retinendam censuit vocem *Alleluja:* «Quoties hujusmodi Antiphonæ contineant verba, quæ exprimant gaudium, victoriam, et similia.» IV°. Quemadmodum solemnitas in Festivitatum Missis celebriorum nempe Nativitatis, Epiphaniæ, et similium, non est causa addendi *Alleluja;* ita nec solemnitatis deficientia in Votivis ratio verbum illud auferendi jam positum esse poterit, sed inseparabiliter usque unitum hoc manet sensui verborum, a quibus solum non autem et a solemnitate dependet. V°. Quapropter exemplum Votivarum, circa finem Missalis Romani exsistentium, non est ad alios extendendum casus, uti ibidem quoque insinuari videtur; dum Rubrica in finem Missæ de Angelis edita, permittit ceu Votivam recitari Missam alteram sub die XXIX. Septembris collocatam, quin aliquid notet de omissione vocis *Alleluja* ad idem Offertorium *Stetit Angelus* appositæ.

[11] Ita quoad Missam Assumptionis declaravit S. R. Congregatio *die 7 Decembris 1844 in Mechlinien. ad 11.*

---

## TITULUS VIGESIMUS.

## DE PRÆFATIONE JUXTA DIVERSOS CASUS ADHIBENDA

### IN MISSIS VOTIVIS.

**142.** In omnibus Missis apud Missale Romanum ejusque varias Appendices exsistentibus, quibus Præfatio propria, non quidem ratione Temporis vel Octavæ sed veraciter ratione sui, maneat fixe assignata; ipsa Præfatio propria semper adhibenda erit, quocumque Anni Tempore et infra quamlibet Octavam Missæ illæ more votivo recitentur. [1]

**143.** Ad Votivas autem Domini, quæ annuum Festum in Kalendario Ecclesiæ universali vel Celebrantium peculiari minime locum habeant, Præfatio secundum normas sequentes ordinatur: I°. In Missis quidem directe Miracula Christi Domini ejusque Gesta ante Passionem acta considerantibus, Præfatio de Nativitate Domini vel de Epiphania assignatur, prouti suo loco manet indicatum; præter Votivam adhibendam apud Sanctuarium Bethphage et Missam de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quibus Præfatio propria novissime tribuitur: II°. In Missis autem de Passione Domini, sive cruenta sive incruenta fuerint earum Mysteria, Præfatio de Cruce præstituitur: III°. In Missis demum, in quibus expresse ac directe recolatur aliqua ejusdem Apparitio Christi a mortuis resurgentis, Præfatio ordinarie Paschalis designatur. [2]

**144.** In Missis item sine annuo jugiter Festo, ad aliam Personam quam Domini pertinentibus, assignatur: I°. Præfatio de Beata Maria Virgine, expresso plerumque nomine Mysterii per Votivas recolendi; II°. Præfatio Apostolorum aut Evangelistarum, de quibus sub quovis Titulo vel Mysterio Votiva peragatur; III°. Præfatio quorumdam Sanctorum, qui in alio ipsorum Festo aut Missa Præfationem sibi propriam habeant, vel habituri olim fuerint; IV°. Præfatio Communis in Votivis Sanctorum, qui neque ullibi propriam firmiter habeant, neque alienam Octavæ aut Temporis Præfationem ex alio Rubricarum capite aliquando recipiant. [3]

**145.** Quando plures Missæ in aliquo celebrantur Sanctuario, et quidem ratione Personæ vel Mysterii principalis ad eas quodammodo pertinentis, cui Præfatio propria maneat insuper assignata; ejusmodi Votivæ omnes Præfationem istam peculiarem semper et in quibuslibet Octavæ vel Temporis occurrentiis generatim sumunt ac retinent, perinde ac si omnium illic Missarum veraciter propria censeatur. [4]

**146.** Attamen si tunc Persona pertinens ad Votivas ratione alterius principalis Sancti vel Mysterii celebrandas, Præfationem sibi propriam alioquin habeat, hæc ordinarie sumatur ad respondentem Missam, non autem Præfatio Mysterii vel Personæ principalis; exceptis tamen Apostolorum Missis super Montem Thabor recitandis, ad quas ob peculiarem causam suo loco explicandam, assignatur adhuc Præfatio de Nativitate jam conveniens Mysterio Dominicæ Transfigurationis, in qua tres illi Discipuli uti Speculatores ac Testes participavere. [5]

**147.** Igitur in Missis votivis, etsi Temporis vel Octavæ Commemorationem rejicientibus, adhibetur: I°. Præfatio propria vel appropriata earumdem Missarum, si quidem hæc habeatur: II°. Si vero Præfatio propria Missarum desit, accipietur propria Octavæ Præfatio, infra quam Votivæ celebrentur; et si plures Octavæ hujusmodi simul occurrant, eligetur Præfatio de Octava digniori, nempe de qua cæteris paribus eo die agatur aut agenda foret Missa, secluso Votivarum Festorumve occurrentium impedimento: III°. Quod si Octavæ hujusmodi propriam habentes nullatenus occurrant, dicetur Præfatio de Tempore Nativitatis aut Quadragesimæ aut Passionis aut Paschatis, infra cujus ambitum Votivæ recitentur: IV°. Alioquin, si vel Præfatio propria de Missis votivo more celebrandis, vel de Octava, vel de Tempore peculiaris (vel de Dominica, ut infra notatur), omnino desit; sumenda erit demum Præfatio Communis. [6]

**148.** Ad Missas votivas in Dominica die peragendas, quæ nec Præfationem sibi propriam vel appropriatam habeant, neque de ulla Octava aut de alio Tempore tunc assignatam; accipietur Præfatio ad Sanctissimam Trinitatem pertinens, quæ hisce in casibus Communi Præfationi et propriæ de Festo Octavam non habente est jugiter præferenda. [7]

**149.** Numquam tamen in Votivis propriam non habentibus, usurpabitur Præfatio Festorum simpliciter occurrentium, de quibus nempe ea die fiat Officium vel Commemoratio; dummodo tamen Solemnitas illa Octavam non habeat, quoniam tunc ipsa Festivitas (et quoad Pentecosten, ejus quoque Vigilia) pro prima die infra Octavam jure computanda esset, ideoque Præfationem suam Votivis propria carentibus impartiretur. [8]

**150.** Infra Octavam Nativitatis Domini adhibetur Præfatio jugiter Votivarum propria, non autem de Octava Nativitatis occurrente: quoniam contrarium Missalis Romani exemplum, sub die XXVII. Decembris in Festo Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ occurrens, non est ad alios cujuspiam Missæ festivæ aut votivæ casus extendendum; immo neque ad Missas ejusdem Sancti, quæ post Circumcisionem Domini uti Votivæ celebrentur. [9]

**151.** Ad Missas votivas, quibus Præfatio

Paschalis quomodolibet assignetur: in illa quidem a Dominica Resurrectionis usque ad Sabbatum in Albis, dicitur *In hac potissimum die;* a Dominica vero in Albis usque ad Sabbatum infra Octavam Pentecostes, *In hoc potissimum;* aliis denique diebus per annum usque ad Pascham, *Te quidem Domine omni tempore gloriosius prædicare,* omissis absoluto aliis verbis quæ illic interposita leguntur. [10]

**152.** In Missis votivis de Spiritu sancto, extra Vigiliam et Octavam Pentecostes celebrandis, ad Præfationem omittuntur omnino verba *Hodierna die,* utpote extra illum Temporis sive Octavæ ambitum semper incongrua; quoniam hic et in aliis dein casibus servanda est etiam ad Præfationem regula, quæ merito vetat, quominus in Votivis ritus ac veritas verborum violetur. [11]

**153.** Ad Missas Beatæ Mariæ Virginis, in quarum Festis ad Præfationis asteriscos [***] peculiaria Mysteria nominentur, uti *In Annuntiatione, Visitatione, Assumptione,* et similiter; eorumdem nominatio Mysteriorum semper intacta retinetur atque immutata, etiamsi Missæ extra diem Festum ejusque Octavam fuerint more votivo celebrandæ: ad Missas vero ipsius Deiparæ, in quarum Præfatione occurrant illic verba, non quidem *Commemoratione,* sed *Solemnitate* vel *Festivitate;* eorumdem loco verborum, extra Festum ac respectivam ejus Octavam, subrogantur omnino aliæ voces *Et te in Veneratione.* [12]

**154.** In Missis autem votivis Beatæ Mariæ Virginis, in quibus ad Præfationis asteriscos [***] quomodolibet dicantur verba *Et te in Veneratione* aut *Commemoratione,* nullatenus erunt nominanda Mysteria quibuslibet ipsius Deiparæ Octavis peculiaria, infra quas Votivæ celebrentur; neque ideirco ad illas dicendum in respectivis Solemnitatum Octavis *Et te in Conceptione Immaculata, Nativitate, Assumptione,* vel similiter: quoniam in hoc etiam casu Præfatio Votivarum Deiparæ censetur propria relate ad ipsius Virginis Octavas, ideoque minime illic quidquam erit permutandum; quemadmodum nihil in Præfatione solita immutatur, quum infra hujusmodi Octavas peculiaria Dei Genitricis Festa (veluti Sanctissimi Nominis ejusdem, vel Almæ Domus Lauretanæ) recoluntur, in quorum Præfatione nullum speciale Mysterium nominatur, sed solum dici *Et te in Festivitate* jubetur. [13]

**155.** Denique, in Missis votivis apud Sanctuaria majoris Ordinis quomodolibet celebrandis, et generatim ubicumque ad eas dicitur *Gloria* et *Credo,* vel saltem *Credo* quum Paramenta coloris violacei Hymnum Angelicum jugiter excludentis adhibeantur, Præfatio semper concinenda est Tono festivo sive solemni; in Votivis autem apud Sanctuaria minoris Ordinis, extra diem quodammodo eis propriam et haud solemniter habendis, eadem Præfatio semper canenda est Tono simplici feriali, quamvis ad Missas Angelorum quotidie, atque ad Votivas Deiparæ in Sabbatis Hymnus Angelicus jam præcesserit. [14]

## ADNOTATIONES IN XX. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hoc expresse docet generalis Rubrica Missalis Romani sub Titulo XII. num. 4; cujus tamen verba intelligi nequeunt de Votivis Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ aut Sanctorum Innocentium aliisve similibus Missis, in quarum Festis Præfationem de Nativitate Domini sive alteram quamcumque, non *sui* quidem ast *Octavæ* vel *Temporis* causa, additam fuisse constet.

[2] Regula ista quoad Votivas Domini in triplici servanda casu, exemplis Missalium præsertim Romano-Seraphici apte confirmari valet. Quoad I. namque consuli possunt Festa Sacræ Familiæ, Transfigurationis et Sanctissimi Corporis Christi; quoad II. vero, Festa Instrumentorum Mysteriorumque Dominicæ Passionis, quamquam Præfatio de Cruce Missis de Spinea Corona et Sindone atque Sacra Flagellationis Columna non tam apte convenire videatur; quoad III. denique, Festum Sanctissimi Sepulchri, in cujus primis Vesperis Christo dicimus: « Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem. » Quæ omnia ad similes casus jure merito videntur extendenda.

[3] Hæc omnia, quæ exemplis in Missali præsertim Romano-Seraphico confirmantur, nullam important difficultatem.

[4] Hoc in casu, qui solum in Terræ Sanctæ Locis occurrit, nobis ista videtur apponenda regula: quoniam Missæ illæ tandem non sunt nisi Votivæ Mysterii principalis sub alio respectu considerati; ideoque Præfatio illa Mysterii principalis omnibus Missis votivis plus minusve propria reputatur. Hinc in Missa Domini nostri Jesu Christi apud Sanctuarium Annuntiationis B. M. Virginis intra civitatem Nazareth celebranda, quam maxime propria est Præfatio de Annuntiatione, ubi dicitur de ipsa Virgine Immaculata: « Quæ et Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit. » Hinc etiam super Montem Thabor in Missa Sanctorum, qui Mysterio Transfigurationis ceu testes interfuerunt, propria erit Præfatio de Nativitate illi Mysterio conveniens, in qua legitur: « Quia per incarnati Verbi Mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ « claritatis infulsit. » Quare nobis hæc generalis regula videtur statuenda, quam superius exposuimus, quæque aptior est adimendis difficultatibus. Rationes autem ad convenientiam ejus suadendam hæ adduci possent. I°. In omnibus Missis Instrumentorum et Mysteriorum Dominicæ Passionis adhibetur Præfatio de Cruce ipsi Passioni propria: ergo pariter ad

omnes Missas de Apparitionibus Christi resurgentis, adhibenda est Præfatio de Resurrectione; idemque efficiendum quoad alia Mysteria Præfationem propriam habentia. II°. Si in Festis occurrentibus infra Octavam, de qua et omittitur aliquando Commemoratio, adhibetur Præfatio Octavæ, ob relationem inter Festum et Octavam; multo magis ob arctiora affinitatis vincula convenit in Votivis, quæ ratione Mysterii principalis alicubi celebrantur, quæque habent Evangelium et alias Missæ partes de ipso Mysterio principali. Quoniam igitur in casu nostro Præfatio illa ex se, sive relatione intrinseca quam habent Votivæ quæcumque ad Mysterium principale, et non ratione extrinseca Temporis aut Octavæ est adhibenda; manifeste deducitur eam in talibus Votivis Præfationem nullo casu in alias fore commutandam.

[5] Ratio hujus exceptionis apud hoc Missale Votivum pag. 178 nota 4 in Missam CXVIII. explicatur: quæ tamen locum sæpe non habet, et maxime in Missis quibusdam apud hortum Gethsemani et Mare Tiberiadis; ubi directe Christum patientem vel Miracula operantem colimus, non vero Apostolos quamquam in serie facti comprehensos. Hæ autem Missæ sub num. o pag. sequentibus prostant XXXIX. 53, XLI. 56, XLII. 58, CXXI. 182, CXXXI. 199, et alibi quoque reperiuntur.

[6] Omnia quæ in hoc præsentium Rubricarum numero traduntur, nullam difficultatem valent excitare; quoniam hæc non solum ab universis Auctoribus Liturgicis insinuata novimus, sed clarissime etiam in generali Rubrica Missalis Romani sub Titulo XII. num. 4 cernimus ordinata.

[7] Quamvis Auctores oppositam huic amplexi sint sententiam, ob Decretum S. R. Congregationis *16 Aprilis 1853 in una Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ad 27;* nos tamen opinionem sequimur affirmantem, quam non solum cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 13. Q. 6* docuit, sed evidentius quoque Ephemerides Liturgicæ pluries tradiderunt. Ipsæ enim Ephemerides Anno 1890 pag. 118-123 et præsertim Anno 1896 pag. 31-32 non tantum ex Rubrica ante Præfationem Sanctissimæ Trinitatis collocata nullamque exceptionem ponente, assertum suum probare nituntur, sed etiam ex Decreto S. R. Congregationis *16 Februarii 1888* quoad Missam de Solemnitate Patroni translata in sequentem Dominicam, et ex alio recentiori Decreto ejusdem S. R. Congregationis super Missa canenda in solemniis Beatificationis apud Basilicam Vaticanam peragendis; unde Sacrum Tribunal Præfationem de Trinitate in eisdem Missis Dominica die assignat concinendis, etsi ambæ totam Votivi rationem habeant.

[8] Interrogata pluries S. R. Congregatio Præfationem, ratione Officii simpliciter occurrentis propriam, non esse in Votivis adhibendam decrevit; et maxime *2 Decembris 1684 in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium ad 8, 16 Junii 1708 in Parisien. ad 1,* ac *16 Aprilis 1853 in una Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ad 27.* = Demum, si dies sequens post Festum vocatur Dies II. infra Octavam, liquido patet diem primam Octavæ esse ipsum Festum, immo in Mysteriis Resurrectionis et Pentecostes Vigiliam ipsam taliter computari.

[9] Ita generatim quoad votivas festivasque Missas infra Octavam Dominicæ Nativitatis habendas, jam S. R. Congregatio *25 Septembris 1706 in una Urbis et Orbis ad 2,* necnon *16 Februarii 1781 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ad 3,* atque demum *19 Septembris 1801 in Valentina ad 2* voluit aperte declarare. Quoad Missas vero Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ, salvo meliori judicio, juxta Missalis Romani exemplum jure censuimus ipsas Votivas extra Octavam Nativitatis Domini, si non ratione quidem Octavæ uti 2 Januarii solum commemorandæ, saltem ratione Missæ in integrum recitatæ prouti 3 ejusdem mensis, Præfatione Apostolorum sibi propria donari.

[10] Si Præfatio Paschalis per totum annum recitari oporteret uti ponitur in Dominica in Albis, irrisorie diceretur quotidie: « Te quidem Domine omni tempore **sed in hoc potissimum** gloriosius prædicare. » Enimvero, si extra septem quoque Hebdomadas Paschales retinentur hæc verba, tunc nescitur quodnam sit illud peculiare tempus ab **omni tempore** excipiendum. Reticitis autem per annum verbis **sed in hoc potissimum**, nulla repugnantia habetur; nam adverbium **gloriosius** potest sensu positivo aut superlativo accipi, et causa vel tempus adhuc per particulam **Cum** significari.

[11] Hoc jubet Rubrica specialis, ante Præfationem de Pentecoste sine cantu dicendam in Missali Romano.

[12] I°. Diserte S. R. Congregatio *23 Septembris 1885 in Rhemen. ad 6,* declaravit in Officio per annum votivo de Immaculata Deiparæ Conceptione, non esse dicendum in Præfatione *Et te in Commemoratione Conceptionis Immaculatæ,* sed potius *Et te in Conceptione Immaculata* veluti in Festo. Quam declarationem etiam ad Votivas Terræ Sanctæ, licet in Indulto 31 Augusti 1865 nil indicetur, ratio et usus hic localis consulunt extendendam. II°. In Præfatione demum Votivarum mutanda esse verba *Festivitate* et *Solemnitate,* eædem rationes hic suadent, quæ jam ad notam 5 sub Duodecimo præsentium Rubricarum Titulo et alibi quoad Orationes aliasque Missæ partes afferuntur.

[13] Hoc autem, ne quis putet Votivæ Præfationem in casu esse communem relate ad Octavas illas occurrentes.

[14] Consulantur ea, quæ circa diversitatem cantus *festivi* aut *ferialis* in Votivis eligendam, jam nota 7 Tituli Secundi, 8-11 Tituli Undecimi, ac 10 præsentium Rubricarum Tituli Duodecimi observavimus. Additio vero solius Hymni Angelici in casu solemnitatem non auget, ideoque naturam cantus relinquit immutatam; ita ut Magister Choralis pag. 107 nota 1 ad Votivam de Angelis in Exsequiis Parvulorum, *Ita missa est* advertat esse canendum uti *In Festis Simplicibus.*

---

## TITULUS VIGESIMUS PRIMUS.

## DE VARIIS JUXTA CASUM ORATIONIBUS CANONIS IN MISSIS VOTIVIS.

**156.** Orationes Canonis *Communicantes* et *Hanc igitur* quarumlibet Octavarum propriæ, dicuntur in omni Missa votiva infra Octavas illas celebranda [1]; etiamsi Votiva hæc Præfationem sibi peculiarem retineat [2], deque insuper Octavis occurrentibus (inter quas hodie duæ vel plures simul venire nequeunt) nulla ex privilegio fiat Commemoratio. [3]

**157.** Missæ ad Solemnitatem aliquam in Missali Romano positam attinentes, in qua vel Oratio *Communicantes* vel etiam *Hanc igitur* propria quandoque habeatur; quotiescumque fuerint extra Festum suum ejusque integram Octavam more votivo recitandæ, non quidem sibi peculiares [4], sed vel proprias de Octava infra quam recurrunt vel communes per annum, Orationes illas debent recipere. [5]

**158.** Hoc autem loco juvabit observasse, Octavam Pentecostes ab ejus Vigilia usque ad Sabbatum ante Festum Sanctissimæ Trinitatis inclusive se protendere; ac proinde Oratio *Communicantes* et *Hanc igitur* Octavæ Pentecostes propria, dicenda erit ad quaslibet omnium Personarum ac Mysteriorum Votivas, quæ in ipsa Vigilia valeant per se vel per accidens apud Sanctuaria majoris Ordinis quomodovis celebrari. [6]

**159.** Quoties in aliqua Oratione Canonis, videlicet aut *Communicantes* aut *Nobis quoque* aut demum *Libera nos*, occurrit nomen proprium Sanctorum de quibus agitur integra Missa etiamsi votiva, prouti in Missa Sancti Joannis Baptistæ cujus nomen in Oratione *Nobis quoque* recitatur [7]; Sacerdos, ob peculiarem ipsius Personæ cultum, semper in singulis casibus caput inclinabit, quemadmodum jam et in aliis totius Missæ partibus agere consuevit. [8]

**160.** Preterea Sacerdos hic et ubivis debet inclinare caput ad nomina Sanctorum, infra quorum occurrentes Octavas Votivam alterius Personæ celebret, quamvis in casu nullam de Octavis alienis instituat Commemorationem [9]; et maxime, prouti evenit infra Octavam Apostolorum aut Sancti Patris Nostri Francisci, si in Votivis propriam vel appropriatam non habentibus, Præfatio occurrentis Octavæ adhibenda inclinationem capitis in casu magis approbare videatur. [10]

**161.** Ad omnes denique Votivas, quæ apud Sanctuaria majoris Ordinis celebrantur, et generatim quotiescumque ad eas Hymnus Angelicus ac Symbolum aut saltem Symbolum habeant locum, Oratio Dominica *Pater noster* modulanda est Tono festivo: ad Votivas autem, quæ apud Sanctuaria minoris Ordinis extra diem propriam et haud solemniter peragantur, ipsa Dominicalis Oratio Tono feriali simplici est canenda; quamvis in Votivis Angelorum, et in Missis Beatæ Mariæ Virginis in Sabbato dicendis, jam præcesserit *Gloria in excelsis* absque *Credo*. [11]

## ADNOTATIONES IN XXI. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Omnia quæ dicuntur in hoc Vigesimoprimo Rubricarum Titulo, ita certa sunt apud omnes, ut inutile prorsus foret plurium Auctorum hic nomina et loca singillatim indicare. Sufficiet igitur nobis ordinarie tantum Decreta S. R. Congregationis adducere, prouti etiam a Liturgicis Scriptoribus alioquin citandis efficiebatur.

[2] Sacra enim Rituum Congregatio *16 Junii 1663 in Granaten. ad 3*, ita respondit generali circa rem hanc dubio sibi proposito: « Præfatio de Missa votiva, dum propriam habeat; *Communicantes* de infra Octavam, quia est proprium « de illo tempore infra Octavam. » Quæ omnia de Oratione Canonis *Hanc igitur* oportet etiam intelligi, quum utrobique eædem causæ recurrere videantur.

[3] Hoc autem clare deducitur e Decreto S. R. Congregationis *7 Augusti 1627 in una Urbis ad 2*, quo declaratur dicendum esse *Communicantes* de Ascensione in Festis Sanctorum Philippi et Jacobi Apostolorum, atque Inventionis Sanctæ Crucis, quamvis hæc Festa Commemorationem ejusdem respuant Octavæ; prouti nempe generalis Rubrica Missalis Romani sub Titulo XII. num. 3 quoad Præfationem in Votivis jubet. Hinc in Missis votivis Terræ Sanctæ, licet ex privilegio Apostolico sub die 31 Augusti 1865 concesso, Commemorationes semper omittantur Octavarum quarumvis, aliæque omnes; dicendæ tamen sunt in eis Orationes *Communicantes* et *Hanc igitur* de Octava, uti etiam ex consuetudine apud Loca Sancta jam efficitur.

[4] Regula ista probatur: I°. E Votiva de Spiritu sancto, quæ eadem est ac Missa Pentecostes, ubi solum Præfatio *Qui ascendens* ordinatur, etsi Solemnitas habeat etiam *Communicantes* et *Hanc igitur* proprium; immo ante Pentecostes Præfationem sine cantu habendam explicite prohibentur *Communicantes* et *Hanc igitur* in Votiva illa. II°. In Decreto concessionis 31 Augusti 1865 edito, expresse interdicitur *Communicantes*, vel etiam *Hanc igitur* si habeatur, in Votivis de Octava Nativitatis, de Paschate et de Ascensione (ex oblivione omittitur enim hæc prohibitio in Votiva de die Octava Epiphaniæ); semper (quamquam silente Decreto) extra totam Octavam suam, uti supponitur. III°. E regula generali, quæ violari non sinit ad Votivas ritus et veritas verborum: quæ certe offenderentur, si locum Orationes illæ haberent in Votivis extra Octavam suam dicendis; ob verba præsertim *diem sacratissimum celebrantes* in omni Oratione *Communicantes* occurrentia, et ob allusionem ad recenter Baptizatos positam in Oratione *Hanc igitur* infra Octavas Paschatis et Pentecostes. — Antea quidem, uti loquitur P. Leonardus de Clou Lemovicensis apud ITINERARIUM BREVE TERRÆ SANCTÆ pag. 91, in Missis votivis de Nativitate et Resurrectione Domini videntur quotidie infra annum fuisse Orationes Canonis *Communicantes* et *Hanc igitur* recitatæ.

[5] Quum Missæ omnes nequeant retinere extra Octavam suam Orationes *Communicantes* et *Hanc igitur* sibi proprias; hinc tales Votivæ per annum tractandæ sunt, perinde ac Missæ, quæ numquam Orationes illas sibi peculiares habeant.

[6] Ita docuerunt Ephemerides Liturgicæ Anno 1898 pag. 580: « Ubi occurrit Titulus Ecclesiæ in Vigilia Pentecostes, « Missa de Festo cantari potest; sed præter Hymnum Angelicum, Orationem unicam et Symbolum, habere quoque debet « Præfationem, **Communicantes** et **Hanc igitur** propria Vigiliæ, cum non habeantur [ad Missam] propria Festi. » Res autem per se nullo juxta omnes negotio intelligitur, nempe Vigiliam pro prima die infra Octavam Pentecostes merito computari: quoniam et ideo Præfatio, *Communicantes* et *Hanc igitur* propria Octavæ Pentecostes, non solum ad Missam solemnem de Vigilia post Nonam præscribatur, sed in Missis quoque privatis, post Laudes diei libere omnino recitandis; et idcirco etiam ipsa Octava, quæ ex vi nominis saltem octo diebus constare debet, ad Nonam sequentis Sabbati compleatur. Demum, hoc ipsum cl. De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 32. Q. III.* aperte quoad Vigilias Paschatis et Pentecostes affirmasse noscitur.

[7] Olim dubitatum fuerat, utrum per verba *Cum Joanne* in Oratione Canonis *Nobis quoque peccatoribus* occurrentia, esset intelligendus Joannes Baptista Præcursor Domini, an vero Joannes Apostolus et Evangelista. Ast nunc omnis prorsus difficultas evanuit, ob Decretum S. R. Congregationis *27 Martii 1824 in Panormitana ad 2,* quo declaratur esse Joannes Baptista, qui illic obtinet inter commemorandos Cœlites locum. Alios Sanctos hic nominatim per Rubricam exprimi, haud necessarium fore censemus: quoniam eorum nomina Sanctorum, qui in Votivis Terræ Sanctæ sunt reculti, vel in Canone Missæ nullatenus reperiuntur; vel ad Apostolos pertinent, de quibus nulla specialis quæstio potest excitari.

[8] Cf. ea quæ dicuntur ad notam 8 sub Decimotertio præsentium Rubricarum Titulo, ubi testimonium P. Aloysii de Carpo expresse ad Orationes Canonis refertur. Item consuli juvabit ea, quæ ad notam 8 sub Decimoseptimo earumdem Titulo Rubricarum disseruntur; in qua vidimus cum Gavanto, Commemorationem Patroni vel Titularis in Suffragiis Sanctorum (ideoque multo magis integram de eis Missam votivam) esse quasi repetitionem Festi per annum.

[9] Plures Auctores quæstionem hanc determinate non attingunt, alii vero rationes non aptas afferre in sui favorem videntur. Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. IV. num. 164,* hæc habet in casu particulari verba, sed quibusque aliis applicanda: « In Festo et per totam Octavam, ubi in Missa **saltem locus adsit Com-« memorationi** S. Laurentii, in Oratione Canonis *Communicantes* ad nomen *Laurentii* caput inclinandum est. » Et hanc quidem sententiam Andreas Ferrigni-Pisone in Catechismo Liturgico anno 1887 Neapoli edito sub nota ad pag. 60 tomo I. amplectitur. Verum Hagerer vult in casu agendam esse inclinationem, etsi de Octava nulla fiat Commemoratio; uti asserit Auctor anonymus Lusitanus pag. 62 ad notam *d.* in Opusculo « Instrucçao de Ceremonias Lisboa 1826», etsi sententiam ejus non admittat. Ad fulciendam tamen sententiam negantem jure non potest allegari Decretum S. R. Congregationis *12 Aprilis 1823 in Panormitana ad 13;* quoniam ibi est sermo de Missa Defunctorum, in qua *ex se* omittitur Commemoratio Octavæ; dum in Missis votivis festivisque solum *per accidens* relinquatur, quin umquam insuper excludatur Præfatio, *Communicantes* et *Hanc igitur* Octavæ. Nos igitur, ratione saltem uniformitatis, inclinationem capitis efficiendam esse censemus vel iis in casibus, in quibus nihil de Octava extraordinarium habetur; et præsertim, quoties saltem Præfatio aut *Communicantes* et *Hanc igitur* Octavæ admittuntur: quoniam non videmus cur omittenda sit inclinatio ad nomen S. P. N. Francisci (idem enim hic dicendum ac de nominibus in Canone contentis), qui ad Missas votivas infra ejusdem Sancti Octavam in Præfatione, quam eis tribuit, nominatur. Ast legitima Auctoritas videat, utrum necne, non quidem in Officiis sine Octava celebrandis, sed in omnibus Octavæ casibus semper agenda fuerit vel omittenda capitis inclinatio.

[10] Quæstio hæc satis independens est ab altera, quam nota præcedenti discussimus. In hoc igitur casu dubitatur, utrum Sacerdotes, qui Votivas Missas Præfationem propriam non habentes celebrant infra Octavam Apostolorum aut S. P. N. Francisci, dum vel in Præfatione Seraphici Patris pronuntiant verba *beatum Franciscum,* vel in Canone Apostolum nominant de quo dicitur Præfatio, inclinationem debeant agere, an potius omittere. Nos affirmativam sententiam amplectimur, hisce quidem e causis: 1°. Missæ votivæ, secus quam in casibus ad notam præcedentem relatis, in præsenti non sunt extraneæ ab illa Octava, cujus et Præfationem recipiunt. 2°. Ritus celebrandi Missam exigit utique sub Titulo V. num. 2 ut Missa vel saltem Commemoratio peragatur ad inclinationem capitis efficiendam; ast Præfatio Octavæ in Votivis adhibita locum omnino tenere videtur Commemorationis. 3°. Decens omnino reputatur, ut infra Octavam suam Sanctus ille qui præfationem tribuit Votivis, et maxime si nomine proprio invocatus fuerit, per illam capitis inclinationem honoretur: eo vel magis, quia finis inclinationis est, uti ait Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. I. num. 169,* ut « peculiaris cultus Sancto tribuatur »; et Octavæ nil aliud sunt, quam Festum octo diebus constans ad peculiarem Sanctis vel Mysteriis cultum asserendum. = Sed de hisce dubiis judicet legitima Auctoritas, cujus sententiam libenti animo exsequemur.

[11] Quoniam Oratio Dominicalis, quemadmodum et Præfatio, duplicem in Missali Romano cantum habet, alterum ferialem alterumque solemnem; hinc omnia, quæ de cantu Præfationis ad notam 14 sub Vigesimo præsentium Rubricarum Titulo disseruntur, etiam de cantu Dominicæ Orationis dicta debent intelligi.

---

## TITULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

## DE *ITE MISSA EST* VEL *BENEDICAMUS DOMINO*

### IN MISSIS VOTIVIS.

**162.** In fine Missarum votivarum, quæ per se aut per accidens habuerunt Hymnum Angelicum, dicitur semper *Ite missa est;* in exitu autem illarum, quæ Hymnum ipsum quomodolibet respuerunt, pronuntiatur semper *Benedicamus Domino:* neque ulla in utroque casu datur exceptio. [1]

**163.** In Missis omnibus votivis, quæ quomodolibet celebrari apud Sanctuaria majoris Ordinis valeant infra Octavam Resurrectionis

Domini, nullatenus adjungenda erunt duo *Alleluja* ad *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* atque ad relativas Responsiones; sed absque hisce gaudii vocibus Versus illi cum suis Responsionibus pronuntiari debent, prouti nempe reliquo Tempore Paschali recitantur. [2]

**164.** Missa tamen de Resurrectione Domini a verbis *Resurrexi* incipiens, quoties a die Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive habeatur, ad *Ite missa est* ac suam Responsionem *Deo gratias* recipiet duplum *Alleluja;* quoniam Votiva hæc, quamvis a Missis propriis infra Octavam suam impedita maneat, semper tamen iis diebus ad eamdem Resurrectionis Octavam censetur merito pertinere. [3]

**165.** Missæ item omnes, dicendæ in Sanctuariis ubi Christus a mortuis resurgens apparuisse traditur, quum et ipsæ infra Octavam Paschatis, unde Evangelia quoque desumunt, censeri possint de Officio currente; hinc bina recipiunt *Alleluja* ad *Ite missa est* ac Responsionem ejus *Deo gratias,* quemadmodum nempe et Missæ per eam Hebdomadam Paschalem collocatæ. [4]

**166.** Ad Missas votivas, Præfationem de Nativitate Domini aut de Beata Maria Virgine non habentes, quæ apud Sanctuaria majoris Ordinis communiter concinantur [5], *Ite missa est* canitur uti IN FESTIS SEMIDUPLICIBUS in Missali statuitur Romano; *Benedicamus Domino* autem, hisce in casibus, eadem omnino modulatione concinitur, quæ apud Antiphonarium Romanum IN FESTIS SEMIDUPLICIBUS est ordinata. [6]

**167.** Ad Votivas apud Sanctuaria minoris Ordinis, extra diem quodammodo eis propriam et communiter concinendas: *Ite missa est* in Missis Angelorum (nam de aliis Personis non occurrit casus, præterquam de Beata Maria Virgine, de quo agetur inferius) canitur uti IN FESTIS SIMPLICIBUS apud Missale Romanum præscribitur; *Benedicamus Domino* autem, uti IN FERIIS PER ANNUM ponitur apud Missale idem Romanum. [7]

**168.** Nihilominus, ad Missas votivas apud Sanctuaria cujusvis Ordinis in die quodammodo Personarum ac Mysteriorum propria celebrandas, semper in prima die Festivitatis atque ipsa die Octava, necnon quoties habeatur solemnitas ritui Duplici respondens: jugiter *Ite missa est* canitur uti IN FESTIS DUPLICIBUS, *Benedicamus Domino* autem uti IN MISSA VIGILIÆ NATIVITATIS DOMINI apud Missale Romanum præstituitur [8]; infra Octavas autem, quas Mysterium aut Persona vi præsentium quoque Rubricarum habere interdum posset, *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* concinitur veluti INFRA OCTAVAS QUÆ NON SUNT BEATÆ MARIÆ apud Missale aut Antiphonarium Romanum apponitur; seu aliis verbis, quemadmodum ad numerum 166 sub hoc præsentium Rubricarum Titulo communiter præfigitur.

**169.** Immo, quoties Votiva respondeat aut respondere posset Officiis sub ritu Duplici primæ Classis celebratis aut alioquin celebrandis; nempe in die Solemnitatis de Patrono Loci præcipuo ac Titulari Ecclesiæ Cathedralis, aut de Titulo totius Ecclesiæ vel Oratorii publici cum Octava quomodolibet recolendæ, item Feria II. ac III. Paschatis aut Pentecostes quoad Missas respective de Resurrectione Christi aut de Spiritu sancto, ac demum quotiescumque Missa quævis vere solemniter et præsertim cum magna Fidelium frequentia vel Peregrinorum concursu ubivis celebretur: semper *Ite missa est* canitur uti IN FESTIS SOLEMNIBUS apud Missale Romanum edicitur; *Benedicamus Domino* autem, iisdem in casibus, prouti IN FESTO SOLEMNI assignatur apud Antiphonarium Romanum. [9]

**170.** Attamen ad Votivas omnes, quæ Præfationem de Nativitate Domini aut magis de ipsa Dei Genitrice quascumque ob causas receperunt, etiamsi in die Personarum ac Mysteriorum multipliciter propria atque insuper maxima cum solemnitate ac populi frequentia ipsæ celebrentur Missæ: *Ite missa est* canitur jugiter tamquam IN MISSIS BEATÆ MARIÆ Missale jubet Romanum; *Benedicamus Domino* autem, iisdem in casibus, semper concinitur affini prorsus modulatione, quæ ceu DE BEATA VIRGINE apud Antiphonarium Romanum propria designatur. [10]

**171.** Item in omnibus Missis votivis, quæ infra Octavas Nativitatis Domini et Sanctissimi Corporis Christi ac Mysteriorum quorumcumque Beatæ Mariæ Virginis reapse cum Officio indultas occurrant; et generatim, non quidem in Officiis sine Octava recolendis, sed infra Octavas illas, quæ Præfationem de Nativitate Domini aut de Beata Maria Virgine requirant: *Ite missa est* sive *Benedicamus Domino* canitur eadem semper modulatione, quæ ceu propria DE BEATA VIRGINE apud

Missale vel Antiphonarium Romanum, ut superius edicitur, manet assignata; quamvis in eis de Octava alterutram ex illis Præfationem exigente Commemoratio non agatur, immo etiamsi in Votivis propriam habentibus, Præfatio de Nativitate Domini aut de Beata Maria Virgine per accidens omittatur, prouti de intonatione Hymni Angelici præstituitur. [11]

**172.** Modulationes denique omnes ad canendum in Votivis pro diversitate casuum *Ite missa est* aut *Benedicamus Domino,* sive e Missali sive ex Antiphonario Romano desumptæ, suis apud hoc Missale Votivum locis inseruntur; quæ etiam ad concinendam relativam utrique Versui Responsionem *Deo gratias* inservire possunt, nisi eam Cantoribus voce intelligibili sub Organorum sono, uti aliquas partes, exsequendam esse videatur. [12]

## ADNOTATIONES IN XXII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Hanc regulam expresse traditam legimus in generali Rubrica Missalis Romani sub Titulo XIII. num. 1.

[2] Ita sentiunt Auctores Liturgici universi, inter quos citantur Gavantus *part. IV. Tit. XI. num. 3* et *part. IV. Tit. XVII. num. 12* cum Ruiz quem ibi adducit, Meratus *part. I. Tit. IV. num. XLV.* et *part. IV. Tit. XI. num. VI. et X.* cum Bauldry et Corsetto atque Halden quos citat ibi ipse Meratus, De Herdt Sacræ Liturgiæ Praxis *part. I. num. 13 Q. IV.* et *part. V. num. 18. Q. I.*, denique Pater Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. III. num. 161.* Ita nempe, ut omnes Kalendarii Redactores hanc sententiam sequantur.

[3] Missa enim *Resurrexi* quum infra Octavam Paschatis de occurrenti Officio, prouti jam nota 3 sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo est evictum, jure censeatur; habebit duo *Alleluja* ad ℣. *Ite missa est*, ac ℟. *Deo gratias.*

[4] Missæ istæ, in quibus semper dicitur *Ite missa est,* excipiuntur quoque a regula communi ob quamdam cum Missa *Resurrexi* similitudinem. Conferantur illa, quæ disseruimus de Graduali in Votivis per eamdem Paschatis Octavam celebrandis ad notas 4 et 5 sub Decimoquarto præsentium Rubricarum Titulo; quoniam utrobique, uti cernitur, eadem est ratio.

[5] Si conferantur ea, quæ ad notam 7 Tituli Secundi, 8-11 Tituli Undecimi, ac 10 notam Tituli præsentium Rubricarum Duodecimi observavimus; patebit in Missis apud Sanctuaria majoris Ordinis esse cantum festivum quidem adhibendum, sed forsan quid nimium fore quotidie modulationes *In Festis Duplicibus*, et præsertim quoad casum nostrum *In Festis Solemnibus* adhiberi, sed sufficere tantum illas assumi quæ *In Festis Semiduplicibus* assignantur. Si tamen ista non placeant, per alteram novam Rubricam ordinari posset, ut *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* ad Missas apud Sanctuaria majoris Ordinis concinendas, semper uti *In Festis Duplicibus* aut *In Missa Vigiliæ Nativitatis Domini* habeatur; excepto quoad utrumque Versum vel quoad saltem *Ite missa est* casu, quo Missa respondeat vel respondere possit Officiis sub ritu Duplici primæ Classis, aut quo Missa vere solemnis modulationem uti *In Festis Solemnibus* admittat.

[6] In Missali Romano nulla invenitur modulatio ad Versiculum *Benedicamus Domino* candendum *in Festis Semiduplicibus;* quoniam ibi nonnisi casus occurrunt, qui secundum ipsius Missalis Rubricas primario considerantur. Enimvero, ritus Semiduplex: aut pertinet ad Dominicas per annum communes, vel Festa Sanctorum eorumque Octavas, et tum semper habet Hymnum Angelicum et consequenter *Ita missa est* in fine Missæ; aut refertur ad Dominicas Adventus vel Quadragesimæ proprias, et tunc modulationem eisdem peculiarem Dominicis semper mutuatur. Hinc generatim non datur casus, in quo juxta Rubricas Missalis Romani oporteat *Benedicamus Domino* sæpius ad Missam *In Festis Semiduplicibus* decantari. Attamen iste casus, in Palæstinæ Sanctuariis sat communis, adest etiam ubique in Dominicis Septuagesimæ et Sexagesimæ ac Quinquagesimæ apud Missale ipsum Romanum: in quibus *Benedicamus Domino* neque modulationem ferialem patitur, quum Dominica ritum exigat festivum; neque modulationem pro Dominicis Adventus et Quadragesimæ ordinatam exigit, quum proprie tales non pertineant Dominicæ ad illud Tempus, cujus mœstitiam ipsæ per usum Planetarum plicatarum ac silentium Organorum et remotionem florum ab Altaribus, non participant; et insuper modulationem illam non possint hæ Dominicæ admittere, quin respectivo Tempori ante Cineres occurrenti modulationem simul *In Feriis Adventus et Quadragesimæ* præstitutam sine ratione communicent. Hinc *Magister Choralis*, etsi auctoritate forsan privata felici tamen exitu, num. 6 ad pag. 106 in tribus illis Dominicis ante Cineres modulationem seligit canendo sub finem Missæ *Benedicamus Domino* desumptam ex Antiphonario Romano; in quo eisdem notis sociatur idem Versus, atque alter *Ite missa est.*

[7] Nulla item modulatio ad *Benedicamus Domino* canendum *In Festis Simplicibus* apud Missale Romanum invenitur; quoniam Festa Sanctorum, etsi Simplicia, semper habent Hymnum Angelicum ideoque simul *Ite missa est.* Hunc autem Versum *Ite missa est* canendum esse uti *In Festis Simplicibus*, ad Votivas quæ non assimilantur Missis pro re gravi, docet Magister Choralis pag. 107 ad notam 1, ubi talem modulationem exigit pro Missa de Angelis canenda in Exsequiis Parvulorum. *Benedicamus Domino* autem, si audiatur idem Magister Choralis ibidem ad notas 2 et 3, esset canendum uti *In Feriis per annum* vel uti *In Feriis Adventus et Quadragesimæ,* juxta diversitatem Temporis. Nos autem, etsi pro facilitate priorem modulationem, quæ nihil fere differt a secunda in Missali noviter nunc invecta, retinendam semper censeamus; tamen ex Antiphonario Romano, ubi nulla modulatio adest ad canendum *Benedicamus Domino,* quæ respondeat modulationi qua *Ite missa est* decantatur, illam sumere possemus, ut conformitas cum aliis casibus habeatur.

[8] Modulationi unicæ apud Missale Romanum *In Duplicibus et Solemnibus Diebus* assignatæ, quam speciali e Rubrica sub num. **88** eligendam censuimus pro Hymno Angelico in die multipliciter Mysteriis vel Personis propria; duas melodias æque respondentes apponit Missale Romanum, unam *In Festis Solemnibus* et alteram *In Festis Duplicibus.* Quamvis autem Magister Choralis pag. 105 quoad priorem dicat: «Questa melodia si adopera... nelle Messe votive solemni»; nos tamen illam apud Sanctuaria majoris Ordinis etiam in die propria non admittimus, nisi vel ratio intrinseca Solemnitatis nempe ritus Duplex primæ Classis aut exsistens aut alioquin ei competens, vel extrinseca festivis indicata signis accedat.

[9] In Missali Romano nulla invenitur modulatio solemnis ad canendum *Benedicamus Domino*, et hujus rei defectus suas quidem rationes habet. I°. Omnis solemnitas cum Officio duplici primæ Classis celebrata, habet jugiter alium a violaceo colorem, et consequenter semper Hymnum Angelicum et *Ite missa est* ipsa requirit. II°. Modulatio solemnis pro *Ite missa est* electa non conveniret plene, uti videtur innui per Decretum S. R. Congregationis *19 Maji 1607 in Placentina ad 14:* «Quando Missa celebratur cum paramentis violaceis, ut pro infirmis, vel aliquo actu similis **mœstitiæ, vel pœnitentiæ**, quia tunc non dicitur *Gloria* nec *Credo.*» III°. Istæ autem rationes locum non habent in casu nostro, quia colorem violaceum ad Missas adhibemus de Mysteriis Passionis incruentis votivas, non autem de publicis necessitatibus mœstitiamque redolentes. IV°. Modulatio solemnis ad Votivas de Passione non dedecet; ita ut in Officio ejusdem Passionis tum festivo tum votivo, color rubeus adhibeatur, qui modulationem illam solemnem, si Officia ritum duplicem primæ habeant Classis, non recusat. Qui tamen color rubeus in casu nostro, secus atque in illo, substitui prorsus nequit violaceo.

[10] In Missali Romano nulla melodia reperitur ad *Benedicamus Domino* canendum *In Missis Beatæ Mariæ*, quoniam casus iste per ipsius Missalis Rubricas non erat communiter possibilis. Etenim: I°. Missæ Festorum aut Octavarum Beatæ Mariæ Virginis semper habent Hymnum Angelicum, et consequenter *Ite missa est* sub earum fine. II°. Missæ votivæ de Beata Maria Virgine, quæ juxta generales Rubricas Missalis Romani locum tenere valent Missæ principalis, sunt quinque circa finem Missalis Romani Votivæ ejusdem Virginis, in die Sabbati cum *Gloria in excelsis* atque *Ita missa est* concinendæ. III°. Dominica secunda aut tertia Adventus infra Octavam de Immaculata Deiparæ Conceptione occurrens, in correctione Urbani Octavi, post quem nullam hac super re Summi Pontifices mutationem in Missale invexerunt, considerari non potuit; quoniam Festum ipsius Mysterii cum Octava celebrari solummodo post Urbanum Octavum jussit Innocentius Duodecimus per suam Constitutionem 15 Maji 1693 a verbis *In excelsa* incipientem. IV°. MAGISTER CHORALIS pag. 106-107 ad notam utrobique 3, innuit quidem in Missa Dominicæ II. vel III. Adventus adhibendam esse modulationem prouti *In Dominicis Adventus et Quadragesimæ*, atque in Missa *Rorate* modulationem *In Feriis* ejusdem Temporis ordinatam; attamen **ob deficientiam** Missalis Romani, cujus defectum ipse non supplet, prouti in tribus egerat Dominicis ante Cineres, ex Antiphonario Romano. V°. Festum Sanctorum Innocentium in Missali olim non considerabatur, quia Octava Nativitatis non est rigorose loquendo Octava Beatæ Mariæ, quæ solum a reliquis hic Octavis discernitur; ita ut ante Decretum S. R. Congregationis *25 Maji 1877 in Ratisbonen. ad 1-3*, disceptaretur num infra Octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi et in Festis infra eas occurrentibus, atque generatim quoties Præfatio de Nativitate Domini adhibeatur, *Ite missa est* canendum esset in tono *De Beata Virgine*. VI°. Ac proinde usque ad illud Decretum uniformitas inter Antiphonarium et Missale Romanum ne in hac quidem parte erat inducta. = Quare nos, justis de causis, censuimus ad Antiphonarium Romanum habere recursum: quum et in Missali Votivo, secus quam in Romano, hujusmodi casus frequenter occurrant.

[11] Hoc autem sequentibus de causis ordinatur: I°. In Votivis infra Octavam Dominicæ Nativitatis celebrandis, semper Oratio deposcitur *Communicantes* Octavæ propria; quæ sufficere videtur, ob paritatem rationis, quemadmodum et Præfatio, ut semper *Ite missa est* in tono de Beata Maria Virgine concinatur. II°. Gradualia et Antiphonaria, Auctores, Decreta S. R. Congregationis præsertim *25 Maji 1877 in Ratisbonen. ad 2 et 3*, haud ponunt differentiam inter Octavas, quæ servent sibi aut amittant Commemorationem et Præfationem; sed infra Octavas Beatæ Mariæ Virginis, atque Octavas Domini cum Præfatione de Nativitate, *Benedicamus Domino* in Officio atque *Ite missa est* in Missa advertunt canendum generatim uti *In Missis Beatæ Mariæ*. III°. In Duplicibus primæ et secundæ Classis infra tales Octavas occurrentibus, semper adhibetur ad Hymnos conclusio Octavæ, et ideo Versus *Benedicamus Domino* cum modulatione *De Beata Virgine* concinitur in Officio, et proinde cum respondente modulatione etiam *Ite missa est* in Missa; quamvis, extra Octavas Nativitatis et Corporis Christi, Octavæ Commemoratio in casu non habeatur. IV°. Hinc talis melodia, quemadmodum Hymnorum conclusio atque Præfatio cum Orationibus *Communicantes* et *Hanc igitur*, erit propria de Octavis, quin earum Commemoratio attendatur.

[12] Hæc translatio, quæ solum de legitimæ Auctoritatis permissione fieri deposcitur, sequentes habet causas: 1°. Confert ad uniformitatem inducendam inter Missas, quæ eisdem quidem in Palæstina fruuntur privilegiis ad Sanctuaria majoris aut minoris Ordinis, sed duplicem modulationem pro *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* non habent; uti est modulatio *In Festis Solemnibus, In Festis Semiduplicibus, In Missis Beatæ Mariæ* et *In Festis Simplicibus*. 2°. Hoc modo supplentur defectus, qui vel ratione Temporis quod correctionem Urbanianam non exæquat, vel ob raritatem casuum in Missali Romano ablati non videntur. 3°. In Missis aut diebus infra Octavas Præfationem de Nativitate Domini aut de Beata Maria Virgine habentibus, differentia tollitur ex additione vel omissione Hymni Angelici proveniens. 4°. Exemplum in praxim deducitur, quod MAGISTER CHORALIS jam circa Missas de Dominica Septuagesimæ ac Sexagesimæ et Quinquagesimæ celebrandas exhibuit; ubi ea modulatio ex Antiphonario Romano desumitur ad canendum *Benedicamus Domino*, quæ easdem omnino musicas habet notas, atque *Ite missa est* in Dominicis communibus. 5°. Hoc nullam in Missali Romano mutationem importat, quoniam non pro illo sed pro Missali Votivo Terræ Sanctæ regulas istas efformavimus. 6°. Immo nos haud exigimus ut præsentes Rubricæ, prouti jacent, omnino approbentur; sed solummodo ut per legitimam Auctoritatem nobis indicetur tandem, quænam normæ in istis casibus, qui nunc quotidie apud Terræ Sanctæ Loca occurrunt, servandæ fuerint.

---

## TITULUS VIGESIMUS TERTIUS.

## DE ULTIMO EVANGELIO MISSÆ RECITANDO

### IN OMNIBUS VOTIVIS.

**173.** In omnibus Missis votivis quomodocumque celebrandis, semper dicitur ultimo loco Evangelium Sancti Joannis *In principio;* omnino omissis ubique et in qualibet die Evangeliis cujuspiam Dominicæ, aut alicujus Feriæ omniam Quatuor Anni Temporum, aut Vigi-

liarum, aut Quadragesimalium dierum, aut Rogationum, alioquin juxta Kalendarium ad Missas Officiorum occurrentium in fine perlegendis. [1]

**174.** Ab hac regula ne excipiuntur quidem Missæ privatim aut solemniter aut simpliciter in cantu celebrandæ, quæ ad Festum transferendum atque ad Titulum Ecclesiæ pertineant, aut ad Octavam seu Festum sub iisdem quamvis Titulis seu Mysteriis solam aut nullam Commemorationem habentia' spectent, aut Solemnitatem in populo extra ordinem Kalendarii ex Indulto Apostolico agendam respiciant, aut denique ad integrum Officium diei quomodolibet referantur. [2]

**175.** Omnia tamen quæ sunt in superiori Rubricarum numero præstituta, uti per se intelligitur, locum solummodo habent in casu, quo Missæ tum privatæ tum solemnes juxta unicam Missalis hujus Votivi formam possint aut velint celebrari: quoniam in aliis occurrentiis, in quibus Missa solemnis vel etiam privatæ ex alio capite sunt permissæ; in iis utique Missis, hujus Missalis Votivi forma ad Celebrantis arbitrium neglecta, ultimum Dominicæ aut Feriæ Evangelium oportet legi vel reticeri, prouti Rubricæ Missalis Romani vel Decreta et relativa Indulta Apostolica soleant disponere. [3]

**176.** Quæ autem hucusque sunt ordinata, observantur etiam in Ecclesiis, ubi neque viget Officiaturæ Choralis onus, neque alia canitur vel legitur Missa occurrentis diei; immo, neque in Ecclesiis eo die Chori obligationem aut onus Missæ Parochialis habentibus, quum in priori quidem casu semper, in posteriori autem extra solummodo propriam diem, una sufficiat Missa juxta Kalendarium celebrata [4]: quoniam hujusmodi Missa semper est votiva, nec debet Evangelium in fine Missæ de iis Dominicis aut Feriis recitari, quoties vel ex privilegio nullatenus agitur earumdem Commemoratio. [5]

**177.** Hoc demum loco advertere juvabit, in omnibus Missis votivis ad Sanctum Joannem Baptistam pertinentibus semper requiri inclinationem capitis a Sacerdote peragendam, cum in ultimo Evangelio pronuntiat verba *Fuit homo missus a Deo cui nomen erat* JOANNES [6]; quemadmodum nempe ex præcepto ubique jam efficitur ad omnes Missas votivas quarumque Personarum infra Octavam Nativitatis ipsius Dominici Præcursoris sine ejus Commemoratione celebrandas [7]: etsi ad Votivas eidem Joanni alienas, in Festo Decollationis ejus inclinatio illa capitis omittatur; prouti et nullibi in Votivis fit quibuslibet ad nomina propria Sanctorum suis diebus Officium sine Octava habentium, nisi saltem ceu Sanctus Paulus etiam extra Festum in Votiva quibuscumque anni diebus de Sancto Petro recitanda, et vicissim, Commemorationem in eisdem Missis retineant. [8]

## ADNOTATIONES IN XXIII. RUBRICARUM TITULUM.

[1] Ita clarissime, non solum Auctores Liturgici, sed generalis Rubrica Missalis Romani ordinat sub Titulo XIII. num. 2, ubi legitur: « In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliæ in « fine Missæ. Et similiter in Missis votivis **numquam** legitur in fine aliud Evangelium, nisi Sancti Joannis. »

[2] Cf. ea, quæ ad notas 5-7 sub Quarto præsentium Rubricarum Titulo disseruimus; ubi et rationes adduximus, quæ etiam in casu Officii integre recitati Missas illi respondentes, ad formam Indulti sub die 31 Augusti 1865 concessi, suadent celebrandas. In hoc autem casu, quemadmodum et in aliis in Rubricæ textu enumeratis, si quando Evangelium alicujus Dominicæ et Feriæ omitti sub finem Missæ præcipitur, id nullatenus efficitur ex impetrando noviter privilegio: sed solummodo, quia cum Missæ fieri valeant etiam ex Indulto, omnem Commemorationem ideoque ejusdem simul Evangelium ultimum excludente, ad eas forma Missalis hujus Votivi deligitur, quin tamen in casu Sacerdotibus volentibus inhibeatur Missa juxta jus commune vel alia quævis Indulta ordinari.

[3] Missæ votivo more extra ordinem Kalendarii quomodovis celebrandæ, generatim in fine Evangelium Sancti Joannis *In principio* requirunt; quoniam cum Votivæ ab Officio discordent, hinc ipsius Officii recitati Evangelium, uti loquitur Gavantus *part. I. Tit. XIII. in Rubric. 2 litt. u:* « Vel nobiliori loco legendum est, vel omittendum. » Nihilominus, excipiuntur Missæ solemnes late votivæ, in quibus Commemoratio Dominicæ et ultimum ejusdem Evangelium debent recitari, ubi alia Missa de Festo in Dominicis occurrente non celebretur; et quidem in sequentibus casibus: I°. Quoties Solemnitas alicujus Personæ de speciali Indulto in Dominicam sequentem transfertur; uti e S. R. Congregationis Decretis EPHEMERIDES LITURGICÆ Anno 1888 pag. 89 et anno 1898 pag. 584 docuerunt. II°. Missa solemnis de Titularibus Ecclesiæ impeditis, vel de alio Festo tranferendo, ad quod celebrandum soleat frequens populus confluere, juxta generalem Rubricam Missalis Romani sub Titulo VI.; uti e Decretis Apostolicis, Missam solemnem de Solemnitate Patroni in Dominicam subsequentem translata respicientibus, Pater Aloysius de Carpo in COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA *part. I. num. 32* autumavit. III°. Quod si fides Patri Aloysio de Carpo adhibenda sit, idem dicendum erit non solum, uti manifeste patet, de Missa solemni Festivitatum sub ritu Duplici minori aut Semiduplici, quæ novissime translationem accidentalem amiserunt; sed etiam de Missa solemni Simplicis aut Octavæ impeditorum: quia vi ejusdem generalis Rubricæ Missalis Romani sub Titulo VI. contentæ, cani potest ratione concursus, uti cl. De Herdt SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS *part. I. num. 23 ad notam* 2 docet ex

Decreto S. R. Congregationis *13 Junii 1671 in Angelopolitana ad 2* et maxime *ad 5*, ubi Rubrica illa aperte respicitur. IV°. Missa solemnis extra Officii diem ex Indulto Apostolico concessa ad solemnitatem aliquam in populo recolendam; uti Pater Aloysius de Carpo *loc. cit. in nota* ex Decreto (quod in Collectione Decretorum non invenimus) S. R. Congregationis *12 Augusti 1851 in Lucionen. ad 5* manifeste docet, immo postremo hoc in casu ad Missas etiam privatas quascumque asserit inde Auctor Evangelium Dominicæ esse recitandum. = Omittimus hic disquisitionem, utrum hæc intelligi debeant etiam de Feriis Evangelium proprium habentibus, an solum de Dominicis; utrum necne approbari omnia possint, quæ a Patre Aloysio de Carpo exinde inferuntur; et utrum nunc extendenda sint ad Missas tum privatas tum solemnes in primis trinis casibus celebrandas, utpote quæ non strictim votivæ reputentur. In casu enim Votivarum Terræ Sanctæ, in quibus Commemorationes quælibet ex Indulto specialissimo omittuntur, Decreta illa non videntur habere locum.

[4] Consuli possunt ea, quæ ad notas 5-7 sub Tertio præsentium Rubricarum Titulo observavimus; in quibus jure excepimus generatim casum, quo Ecclesia illa ad Missam Conventualem, vel Parochialem in Festo extra propriam Sanctuarii diem celebrandam obligetur, etsi nullum de hac exceptione indicium in Indulto 31 Augusti 1865 reperiatur. Quæ tamen præscriptio quoad Missam Conventualem vel Parochialem, non habet sæpe locum: præsertim cum Peregrinatio ad aliqua Sanctuaria nullum habentia Sacerdotem fixe residentem instituitur, Religiosis quibusdam semper in Conventu remanentibus ad implendam Missæ Officio recitato respondentis obligationem; vel etiam quoties Missa a Peregrinorum Comitatu in quibusvis Ecclesiis per se independenter a Religiosorum Minoritarum aliorumque functionibus celebretur.

[5] Si omnia, quæ ad notas 1 et 4 antea sub Duodecimo præsentium Rubricarum Titulo disseruimus, in memoriam hic revocentur; prorsus manifestum fiet, universa Decreta, quæ sive hucusque sive in posterum contrariam regulam imponere videantur, ad Missas Terræ Sanctæ votivas non pertingere. Enimvero, in casu nostro sermo non est de Missis votivis juxta Missalis Rubricas vel Decreta aut solita Indulta peragendis, sed de Votivis apud Palæstinæ Sanctuaria celebrandis ex Indulto specialissimo: cujus proinde Indulti tenor est attendendus «tam quoad dies in quibus [Missa] pro«hibetur, quam **quoad ritum**»; uti cum cl. Martinucci observavimus ad notam 7 et 8 sub Tertio præsentium Titulo Rubricarum. Igitur, cum Indultum sub die 31 Augusti 1865 concessum Commemorationes omnes in quibusque Missis generatim excludat; hinc omittendum necessario erit in fine Evangelium de illis Dominicis seu Feriis, quarum nullimode prius acta fuerit respondens Commemoratio. Demum, hoc idem non solum ex hodierno apud Franciscanos aliosque Religiosos usu eruitur, Indultis extra necessitatem quoque infra exponendam concessis semper innixo; sed simul deduci valet ex fine etiamnunc perseveranti, atque in principio Indulti sub die 31 Augusti 1865 evidentius expresso: quo scilicet efficacius errandi periculum a Sacerdotibus maxime peregrinis arcebatur, atque usus parvi Missalis inter plurimas Votivas nonnisi illas quæ Sanctuario cuidam competunt referentis, possibilis facilisque reddebatur in Peregrinationibus præsertim, ubi Altare portatile, Missalia non patiens magnæ molis, est omnino frequenterque adhibendum.

[6] Cf. omnia, quæ circa inclinationem capitis in Missis votivis jam diximus ad notam 8 sub Decimotertio præsentium Rubricarum Titulo, necnon ad notas 7-10 sub Titulo Vigesimoprimo.

[7] Cf. ea quæ jam observavimus ad notas 8-10 sub Vigesimo præsentium Rubricarum Titulo, necnon alia quæ disseruimus ad notam 11 sub Titulo Vigesimosecundo. Ex hisce namque omnibus deduci posse videtur, Personas, quæ Præfationem et Orationes *Communicantes* atque *Hanc igitur* sibi peculiares semper in Missis vivorum quibuscumque etsi Votivis retineant, quæ conclusionem atque modulationes Hymnorum sibi proprias Hymnis omnibus ejusdem metri et Versiculo *Ite missa est* communicent infra suam ipsorum Octavam, etiamsi Commemorationem Octavæ ipsius aliquando amittant; has revera Personas, inquimus, jus in omnibus pariter Octavæ casibus habere ad inclinationem capitis a Sacerdote peragendam, eo vel magis si Personæ in aliena Missa aliquid de Octava sua retineant.

[8] Cf. omnia, quæ ad notas 9 et 10 sub Vigesimoprimo, atque ad notam 11 sub Vigesimosecundo præsentium Rubricarum Titulo disseruimus. Quamvis autem illic censuerimus inclinationem ubique efficiendam capitis, ad nomen proprium Sanctorum infra Octavas eorumdem, etsi in Votiva non commemoratas; tamen hanc ipsam inclinationem minime credimus agendam, si Officium eo die occurrens quo Votivæ celebrantur, in Kalendario illius Ecclesiæ Octavam suam quomodovis non possideat. Etenim in casu præsenti, quum Officium ad Votivam non habeat eas relationes quas tenet Octava, de qua modulationes Hymni Angelici et Versiculi *Ite missa est*, ac Præfatio cum Orationibus Canonis *Communicantes* et *Hanc igitur* vel in Votivis semper ex se admittuntur; hinc nullatenus dici posset idem Festum Octava destitutum tunc ad Votivas commemorari.

---

## EPILOGUS IN RUBRICAS MISSALIS VOTIVI.

**178.** Omnia et singula [1], quæ in superioribus præsentium Rubricarum Titulis ordinantur, erunt ab omni Sacerdote aliisque Ministris ac Personis inviolate observanda, qui Missas in hoc Missali Votivo contentas novasque dein ad ipsius Missalis formam concedendas, ex unius vigore Indulti [2], velint aut debeant in venerabilibus Palæstinæ Locis legere aut decantare: sublata omnibus facultate Rubricas istas aliter, quam legitime sonant, privato interpretandi nomine; vel Missas, in casu, secus atque ibi injungitur, sub quovis prætextu votivas quomodolibet celebrare.

**179.** Quoniam nonnullæ Missalis hujus Votivi Rubricæ solum innituntur privilegiis ac declarationibus et usibus circa Votivas ad Palæstinæ Sanctuaria de speciali Indulto Apostolico recitari permissas: hinc ipsæ generatim ceu regulæ inservire nequeunt ad moderandas festivas votivasque Missas, quæ non ejusdem Rescripti vigore ad formam Missalis Votivi hujus haberi; sed vi generalium

Rubricarum Missalis Romano-Seraphici aut Decretorum Sedis Apostolicæ aut etiam alterius Indulti a præmisso diversi, valeant in Sanctuariis aut alibi quomodolibet recitari. [3]

**180.** Quælibet Votiva in Palæstinæ Sanctuariis juxta Missalis hujus formam celebranda, nullatenus influere valet in Missas Officio diei respondentes, vel etiam extra ordinem Kalendarii aliunde recitari permissas etiamque in hoc Missali Votivo solum contentas [4]; quæ idcirco per se valent, omissis Votivis ex hoc Indulto concessis, libere et juxta proprias cujusque Missæ regulas celebrari: immo, quamvis Paramenta Celebrantis et Ministrorum quoad colorem debeant esse convenientia Missis votivis, quæ privatim aut solemniter celebrantur; attamen ubi Altaris Paramenta, Conopeum videlicet nisi jugiter album adhibeatur, ac Pallium, atque Cussinus Missali supponendus, soleant vel debeant mutari, ipsa Officiis in Choro recitatis oportet generatim convenire. [5]

**181.** Nihilominus Votivæ quoad superius excepta influunt, nempe, in Ecclesiis etiamsi Choralis Officiaturæ aut Missæ Parochialis onus habentibus, ad Altare ubi Missa votiva solemniter aut in cantu fuerit celebranda; item ad Altaria cujuscumque Ecclesiæ aut Sanctuarii, ubi soleant ordinarie Votivæ ex Indulto haberi; ac demum in diebus maxime Peregrinationum, ubi et usus Altaris portatilis requiratur: nam in singulis casibus, quoad colorem, Altaris Paramenta (excepto in Votivis stricte privatis quoad primum Altari in quo Missa Conventualis aut Parochialis juxta Kalendarium celebretur) Votivis omnibus illic privatim solemniterve habendis respondebunt, etsi inibi per accidens Missam diei vel aliam contigerit recitari. [6]

**182.** Item Missa juxta Officium diei quomodovis celebrata, exceptis iis quæ jam per easdem Rubricas peculiariter admittuntur, nullatenus influit in Missas votivas, ad hujus Missalis formam in Palæstinæ Sanctuariis ex Indulto Apostolico habendas: ita ut, quamquam in Missis dierum ferialium cum jejunio, atque in Votivis *pro re gravi* vel *publica Ecclesiæ causa* solemniter in colore violaceo extra Dominicam concinendis, in Choro ad Orationes omnes et a *Sanctus* usque ad *Agnus Dei* genuflectatur; ad ipsas tamen Terræ Sanctæ Votivas, etsi in tono feriali et colore violaceo quibuscumque diebus sine *Gloria* et *Credo* canendas, eadem in Choro genuflexio solum uti in diebus Dominicis et festivis ordinetur. [7]

**183.** Si annis insequentibus novissima Sacræ Rituum Congregationis Decreta contrarium quandoque videantur injungere, atque illa quæ hisce peculiaribus Rubricis Missalis Votivi ordinata manent: diligenter expendendum erit, utrum talia Decreta aliæque ordinationes Apostolicæ, ad juris normam intellecta, cuidam Rubricæ speciali valeant reapse derogare; atque interim, et quousque dubium non fuerit [8] evidenter exsolutum, harum textui Rubricarum ab universis negotium hic habentibus omnino pareatur. [9]

**184.** Quod si, præmissa a viris perituoribus diligenti inquisitione, exortum hinc dubium perseveret; item quando super intelligentia cujuspiam Rubricarum præsentium puncti oboriantur quæstiones, quæ ex contextu earumdem aut ex Tabella aut aliunde nequeant convenientius dirimi: in singulis hisce casibus, servato interim Rubricarum hujus Missalis præscripto, si necessarium id Superioribus videatur, ad Apostolicam Sedem fiat recursus. [10]

**185.** Decreta vero Apostolicæ Sedis, quæ aut versentur super aliquo puncto Votivarum in hisce peculiaribus Rubricis non deciso, aut deinde cuipiam earumdem præscriptioni evidenter secundum juris principia derogarint: non quidem in corpore præsentium Rubricarum inserere, sed post illas fideliter ac separatim apponere, de Superiorum licentia, fas erit Revisori ad hujus editionem Missalis deputato; usque dum respondentis Rubricæ emendatio hinc agenda judicio Sedis Apostolicæ exhibita legitime fuerit ac probata. [11]

## ADNOTATIONES IN RUBRICARUM EPILOGUM.

[1] Universa, quæ in hoc Rubricarum Epilogo ad uniformitatem inter omnes Celebrantes rite inducendam atque ad omnes difficultates exortas vel exorituras authentice dirimendas præcavendasque edicuntur; servanda erunt, uti per se manifestum redditur, postquam S. R. Congregatio easdem Rubricas examine suo revisas et castigatas approbarit.

[2] Expresse addimus **ex unius vigore Indulti**, ut excludatur diei casus, quo aliqua Votiva tum e Rescripto Apostolico tum e Rubricis Missalis Romani celebrari est permissa. Qua in die, uti jam num. **7** sub Primo præsentium Rubricarum Titulo advertitur, Missas votivas in eisdem Terræ Sanctæ Locis vel juxta hujus Missalis Votivi formam, vel juxta Rubricas Missalis Romani aliaque Decreta poterit Sacerdos ordinare. Hinc, exempli alicujus gratia, in Semiduplicibus non

privilegiatis super Montem Calvarium ad locum ubi Virgo stabat juxta Crucem Filii sui Jesu, Sacerdos quilibet valet Missam de Septem Doloribus, etiam in Duplicibus primæ Classis ex Indulto permissam, cum unica Oratione atque Hymno Angelico et Symbolo recitare; ast quoniam in Festis Semiduplicibus eadem Votiva ubique celebrari conceditur, idcirco etiam in Sanctuario illo præfatam Dolorum Missam Celebrans cum Orationibus pluribus et absque *Gloria* extra Sabbatum et jugiter sine *Credo*, juxta Rubricas Missalis Romani et Decreta recitare non prohibetur. Ita, salvo meliori judicio Auctoritatis, statuendum censuimus quoad omnes et singulas Missas in Missali Votivo contentas; quum nemo ad Indulti usum per se adigatur, præsertim cum aliter idem effectus substantialis, uti in casu nostro, possit obtineri.

[3] Hæc omnia advertuntur etiam apud MONITUM, Rubricis peculiaribus Breviarii Romano-Seraphici præmissum. Re sane vera, cum ipsæ Missalis hujus Votivi Rubricæ singularissima contineant privilegia a jure communi exorbitantia, atque in gratiam Missarum votivarum Locis Sanctis respondentium indulta; nequaquam sunt ad consequentiam trahendæ, applicando videlicet privilegia Missis quæ vel apud Sanctuaria non celebrantur, vel quæ eisdem Locis quamvis illic habitæ non respondere noscuntur.

[4] Jam ista ad notam 1 hic superius advertimus, atque passim in hisce Rubricis peculiaribus, ubi nobis se præbuisse videbatur occasio.

[5] Ita cum Ruiz sentit Gavantus *part. I. Tit. XVIII. in Rubr. G*, ac post eum sic etiam loquitur Meratus *part. I. Tit. IV. num. XXXVII.*, ubi et Castaldus atque Gerlacus Vinitor ad rei confirmationem adducuntur: « Altaris Paramenta de« bent correspondere Officio, quod recitatur in Choro; nisi forte Missa votiva sit *pro re gravi* et *publica Ecclesiæ causa*, « cum ea solemniter celebretur: nam tunc etiam Altaris Paramenta, cum Missis [votivis] convenire debent. » Altaris autem Conopeum jugiter esse posse coloris Albi, S. R. Congregatio *21 Julii 1855 in Briocen. ad 12. Q. 3.* decrevit; atque non esse necessarium Pallium, si Altare sit decenter ornatum, Gavantus *part. I. Tit. XX. litt. t.* noscitur indicasse; ac demum Legile posse licite Cussino substitui, hodierna praxis universalis confirmat.

[6] In hisce enim casibus, cum Missæ omnes quotidie soleant more votivo celebrari, incongrua foret coloris mutatio secundum Officium diei; de quo insuper nec Missa dici generatim solet, neque in Votivis nostris ex privilegio haberi Commemoratio. Eo vel magis, si attendantur quæ cl. De Herdt SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS *part. I. num. 49. Q. II. not. I.* advertit: « Si autem color Officii et Missæ discordet, ut in Vigiliis infra Octavas, **aut Missa sit votiva**; juxta Quarti « *part. I. Tit. XVIII. dub. III.* Paramenta non tantum Celebrantis, sed etiam Altaris debent esse convenientia Missæ, sal« tem si antipendium commode mutari possit. » Quæ commoditas videtur a Gavanto etiam spectata et Merato: nam certe in Semiduplicibus maxime esset incommoda mutatio antipendii in talibus Missis, quia illud omnes fere colores secundum Votivam a variis Sacerdotibus celebratam posset accipere, quod minime accidit in una Missa solemni. Quæ omnia præ oculis habuimus etiam nos in casu præsenti, uti manifestum cernitur; nixi Rubricis generalibus sub Titulo XX: « Pallio « quoque [Altare] ornetur coloris, **quoad fieri potest**, diei Festo vel Officio [quo nomine etiam Missa intelligitur, uti patet « e Missalis Romani verbis in die Octava Sancti Stephani atque Sanctorum Innocentium] convenientis. »

[7] Hoc deducitur e doctrina in hisce peculiaribus Missalis Votivi Rubricis sæpius indicata, et maxime ad notas 1-3 sub Nono præsentium Rubricarum Titulo; qua videlicet provabimus in Missis votivis ubique (excepto interdum cantu) ritui festivo non autem feriali locum adesse. Etsi autem in Votivis pro re gravi extra Dominicam in colore violaceo concinendis, videatur genuflexio, uti ad Missas feriales cum jejunio, congruentius requiri; tamen in casu nostro Votivæ cum colore violaceo dictæ, æquiparantur potius Missæ de Passione Domini, in qua generales Rubricæ Missalis Romani nullibi genuflexionem illam exigunt. Interrogata enim S. R. Congregatio *19 Maji 1607 in Placentina ad 14*, num in Votivis in colore violaceo canendis pro re gravi genuflectendum esset ad Orationes, uti in Missis ferialibus jejuniorum efficitur; respondit quidem in Missis cum *Gloria* et *Credo* celebratis non esse genuflectendum, et consequenter in casu contrario esse genua flectenda: attamen ibi erat sermo de Missa pro infirmis, vel aliquo actu similis mœstitiæ ac pœnitentiæ; in qua, secus atque in Votivis Terræ Sanctæ, omnino specialissimis de causis decebat ad implorandam enixius divinam misericordiam flexis genibus Deum exorare.

[8] Ita ponitur in Rubricis peculiaribus Breviarii Romano-Seraphici sub num. 137 quoad novissima S. R. Congregationis Decreta eisdem Rubricis adversantia.

[9] Enimvero, si S. R. Congregatio *23 Maji 1835 in Namurcen. ad 2* expresse declaravit, omnino standum ubique esse Kalendario Diœcesis in casibus dubiis, quamvis probabilior quibusdam fuerit sententia Kalendario opposita, immo etiamsi certum alicui videatur idem errasse Kalendarium: multo magis parendum erit in casu nostro peculiaribus hujus Missalis Votivi Rubricis, utpote ab illa venientibus Auctoritate, quæ et sua valet anteriora relaxare Decreta, et Indulta specialia concedere, futuris ipsius Decisionibus generatim editis haud facile infirmanda. Quæ omnia etiam de sequenti Rubricarum numero intelligantur.

[10] Non enim statim ac dubium aliquod in mente exoriatur cujuspiam, rerum forsan Liturgicarum minus periti, fas erit ad S. R. Congregationem habere recursum; sed postquam præmissa inquisitione diligenti, censuerint Superiores necessarium vel utile esse ad eamdem Auctoritatem recurrere. Nam plura esse possunt, in quibus liberum manet unam alteramve sententiam eligere; quod videtur sæpius a S. R. Congregatione his innui verbis, **Consulat probatos Auctores.**

[11] Hæc omnia præcipiuntur etiam apud Bullam Pii VI. *Religiosos Ordines*, die 6 Septembris 1785 editam atque initio Breviarii Romano-Seraphici etiamnunc integre relatam, qua nempe Liturgicis libris Seraphici Ordinis quidquam addi vel detrahi vel mutari privato nomine prohibetur; ubi insuper facultas extra corpus Rubricarum inserendi utilia Decreta prius edita, restringitur ad ea quæ « Versentur super capite aliquo vel aliquibus, quæ in Rubricis peculiaribus decisa non sunt. »

# TABELLA

## PRO OMNIBUS MISSIS VOTIVIS

### EX INDULTO APOSTOLICO

### APUD SANCTUARIA PALÆSTINÆ

CELEBRANDIS

## NORMÆ AD INTELLIGENDA TABELLÆ PRÆSCRIPTA.

**I.** Omnia, quæ apud sequentem Tabellam ordinata inveniuntur, suum habent fundamentum in peculiaribus hujus Missalis Votivi Rubricis, easque melius atque authentice declarant: quamvis ejusdem præscripta circumstantiis tempore istius editi Voluminis existentibus, quoad nempe Ordinem seu Classem Votivarum, Diem Mysteriorum ac Personarum propriam, Locum celebrationis votivarum, atque Sanctuariorum Possessores et Indulgentiam, unice ac directe conveniant; ac proinde, mutatis dein actualium rerum adjunctis, et ipsæ in Tabella contentæ regulæ per se mutari generatim censeantur. [1]

**II.** Distinctio, qua Votivæ omnes majoris aut minoris Ordinis seu Classis apud Tabellam reputantur, uti alibi advertitur, locum habet solummodo extra dies Mysteriorum ac Personarum multipliciter proprias, quibus nempe diebus cuilibet Votivæ respondenti privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis conveniunt; eamdemque distinctionem in Votivis, Indulgentiarum diversitas concessa aut nempe Plenaria aut Partialis, atque anteriora Rescripta et Locorum dignitas ac devotio Fidelium aliæve causæ inducendam suasere. [2]

**III.** Color Paramentorum in singulis Votivis designatus, unice considerat Mysterium illius Missæ, quæ in hoc Missali Votivo contineatur: ac proinde, si diebus secundum jus commune liberis de eadem Persona agantur Missæ sub aliis titulis vel Mysteriis votivæ, non attenditur color quem Tabella sequens determinat; sed color, quem alias Officia respective aut Missæ concessa aut concedenda aut generatim ubique permissa, requirant. [3]

**IV.** Dies autem multipliciter Personarum ac Mysteriorum propriæ, quæ in sequenti Tabella numerantur, atque omnibus Votivis privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis tum conferunt; unice sunt illæ, quæ fundamentum habeant in Martyrologio Romano, in Officio et Missa de Tempore, atque in Loci respectivo Proprio Sanctorum: quoniam aliæ dies propriæ, quæ pendent ab Officii translatione atque concursu Fidelium et Peregrinorum affluentia ac Peregrinationibus extraordinariis quoad Missas etiam privatas, vel e circumstantia solemnitatis quoad Missam tantummodo vere solemnem; aut si agatur, non quidem de celebrationis die, verum de cantu ubique festivo aut solemni atque de additione Hymni Angelici ac Symboli, ex occurrentia diei Dominicæ quoad omnem et solam Votivam vel simpliciter in cantu habitam [4]: quum omnes incerta evagentur sede, nec debebant nec poterant apud Tabellam ipsam referri.

**V.** Integra autem Octava, cum privilegiis infra eam Sanctuariorum majoris Ordinis cuilibet Votivæ competentibus, tribuitur generatim iis Mysteriis aut Personis, quæ vel reapse Octavas cum Officio indultas aut indulgendas habeant; vel secus Titulum quomodovis constituant totius Ecclesiæ aut Oratorii publici, aut saltem Cappellæ stabiliter erectæ aut in posterum erigendæ, atque ab alia Ecclesia quoad Ædificium independentis; ita ut si Cappella, prouti occurrit apud Basilicas Nativitatis et Resurrectionis Domini, ceu pars ad aliud Templum referatur, Votiva ejus per se ullum Octavæ privilegium exinde non acquirat. [5]

**VI.** Locus autem, ubi Votivarum celebratio peragenda erit, multiplici venit nomine; ac dicitur quidem: PROPRIUS, aut MORALITER PROPRIUS, si Missæ votivæ physice aut moraliter celebrari illic valeant, ubi et actualis traditio Factum evenisse, aut Personæ aliqualem memoriam adesse narrat: PROPRIO OBJACENS, si Factum ad aliam cujusdam Viæ partem evenisse feratur, vel ex adverso et proxime locum proprium respiciat; semper tamen, quoties Proprio Loco Missæ nequeant quamcumque ob causam celebrari: VICINIOR, si Loco quantum fieri possit proximiore Votiva haberi solum valeat: SUFFECTUS, si alicujus Sanctuarii Indulgentia ad alium Locum fuerit translata, ibique perseveret. [6]

**VII.** Missæ tamen votivæ, qualiscumque Locus eis fuerit assignatus, celebrari ab omnibus Sacerdotibus indigenis et advenis indifferenter valeant; præterquam in casu, quo Locus VICINIOR attributus nimium vel moraliter a Proprio abesse censeatur: nam tunc solum a Peregrinis vel coram Peregrinis, extra diem multipliciter Sanctuariis propriam, Votivæ poterunt celebrari; ad cujus rei distinctionem sub Tabellæ Rubrica ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM adduntur verba **In gratiam Peregrinorum**, quæ vim non amittent, nisi moralis a Proprio Loco distantia per se aut per accidens removeatur. [7]

**VIII.** Votivæ autem, quibus celebrandis LOCUS PROPRIUS vel alius simpliciter assignetur, aut etiam eis generatim Ecclesia vel Oratorium vel Cappella, dici absque alia facultate possunt ad omnia Altaria fixa vel portatilia ibi erecta aut dein erigenda: atque ista omnia intelligantur etiam de casu, quo noviter unum e præfatis ædificiis construatur, aut veteri quomodovis subrogetur; quod accipiatur etiam de Altari novo in locum Veteris, privilegiis Votivarum utcumque jam fruentis, illic moraliter sufficiendo. [8]

**IX.** Numerus vero Sanctuariorum progressivus, crassioribus notis arabicis apud Tabellam designatus, minime quidem recenset omnia Palæstinæ vicinarumque regionum Sanctuaria, per hodiernam traditionem indicata; sed illa tantummodo refert, quibus privilegium Votivarum suo vel proximiore Loco habendarum, vel jam denuo confirmandum vel etiam nunc primo tribuendum, e Sedis Apostolicæ Indulto humillime per nos exoratur.

**X.** Quoties actuales nominantur Possessores Sanctuariorum, minime quæstiones juridice exsolvuntur, quæ hodie super Loci cujuspiam proprietate inter Catholicos præsertim et Acatholicos agitatæ fuerint: sed tantum innuitur, quinam de facto Loca religione insignia nunc possideant, aut illa divinis Officiis frequentandi polleant jure; ut appareat ratio principalis, cur aliquæ Missæ votivæ proprio aut viciniore aut alio Loco celebrari ordinantur. [9]

**XI.** Indulgentiæ Sanctuariorum Plenariæ aut Partiales sunt jugiter apud Tabellam ipsam indicatæ [10], juxta communes vel communiores Auctorum sententias [11]; ut præcipua nempe agnoscatur ratio, cur Sanctuarium aliquod, ejusque Votiva principalis aut principales illic, majoris aut minoris Ordinis censeantur [12]: sic tamen, ut neque futura Indulgentiæ Plenariæ concessio vel recognitio ullas ibi Votivas ad altiorem Ordinem seu Classem valeat evehere, absque formali Sedis Apostolicæ Rescripto; neque sine illo, Indulgentia Partialis dein concessa aut reducta aut secus atque apud Tabellam prostat certo recognita, valeat easdem Missas illic votivas ad inferiorem Ordinem seu Classem reduxisse. [13]

**XII.** Quotiescumque inter Auctores super alicujus Sanctuarii authentia dein quæstiones excitentur, non propterea fas erit privilegia Votivarum ex antiquo loco ad alium recenter agnitum transferri, etsi hoc extra omnem dubitationem positus videatur; ast negotium omne Sedi Apostolicæ erit exhibendum, a qua sola impetrari valet privilegii Votivarum translatio, postquam Sanctuarium noviter detectum legitime ab ea fuerit recognitum ac probatum. [14]

**XIII.** Correctiones demum propriæ, quas futurarum adjuncta rerum in hanc inducere Tabellam videantur, de Superiorum Ordinis venia, fideliter sequentibus in casibus agi valeant: 1°. Si Missa votiva, ob redemptum quoddam Sanctuarium aliasve causas, jam non solummodo apud viciniorem Locum, sed apud Locum physice aut moraliter proprium, aut proprio objacentem haberi queant; 2°. Si ob erectionem Ecclesiæ aut Oratorii publici, aut Cappellæ ab alio Templo independentis, aut ob concessionem Officii cum Octava, Personæ vel Mysteria jus ad privilegia Sanctuariorum majoris Ordinis infra suam ipsorum Octavam acquirant; 3°. Si ob Apostolicum Rescriptum mutari debeat Dies propria, Ordo seu Classis Votivarum atque illis respondentium Sanctuariorum, vel alia apud Tabellam contenta; 4°. Si demum in Sanctuariis unum habentibus Mysterium, vel plura quidem sed eodem Loco peracta, ubi nulla apud hanc Tabellam Altarium distinctio reperiatur, jam cuique Mysterio vel Personæ in eo partem habenti unum aut multiplex Altare, de Auctoritate Ordinarii, semel atque immutabiliter statuendum esse videatur.

## ADNOTATIONES IN TABELLÆ NORMAS.

[1] Conferantur tamen quæ ad Normarum numerum **XIII** subsequentem edicuntur, ubi sunt indicatæ mutationes, quæ sola auctoritate Ordinarii aut Superiorum Ordinis effici valent.

[2] Hæc omnia fusius disseruntur sub Secundo specialum Rubricarum Titulo atque subjectis adnotationibus.

[3] Ita, exempli gratia, etsi in Sanctuario respectivo Missa de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ colorem album sibi deposcat, Votiva tamen de ipsius Decollatione diebus liberis recitanda consuetum colorem rubeum servat: itemque colorem rubeum retinet Missa de Sancto Cleopha Christi Discipulo et Martyre, si habeatur ut die XXV Septembris; etsi Missa votiva, in qua de Apparitione agitur qua Jesus eumdem honoravit asseclam, sibi jam album colorem vindicarit.

[4] Non enim æquum foret, ut Duplex primæ Classis, infra Hebdomadam Votivas apud Sanctuaria minoris Ordinis indultas prohibens, eas in qualibet die Dominica non posset impedire. Igitur in casu nostro, Dominica dat jus tantummodo iis Votivis ad cantum solemnem seu festivum, utpote hic a Symbolo in Dominicis requisito dependentem; prouti jam ad notas 8 et 9 sub Decimo octavo specialium Rubricarum Titulo advertimus. Hinc apud Meratum in Indice Decretorum S. R. Congregationis, sub num. 401 ita ad rem legitur: «Missa votiva cantata de B. M. V. cum *Gloria* et *Credo* potest celebrari in die Do« minico causa Voti seu alia causa *S. R. C. 16 Junii 1663 in Aretina.* Hæc tamen non habet locum in Dominicis et Octavis « privilegiatis, licet neque Duplicibus primæ et secundæ Classis.» Enimvero hoc in casu, quemadmodum et in nostro, minime agitur de Votivis *pro re gravi* vel *publica Ecclesiæ causa;* quoniam secus hæ Missæ in Dominicis ac Duplicibus secundæ Classis et Octavis privilegiatis, uti notat idem Meratus *part. I. Tit. IV. num. LIV.*, nullatenus essent impeditæ.

[5] Conferantur ea, quæ circa talem Octavam in Sanctuariis quandoque vel sine Officio peragendam, ediximus sub Quarto specialium Rubricarum Titulo atque adnotationibus infra inibi adjunctis. Cæterum, hujusmodi privilegia Octavæ interdum sine Officio peragendæ, non solum commendantur rationibus illic adductis, sed etiam firmari videntur Decreto S. R. Congregationis *15 Julii 1876 in una Venetiarum* edito; in quo ad casum fere similem respondit: «Pro gratia «**quoad Missas tantum**, exclusa Octava pro Festis in Quadragesima occurrentibus.» Quæ tamen exclusio Quadragesimæ non videtur habere locum in casu nostro, quoniam etiam præter Octavæ privilegium hic fiant Votivæ; atque proinde non agatur nisi de augendis privilegiis Missarum, quotidie etiam per Quadragesimam uti Votivæ minoris Ordinis indultarum.

[6] Hæc autem traduntur, etsi generalius, etiam sub Septimo specialium Rubricarum Titulo ac suis adnotationibus.

[7] Cf. omnia, quæ sub Septimo specialium Rubricarum Titulo atque in subjectis notis disseruntur.

[8] Locis enim Sanctis, non autem Ædificiis inibi constructis, privilegium Votivarum conceditur; prouti et de Indulgentiis jam universalis consensio arbitratur.

[9] Quamvis enim, augendæ Peregrinorum consolationi, comprehensa sint in Missali Votivo omnia Loca, per Catholicos Orientalis ritus possessa: attamen generatim omissa manent illic Sanctuaria, in quibus Catholici nullum jus habeant, aut sibi restituendum petant; necnon Loca illa quæ a Communitatibus Latini ritus detinentur, ad quas impetratio talium privilegiorum spectat, excepto Deserto Dominici Præcursoris ad Patriarchatum Latinum pertinente, necnon Loco ubi fertur Beata Maria Virgo e terris in cœlum migrasse. Siquidem et prior Locus, de expressa Patriarchæ Hierosolymitani licentia, suam in nostro Missali Votivam, uti in anteactis concessionibus, retinet; posterior vero, jam Votivam dicendam in agro Franciscanorum contiguo fuerat editam assecutus, antequam Turcarum Sultanus Locum Virginei Transitus Imperatori Germanorum tradidisset. Demum, aliqua Mysteria Sanctuarii cujuspiam, ad Franciscanos pertinentis, etiam fuerunt ibi intermissa.

[10] Indulgentias plurimas visitationi Sanctuariorum Palæstinæ ab antiquis usque temporibus manere adnexas, quæ in antiquissima Tabella apud Sanctum Domini Sepulchrum custodita describerentur, res est nunc extra omne dubium collocata. Hinc Pius IV. per Constitutionem *Divina disponente clementia,* 17 Julii 1561 datam, ista decrevit: « In dicta Ta« bella descriptas, quam alias quascumque, etiam Plenarias Indulgentias et peccatorum remissiones Sepulchro [Christi] « prædicto, aliisque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus et piis Locis ipsius Terræ Sanctæ... confirmamus et approbamus, « et nihilominus **potiori pro cautela**,... de novo perpetuo concedimus et indulgemus. » Hanc Pii IV. Constitutionem Benedictus XIII. die 3 Martii 1727 per Bullam *Loca Sancta Palæstinæ* confirmavit, atque in gratiam Fratrum Minorum in Locis Sanctis Deo militantium, « quaslibet alias [Litteras Apostolicas] ejusdem Ordinis Annalibus et monumentis laudatas, « ad eos per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet scriptas, **præsertim quoad Indulgentias.** » Dolendum tamen est, Tabellam in Constitutione Pii IV. laudatam jam a tempore Patris Francisci Quaresmii [anno 1616-26] non amplius exstitisse, uti ipse in opere ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. I. pag. 357 et alibi clarius videtur innuere. Neque huic defectui congruum undique remedium afferebatur apud SUMMARIUM INDULGENTIARUM TERRÆ SANCTÆ ET VIÆ CRUCIS, quod Romæ Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ anno 1727 quo et Bulla Benedicti XIII. prodiit, editum fuit; quum inter alia, nonnisi Indulgentias Partiales enumeret, quæ Hierosolymis atque proximis Locis habentur, Indulgentias partiales Galilææ certo concessas relinquens. Hinc, ut infra videbimus, dubia manent circa quarumdam exsistentiam et qualitatem Indulgentiarum.

[11] Auctores præcipui, quorum ex operibus Indulgentiæ qualitas apud Tabellam indicatur, sunt sequentes: I°. Pater Franciscus Quaresmius, qui in eximio opere ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. I. pag. 357-365 ex habitis documentis refert diligentissime omnes Indulgentias Sanctuariis Palæstinæ concessas, earumque originem et hodiernam exsistentiam ac naturam diligenter examinat; II°. Pater Lucius Ferraris, qui itidem plurimas Terræ Sanctæ Indulgentias ex FAMILIARI REGULARIUM per P. Fr. Josephum a Neapoli in hac ipsa civitate anno 1706 edito integre refert apud Opus PROMPTA BIBLIOTHECA ad verbum *Indulgentia*, art. V. num. 8; III°. Quoddam SUMMARIUM INDULGENTIARUM TERRÆ SANCTÆ, Romæ anno Domini 1727 editum Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ. Advertendum est tamen, ex triplici isto fonte non semper alicujus Indulgentiæ exsistentiam aut qualitatem cuipiam Loco indultæ posse extra omne dubium collocari. Hinc, ut unum e pluribus quæ novimus exemplum afferamus, apud SACELLUM APPARITIONIS, ubi Christus post Resurrectionem suam Matri apparuisse fertur, Quaresmius testatur adesse **Indulgentiam Plenariam,** Ferraris autem tantum **Indulgentiam Partialem Septem annorum totidemque Quadragenarum,** atque Summarium relatum non indicat fuisse **ullam Indulgentiam** illic attributam. Igitur, in casu-alicujus difficultatis, potius nobis standum esse videbatur Summario illo, aut saltem opinioni Quaresmii, quoniam eorum sententiæ vidimus etiam antiquos Auctores favisse; dum Elenchus apud Lucium Ferraris relatus sæpe ab omnibus aliis discrepat, et nullum certum ordinem in nominandis Palæstinæ Sanctuariis exacte servat. Demumque, censuimus etiam Documentorum quæ novissime prodierunt, habendam esse rationem in recensendis Terræ Sanctæ Indulgentiis; ac præsertim visitatorum, quippe qui solerent in suis Hodœporicis ad Terram Sanctam Indulgentias ex antiqua Tabella per Pium IV. confirmata diligenter adnotare.

[12] Si novum SUMMARIUM INDULGENTIAS TERRÆ SANCTÆ CONTINENS, ea qua par est diligentia ex habitis conficiatur documentis: non solum sæpius confirmari poterunt, quæ a Patre Francisco Quaresmio apud eximium Opus ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. I. pag. 357-365 circa rem hanc optime traduntur; sed etiam pauciores corrigi ejusdem Auctoris defectus, additis nempe Locis Sanctis Indulgentia ditatis quæ ipse omiserat, vel melius determinata Indulgentiarum natura cuipiam Sanctuario concessarum. Enimvero, ut aliqua demus exempla, hoc modo agnosceretur: 1°. Recte a Quaresmio positam Indulgentiam Plenariam apud SACELLUM APPARITIONIS, ubi fertur Christus Virgini Matri post Resurrectionem suam apparuisse; quoniam et Frater Felix Fabri, apud EVAGATORIUM IN TERRAM SANCTAM vol. I. pag. 287, Stuttgardiæ editum anno 1843, Indulgentiam pariter ibidem jam ab anno Domini 1483 indicabat Plenariam: 2°. Apud Ecclesiam superiorem in Sanctuario Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, sive apud DOMUM ZACHARIÆ, ubi et Joannes Baptista circumcisus ejusque Pater Zacharias iterum loquela donatus perhibetur, addendam esse Indulgentiam Partialem Septem Annorum totidemque Quadragenarum, etsi a Quaresmio distincte non assertam; quoniam et anno Domini 1485 hanc a Loco Nativitatis Præcursoris et a Loco Visitationis diversam asseruit Pater Franciscus Surianus Venetus in Opere TRACTATUS TERRÆ SANCTÆ, apud Periodicum « LE MISSIONI FRANCESCANE Anno 1891 Gennajo pag. 7. » 3°. Apud ANTRUM SANCTI JACOBI Minoris in Valle Josaphat, ubi Quaresmius cum aliis omnibus Auctoribus Indulgentias tantummodo Partiales indicat, adesse potius Indulgentiam Plenariam; cujus exsistentiam ipse Felix Fabri, Sacerdos ex Ordine Prædicatorum ac bis Sanctorum Locorum diligens visitator, anno Domini 1483 iterum in Terram Sanctam Peregrinus, ita clarissime *Ibidem pag. 411* testatur: « Qua propter Dominus Sixtus IV. [Anno 1471-1484] **Indulgentias plenariæ remissionis** ad locum illum posuit, quæ « fuerunt in mea prima peregrinatione [Anno 1480] primo promulgatæ, et Bulla plumbea in Loco pœnitentibus omnibus Pe« regrinis lectæ. » Assertiones nostras auctoritate plurium Scriptorum, qui ante vel post Quaresmium floruerunt, confirmare etiam possemus, easque ad alia Sanctuaria, ultra præfata tria, protendere; sed brevitatis gratia, hic sermonem coarctamus.

[13] Hæc autem regula, qua prohibetur elevatio aut depressio Classium in Votivis, non solum necessaria est ad cohibenda privatorum ingenia, atque difficultates præcavendas, inducendamque inter Missas votivas stabilitatem: sed etiam merito consequitur ex iis, quæ ad Secundum specialium Rubricarum Titulum ac subjectas notas observantur; ubi vidimus non e sola Indulgentiæ diversitate peti Ordinem seu Classem Votivarum, nec proinde hæc ab illa inseparabiliter dependere.

[14] Hæc omnia, quæ ad refrenandam Scriptorum licentiam edicuntur, fundamentum suum habent in Epistola *Haud ita pridem,* quam Præfectus S. C. de Propaganda Fide jam die 20 Februarii 1891 dabat: « Quoniam vero studiosissime sat« agendum est ne in Palæstinæ regione, præter ea quæ ab antiquo recognita sunt, nova Sanctuaria aut recenter inventa, « aut in posterum detegenda inconsiderate adstruantur; absolute vetat hoc sacrum Consilium ne quis uti authentica « prodat ejusmodi Sanctuaria vel eorum cultum permittat, quin idem Consilium ea super re judicium edat, ac sententia « sua ut talia recognoscat ac probet. »

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| **CAPUT PRIMUM.**<br>IN PEREGRINORUM ADVENTU IN TERRAM SANCTAM.<br>I.<br>Ubi Peregrini appulerint in Terram Sanctam . . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Dies I aut II adventus Peregrinorum | Omnis Locus et Ecclesia Terræ Sanctæ strictim acceptæ | Quicumque esse valent Ubi Indulgentia Plenaria ob ingressum |
| **CAPUT SECUNDUM.**<br>APUD BASILICAM SS. SEPULCHRI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.<br>II.<br>**Primo.** — Ubi Crux Domini a latronum crucibus mirabiliter distincta fuit . | Rubeus | Minor | Dies III Maji | Proprius ad Altare ipsius Crucis sive Reliquiarum | 1 Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| III.<br>**Secundo.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Matri suæ . . . | Albus | Major | Dominica infra Octavam Ascensionis | Proprius ad Altare ipsius Apparitionis | 2 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| IV.<br>**Tertio.** — Ubi asservatur Columna Flagellationis Domini . . . . . | Rubeus | Major | Dominica ultima Julii atque Octava subsequens | Proprius ad Altare ipsius Columnæ | 3 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| V.<br>**Quarto.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Mariæ Magdalenæ. . | Albus | Minor | Feria V infra Octavam Paschæ | Proprius ad Altare ipsius Mysterii | 4 Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| VI.<br>**Quinto.** — Ubi Crux Domini inventa fuit ad Altare Sanctæ Helenæ Imperatricis. | Albus | Major | Dies XVIII Augusti | Proprio objacens ad Altare ipsius in Crypta Inventionis | 5 Armeni Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |
| VII.<br>**Sexto.** — In Crypta Inventionis Sanctæ Crucis. . . . . | Rubeus | Major | Dies III Maji | Proprius ad totam Inventionis Cryptam | 6 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| VIII.<br>**Septimo.** — In eo Calvariæ loco ubi Beata Maria Virgo stabat juxta Crucem Filii sui Jesu . . . . . | Albus | Major | Feria VI post Dominicam Passionis atque Dominica III Septembris | Proprius ad Altare Matris Perdolentis | 7 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| IX.<br>**Octavo.** — In eo Calvariæ loco ubi Dominus Cruci affixus fuit . . . . . | Violaceus sed in Festo Rubeus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprius ad Altare Crucifixionis | 8 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| X.<br>**Nono.** — In eo Calvariæ loco ubi Beata Maria Virgo stabat dum Jesus Cruci affigeretur . . . . . | Albus | Major | Feria VI post Dominicam Passionis ac Dominica III Septembris cum hujus Octava | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **9** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| XI.<br>**Decimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis Tempore Paschali adhibenda.* | Albus | Major | Dominica Resurrectionis atque Octava subsequens | Proprius ad totam Ædiculam Sanctissimi Sepulchri | **10** Franciscani cum Græcis et Armenis Acatholicis ubi Indulgentia Plenaria |
| XII.<br>**Undecimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis extra Tempus Paschale adhibenda.* . . . . . | Albus | Major | Vacat | Proprius ad totam Ædiculam Sanctissimi Sepulchri | Uti ad Missam XI |
| XIII.<br>**Duodecimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis quocumque anni Tempore adhibenda* . . . . . | Albus | Major | Dominica Resurrectionis atque Octava subsequens | Proprius ad totam Ædiculam Sanctissimi Sepulchri | Uti ad Missam XI |
| **CAPUT TERTIUM.**<br>IN VIA DOLOROSA<br>DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.<br>XIV.<br>**Statio Prima.** — Ubi Christus ad mortem condemnatur . . . . . | Violaceus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Vicinior itemque ad Stationem secundam | **11** Turcæ ubi Indulgentia Plenaria |
| XV.<br>**Statio Secunda.** — Ubi Christus suscipit Crucem humeris. . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprio objacens ad dexterum Viæ Latus | **12** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |
| XVI.<br>**Statio Tertia.** — Ubi Christus primum cadit sub Cruce. . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **13** Armeni Catholici ubi Indulgentia Partialis |
| XVII.<br>**Statio Quarta.** — Ubi Christo occurrit Mater . . . . . | Albus | Major | Feria VI post Dominicam Passionis atque Dominica III Septembris cum hujus Octava | Proprius ad totam Ecclesiam inferiorem | **14** Armeni Catholici ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| XVIII. **Statio Quinta.** — Ubi Christus a Simone Cyrenæo adjuvatur . . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **15** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XIX. **Statio Sexta.** — Ubi Christo sudarium a Veronica porrigitur . . . . . | Rubeus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Ecclesiam superiorem et inferiorem | **16** Græci Catholici ubi Indulgentia Partialis |
| XX. **Statio Septima.** — Ubi Christus iterum cadit sub Cruce . . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Cappellam inferiorem | **17** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XXI. **Statio Octava.** — Ubi Christus alloquitur mulieres lacrymantes . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprio objacens ad dexterum Viæ Latus | **18** Græci Acatholici ubi Indulgentia Partialis |
| XXII. **Statio Nona.** — Ubi Christus tertium cadit sub Cruce . . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Vicinior | **19** Cophti Acatholici ubi Indulgentia Partialis |
| XXIII. **Statio Decima.** — Ubi Christus vestibus exsuitur et felle potatur. . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprio objacens ad Altare Crucifixionis | **20** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XXIV. **Statio Undecima.** — Ubi Christus Cruci affigitur. . . . . | Rubeus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprius ad Altare Crucifixionis | Uti ad Missam IX |
| XXV. **Statio Duodecima.** — Ubi Christus pendens in Cruce moritur. . . . . | Rubeus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Vicinior ad Altare Crucifixionis | **21** Græci Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |
| XXVI. **Statio Decimatertia.** — Ubi Christus e Cruce in sinu Matris deponitur . | Albus | Major | Feria VI post Dominicam Passionis atque Dominica III Septembris | Proprius ad Altare Matris Perdolentis | Uti ad Missam VIII |
| XXVII. **Statio Decimaquarta.** — Ubi Christus Monumento reconditur . . . . . | Violaceus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Ædiculam Sanctissimi Sepulchri | Uti ad Missam XI |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| **CAPUT QUARTUM.** ALIIS INTRA CIVITATEM HIEROSOLYMAM LOCIS. XXVIII. **Primo.** — Ad portam qua eductus est Christus ad crucifigendum . . . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Sexagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Cappellam superiorem | Uti ad Missam XX |
| XXIX. **Secundo.** — Ad locum ubi Christus est flagellatus. . . . . | Rubeus | Major | Dominica ultima Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Flagellationis Ecclesiam | **22** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| **CAPUT QUINTUM.** APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION. XXX. **Primo.** — Ubi Spiritus Sanctus descendit super Apostolos . . . . . | Rubeus | Major | Vigilia Pentecostes atque Octava subsequens | Vicinior aut suffectus ad Altare suum in Ecclesia SS. Salvatoris | **23** Turcæ ubi Indulgentia Plenaria translata |
| XXXI. **Secundo.** — Ubi Christus ultimam Cœnam cum Discipulis celebravit . . . | Albus | Major | Festum Corporis Christi atque Octava subsequens | Vicinior aut suffectus ad Altare suum in Ecclesia SS. Salvatoris | **24** Turcæ ubi Indulgentia Plenaria translata |
| XXXII. **Tertio.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Thomæ . . . . . | Albus | Major | Dominica in Albis et Dies XXI Decembris | Vicinior aut suffectus ad Altare suum in Ecclesia SS. Salvatoris | **25** Turcæ ubi Indulgentia Plenaria translata |
| XXXIII. **Quarto.** — Ubi Beatissima Virgo Maria e vita migravit . . . . . | Albus | Major | Dies XIII Augusti | Proprius | **26** Catholici Germani ubi Indulgentia Plenaria |
| **CAPUT SEXTUM.** APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI. XXXIV. **Primo.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Isaias Propheta . . . . . | Rubeus | Minor | Dies VI Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Sepulchri Cappellam | **27** Franciscani ubi nulla hodie Indulgentia |
| XXXV. **Secundo.** — Ubi Beata Maria Virgo Monumento fuit recondita. . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Dies XV Augusti atque Octava subsequens | Vicinior itemque ad totam Gethsemani Cryptam | **28** Græci et Armeni Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS. | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXVI.<br>**Tertio.** — Ubi Christus in agonia factus sanguinem sudavit . . . . . | Rubeus | Major | Feria III post Dominicam Septuagesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **29** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| XXXVII.<br>**Quarto.** — Ubi Christus in agonia factus ab Angelo est confortatus. . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Orationis Domini | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | Uti ad Missam XXXVI |
| XXXVIII.<br>**Quinto.** — In Horto ubi Christus sæpe orans et quiescens morabatur . . . . | Albus | Minor | Vacat | Proprius ad totum Hortum Gethsemani | **30** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XXXIX.<br>**Sexto.** — Ubi Petrus cum Jacobo et Joanne dormierunt ante capturam Christi. | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Septuagesimæ | Moraliter Proprius | **31** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XL.<br>**Septimo.** — Ubi Christus comprehensus et ligatus fuit . . . . . | Violaceus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprius | **32** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| XLI.<br>**Octavo.** — Unde Apostoli post Christi comprehensionem fugerunt . . . . . | Violaceus | Major | Feria III post Dominicam Sexagesimæ | Proprius | Uti ad Missam XL |
| XLII.<br>**Nono.** — Ubi Christus Patrem oraturus octo ex Apostolis dimisit. . . . | Violaceus | Minor | Feria III post Dominicam Septuagesimæ | Proprius | **33** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT SEPTIMUM.**<br>SUPER MONTEM OLIVETI.<br>XLIII.<br>**Primo.** — Ubi Christus flevit super Civitatem Hierosolymam . . . . . | Violaceus | Minor | Dominica IX post Pentecosten atque Octava subsequens | Proprio objacens ad totam Mysterii Cappellam | **34** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |
| XLIV.<br>**Secundo.** — Unde Christus visibiliter in cœlum ascendit . . . . . | Albus | Major | Festum Ascensionis tota Octava ac Feria VI subsequens | Proprius ad totam Mysterii Ædiculam | **35** Turcæ sed Franciscanis jus celebrandi ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| XLV.<br>**Tertio.** — In viculo Bethphage ubi Christus Hierosolymam ingressurus super asinæ pullum ascendit . . . . . | Albus | Minor | Sabbatum ante Dominicam Palmarum | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **36** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT OCTAVUM.**<br>APUD CASTELLUM BETHANIÆ.<br>XLVI.<br>**Primo.** — In Domo Simonis leprosi ubi Maria Magdalena unxit Christum unguento . . . . . | Albus | Minor | Dies XXII Julii | Proprius | **37** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XLVII.<br>**Secundo.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa de Sancto Lazaro ejus fratre* . . . . . | Albus | Minor | Dies XVII Decembris | Proprius | **38** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| XLVIII.<br>**Tertio.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa de Sancta Maria Magdalena ejus sorore.* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXII Julii | Proprius | Uti ad Missam XLVII |
| XLIX.<br>**Quarto.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa ipsius Sanctæ Marthæ.* | Albus | Minor | Dies XXIX Julii | Proprius | Uti ad Missam XLVII |
| L.<br>**Quinto.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa communis Familiæ Sanctorum Lazari et Marthæ ac Mariæ* . | Albus | Minor | Feria VI post Dominicam IV Quadragesimæ | Proprius | Uti ad Missam XLVII |
| LI.<br>**Sexto.** — In monumento a quo Christus revocavit Lazarum quatriduanum . | Albus | Major | Feria VI post Dominicam IV Quadragesimæ ac Dies XVII Decembris | Proprius ad ipsum Sepulchrum ejusque Vestibulum | **39** Turcæ sed Franciscanis jus celebrandi ubi Indulgentia Plenaria |
| **CAPUT NONUM.**<br>IN PEREGRINATIONE<br>AD FLUMEN JORDANIS.<br>LII.<br>**Primo.** — Ubi Christus Quadragesimale egit Jejunium . . . . . | Violaceus | Major in gratiam Peregrinorum | Dominica I Quadragesimæ | Vicinior ad Montem Quarantenæ | **40** Græci Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| LIII. **Secundo.** — Ubi Angeli accedentes ministrabant Christo post illius tentationes . . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Dominica I Quadragesimæ | Vicinior ad Montem Quarantenæ | Uti ad Missam LII |
| LIV. **Tertio.** — Ubi Christus a Præcursore baptizatus fuit. *Missa Domini nostri Jesu Christi* . . . . . | Albus | Major | Dies infra Octavam Epiphaniæ | Proprius ad ripam occidentalem Jordanis | **41** Sanctuarium commune ubi Indulgentia Plenaria |
| LV. **Quarto.** — Ubi Christus a Præcursore baptizatus fuit. *Missa ipsius Sancti Joannis Baptistæ* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Epiphaniæ | Proprius ad ripam occidentalem Jordanis | Uti ad Missam LIV |
| **CAPUT DECIMUM.** APUD BASILICAM NATIVITATIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. LVI. **Primo.** — In loco ubi Sanctus Hieronymus vacabat studiis et orationibus. . | Albus | Minor | Dies XXX Septembris | Proprius ad totam ipsius Cappellam | **42** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LVII. **Secundo.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Hieronymus . . . . . | Albus | Minor | Dies XXX Septembris et IX Maji | Proprius ad Altare ipsius Sepulchri | **43** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LVIII. **Tertio.** — Ubi sepulta fuit Sancta Paula Vidua Romana . . . . . | Albus | Minor | Dies XXVI Januarii | Proprius ad Altare ipsius Sepulchri etiam Filiæ communis | Uti ad Missam LX |
| LIX. **Quarto.** — Ubi sepulta fuit Sancta Eustochium Virgo Romana . . . . . | Albus | Minor | Dies XXVIII Septembris | Proprius ad Altare ipsius Sepulchri etiam Matri communis | Uti ad Missam LX |
| LX. **Quinto.** — Ubi sepulta fuerunt corpora Sanctarum Paulæ et Eustochii. *Missa Matri et Filiæ communis* . . . . . | Albus | Minor | Vacat | Proprius ad Altare ipsius Sepulchri utrique communis | **44** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXI. **Sexto.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Eusebius Abbas Discipulus beati Hieronymi . . . . . | Albus | Minor | Dies V Martii | Proprius ad Altare ipsius Sepulchri | **45** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| LXII. **Septimo.** — Ubi plures e Sanctis Innocentibus sepulti fuerunt . . . . . | Rubeus sed in Festo extra Dominicam Violaceus | Minor | Dies XXVIII Decembris atque Octava subsequens | Proprius ad Altare ipsorum Innocentium | **46** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXIII. **Octavo.** — Super Altare S. Joseph Deiparæ Sponsi ad Cryptam Bethlehemiticam. | Albus | Major | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Proprius ad Altare ipsius Sancti Joseph | **47** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXIV. **Nono.** — Ubi Beata Virgo Maria Christum peperit et reclinavit in Præsepio . | Albus | Major | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Proprius ad Altare Magorum | Uti ad Missas LXV ac LXVI |
| LXV. **Decimo.** — Ubi Christus in lucem editus fuit. . . . . | Albus | Major | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Proprio Objacens ad Altare Magorum | **48** Græci Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |
| LXVI. **Undecimo.** — Ubi Christus fuit in Præsepio reclinatus. . . . . | Albus | Major | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Proprio Objacens ad Altare Magorum | **49** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| LXVII. **Duodecimo.** — Ubi Christus a Magis fuit adoratus . . . . . | Albus | Major | Festum Epiphaniæ atque Octava subsequens | Proprius ad Altare Magorum | **50** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| LXVIII. **Decimotertio.** — In spelunca Nativitatis ubi diu manserunt Joseph cum Maria et Jesu. *Missa de eadem sancta Familia.* | Albus | Major | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Proprius ad Altaria Sancti Joseph vel Magorum | Uti ad Missas LXIII-LXVII |
| **CAPUT UNDECIMUM.** ALIIS PROPE CIVITATEM BETHLEHEM LOCIS. LXIX. **Primo.** — In Crypta ubi fertur Beata Virgo Maria Christum aliquando lactasse. | Albus | Minor | Dies a Nativitate usque Purificationem | Proprius ad totam Mysterii Cryptam | **51** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXX. **Secundo.** — In domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi . . . . . | Albus | Minor | Vigilia Epiphaniæ ac Dominica IV Paschæ cum hujus Octava | Proprius ad totam ipsius Cappellam | **52** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXXI. **Tertio.** — Ubi Angeli Pastoribus nuntiarunt Nativitatem Christi . . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Dies a Nativitate usque ad Vigiliam Epiphaniæ | Vicinior | **53** Græci Acatholici ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| **CAPUT DUODECIMUM.**<br>APUD MONTANA JUDÆÆ.<br>LXXII.<br>**Primo.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de Sancto Zacharia Præcursoris Patre* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXIII Junii atque V Novembris | Moraliter Proprius ad ipsius Altare | Uti ad Missam LXXIV |
| LXXIII.<br>**Secundo.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de Sancta Elisabeth Præcursoris Matre* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Nativitatis Præcursoris atque Dies V Novembris | Moraliter Proprius ad ipsius Altare | Uti ad Missam LXXIV |
| LXXIV.<br>**Tertio.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de ipso Domini Præcursore* . . . . . | Albus | Major | Dies XXIV Junii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Nativitatis Cryptam | 54 Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| LXXV.<br>**Quarto.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Communis Missa Familiæ Præcursoris.* . . . . . | Albus | Major | Dies XXIII Junii | Proprius ad totam Nativitatis Cryptam atque Altaria Zachariæ et Elisabeth | Uti ad Missam LXXIV |
| LXXVI.<br>**Quinto.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Deipara salutavit Elisabeth* . . . . . | Albus | Major | Feria VI Quatuor Temporum Adventus et Dies II Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam inferiorem | 55 Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXXVII.<br>**Sexto.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Elisabeth salutationem Mariæ audivit* . . . . . | Albus | Minor | Feria VI Quatuor Temporum Adventus Dies infra Octavam Visitationis atque Dies VI Novembris | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam inferiorem | Uti ad Missam LXXVI |
| LXXVIII.<br>**Septimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Joannes in sinu Elisabeth exsultavit* . . . . . | Albus | Minor | Feria VI Quatuor Temporum Adventus atque Dies infra Octavam Visitationis | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam inferiorem | Uti ad Missam LXXVI |
| LXXIX.<br>**Octavo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Communis Missa de Personis in hoc Mysterio comprehensis.* | Albus | Major | Feria VI Quatuor Temporum Adventus atque Dies infra Octavam Visitationis | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam inferiorem | Uti ad Missam LXXVI |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| LXXX. **Nono.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Zacharias loquela recepta prophetavit.* . . . . . | Albus | Major | Dies I Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam superiorem | **56** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXXXI. **Decimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Elisabeth Præcursori nomen asseruit* . . . . . | Albus | Minor | Dies I Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam superiorem | Uti ad Missam LXXX |
| LXXXII. **Undecimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi fuit circumciso Joanni nomen impositum* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Zachariæ Prophetantis | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam superiorem | Uti ad Missam LXXX |
| LXXXIII. **Duodecimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Communis Missa Familiæ Præcursoris* . . . . . | Albus | Major | Dies infra Octavam Zachariæ Prophetantis | Proprius ad totam Visitationis Ecclesiam superiorem | Uti ad Missam LXXX |
| LXXXIV. **Decimotertio.** — In deserto illo ubi Præcursor Domini puer habitasse traditur. | Albus | Minor | Sabbatum Quatuor Temporum et Dominica IV Adventus | Proprius ad totam Deserti Cappellam | **57** Patriarchatus Latinus ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT DECIMUMTERTIUM.** IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN. LXXXV. **Primo.** — Ubi Christus junxit se duobus Discipulis euntibus in castellum nomine Emmaus . . . . . | Albus | Minor | Feria II infra Octavam Paschæ | Vicinior itemque ad Sanctuarium Emmauntis | **58** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |
| LXXXVI. **Secundo.** — Emmaunte ubi cognitus est Jesus in fractione panis. *Missa de Sancto Cleopha Christi Discipulo* . . | Albus | Minor | Feria II infra Octavam Paschæ ac Dies XXV Septembris atque Octavæ subsequentes | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | Uti ad Missam LXXXVII |
| LXXXVII. **Tertio.** — Emmaunte ubi cognitus est Jesus in fractione panis. *Missa de ipso Recognitionis Mysterio* . . . . . | Albus | Major | Feria II infra Octavam Paschæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | **59** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| LXXXVIII.<br>**Quarto.** — In Domo Sancti Nicodemi Discipuli Jesu apud civitatem Ramulam. | Albus | Minor | Feria II infra Octavam Pentecostes ac Dies III Augusti cum hujus Octava | Proprius ad totam ipsius Cappellam | **60** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| LXXXIX.<br>**Quinto.** — In ipsa civitate Joppe ubi Petrus Apostolus demissum e cœlo linteum vidit. . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Sabbatum post Dominicam in Albis atque Octava subsequens | Vicinior itemque ad totam Ecclesiam Parochialem Minorum | **61** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT DECIMUMQUARTUM.**<br>INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.<br>XC.<br>**Primo.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Sancto Gabriele Archangelo* . . . . | Albus | Minor | Feria IV Quatuor Temporum Adventus et Dies XXIV Martii atque infra Octavam Annuntiationis | Proprius ad Altare ipsius in Crypta Incarnationis | Uti ad Missam XCI verum huic Altari Indulgentia Partialis |
| XCI.<br>**Secundo.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de ipsa Dei Genitrice*. . . . . | Albus | Major | Feria IV Quatuor Temporum Adventus ac Dies XXV Martii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Incarnationis Cryptam | **62** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| XCII.<br>**Tertio.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Domino nostro Jesu Christo* . . . . | Albus | Major | Feria IV Quatuor Temporum Adventus ac Dies infra Octavam Annuntiationis | Proprius ad totam Incarnationis Cryptam | Uti ad Missam XCI |
| XCIII.<br>**Quarto.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Sancto Patriarcha Joseph* . . . . . | Albus | Minor | Vigilia Nativitatis Domini Dies XXIII Januarii ac XIX Martii | Proprius ad Altare ipsius in Crypta Incarnationis | Uti ad Missam XCI verum huic Altari Indulgentia Partialis |
| XCIV.<br>**Quinto.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de sancta Domini Familia* . . . . . | Albus | Major | Vigilia Nativitatis Domini atque Dies XXIII Januarii | Proprius ad Altare Sancti Joseph idest Sacræ Familiæ in Crypta Incarnationis | Uti ad Missas XCI ac XCIII |
| XCV.<br>**Sexto.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de ipso Patriarcha.* | Albus | Major | Dies XIX Martii atque Dies infra Octavam Sacræ Familiæ | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | **63** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| XCVI. **Septimo.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de ipsa Dei Genitrice* . . . . . | Albus | Major | Festum ejus Cordis ac Dominica I Epiphaniæ atque Dies infra Octavam Sacræ Familiæ | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | Uti ad Missam XCV |
| XCVII. **Octavo.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de Domino nostro Jesu Christo* . . . . . | Albus | Major | Dies infra Octavam Sacræ Familiæ | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | Uti ad Missam XCV |
| XCVIII. **Nono.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de sancta Domini Familia* . . . . . | Albus | Major | Dominica I Epiphaniæ ac Festum Sacræ Familiæ cum hujus Octava | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | Uti ad Missam XCV |
| XCIX. **Decimo.** — In loco Mensæ Christi ubi fertur ipse cum Discipulis etiam post Resurrectionem comedisse . . . . . | Albus | Minor | Feria II infra Hebdomadam Paschæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **64** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| C. **Undecimo.** — In Synagoga Nazarena ubi Christus declaravit vaticinium Capite LXI. Isaiæ contentum . . . . . | Albus | Minor | Feria II post Dominicam III Quadragesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | **65** Græci Catholici ubi Indulgentia Partialis |
| CI. **Duodecimo.** — Super collem Tremoris Beatæ Mariæ Virginis . . . . . | Albus | Minor | Feria II post Dominicam III Quadragesimæ atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **66** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CII. **Decimotertio.** — Ad supercilium montis unde cives Nazareni Jesum præcipitare voluerant . . . . . | Albus | Minor | Feria II post Dominicam III Quadragesimæ | Proprius | **67** Turcæ sed Franciscanis jus celebrandi ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT DECIMUMQUINTUM.** ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH. CIII. **Primo.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de Sancta Maria Salome eorumdem Matre.* | Albus | Minor | Feria IV post Dominicam II Quadragesimæ ac Dies XXII Octobris | Proprius ad totam Sanctuarii Cappellam | Uti ad Missam CIV |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CIV. **Secundo.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de eodem Sancto Jacobo* . . . . . | Rubeus | Minor | Feria IV post Dominicam II Quadragesimæ atque Dies XXV Julii cum hujus Octava | Proprius ad totam Sanctuarii Cappellam | **68** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CV. **Tertio.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de eodem Sancto Joanne* . . . . . | Albus | Minor | Feria IV post Dominicam II Quadragesimæ ac Dies VI Maji | Proprius ad totam Sanctuarii Cappellam | Uti ad Missam CIV |
| CVI. **Quarto.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de Familia Sanctæ Mariæ Salome* . . . . | Rubeus | Minor | Feria IV post Dominicam II Quadragesimæ | Proprius ad totam Sanctuarii Cappellam | Uti ad Missam CIV |
| CVII. **Quinto.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa de Sancto Joachim ejus Patre* . . . . . | Albus | Minor | Dies XX Martii ac Festum mobile cum hujus Octava | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | Uti ad Missam CVIII |
| CVIII. **Sexto.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa de Sancta Anna ejus Matre* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXVI Julii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | **69** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CIX. **Septimo.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa utrique Parenti communis.* . . . . . | Albus | Minor | Vacat | Proprius ad totam Sanctuarii Ecclesiam | Uti ad Missam CVIII |
| CX. **Octavo.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de ipso Domino nostro Jesu Christo* . . | Albus | Major | Festum Initii Signorum atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | **70** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| CXI. **Nono.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de Beata Maria Virgine* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Initii Signorum | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | Uti ad Missam CX |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXII. **Decimo.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de Discipulis Christi Domini* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Initii Signorum | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | Uti ad Missam CX |
| CXIII. **Undecimo.** — Apud Canam Galilææ in Domo Sancti Nathanaëlis . . . . . | Rubeus | Minor | Dies XXIV Augusti atque Octava subsequens | Proprius ad totam Sanctuarii Cappellam | **71** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXIV. **Duodecimo.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Domino nostro Jesu Christo* . . . . | Albus | Major | Dominica II Quadragesimæ ac Sabbato antecedenti et Dies VI Augusti cum hujus Octava | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | **72** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| CXV. **Decimotertio.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Sancto Moyse Legislatore* . . . . . | Albus | Minor | Dominica II Quadragesimæ ac Sabbato antecedenti et Dies IV Septembris atque infra Octavam Transfigurationis | Proprius ad totam ipsius Cappellam | Uti ad Missam CXIV |
| CXVI. **Decimoquarto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Sancto Elia Propheta* . . . . . | Albus | Minor | Dominica II Quadragesimæ ac Sabbato antecedenti et Dies XX Julii atque infra Octavam Transfigurationis | Proprius ad totam ipsius Cappellam | Uti ad Missam CXIV |
| CXVII. **Decimoquinto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de unoquolibet e duodecim Apostolis* . . . . | Albus | Minor | Dominica II Quadragesimæ ac Sabbato antecedenti atque Dies infra Octavam Transfigurationis | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | Uti ad Missam CXIV |
| CXVIII. **Decimosexto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Communis Missa de Personis in hoc Mysterio comprehensis* . . . . . | Albus | Major | Dominica II Quadragesimæ ac Sabbato antecedenti atque Dies infra Octavam Transfiguratio nis | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam atque Cappellas Moysis et Elia | Uti ad Missam CXIV |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXIX. **Decimoseptimo.** — Super Montem Thabor ubi post Resurrectionem Christus undecim Discipulis apparuisse fertur . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Feria VI infra Octavam Paschæ | Moraliter Proprius ad Ecclesias Montis Thabor | **73** Sanctuarium cujus Locus certus ignoratur ubi Indulgentia Partialis |
| CXX. **Decimooctavo.** — Apud Civitatem Naim ubi Christus suscitavit filium unicum matris viduæ . . . . . | Albus | Major | Feria V infra Hebdomadam IV Quadragesimæ ac Dominica XV post Pentecosten cum hujus Octava | Proprius ad totam Mysterii Ecclesiam | **74** Franciscani ubi Indulgentia Plenaria |
| **CAPUT DECIMUMSEXTUM.** APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS. CXXI. **Primo.** — Ad oras Stagni ubi Christus Dominus sedavit Discipulis fluctuantibus procellam . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Dominica IV Epiphaniæ aut aliqua ei subroganda post Pentecosten | Vicinior ad oras Lacus itemque ad Ecclesias inibi exsistentes | **75** Sanctuarium intra mare ideoque commune ubi Indulgentia Partialis |
| CXXII. **Secundo.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de Sancto Petro Apostolo* . . . . . | Albus | Major | Dies XXVIII Junii ac Feria IV infra Octavam Paschæ | Proprius itemque ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | **76** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXXIII. **Tertio.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de Sancto Joanne Apostolo* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXVII Decembris atque Octava subsequens ac Feria IV infra Octavam Paschæ | Proprius itemque ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | Uti ad Missam CXXII |
| CXXIV. **Quarto.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de omnibus Personis in Mysterio comprehensis.* . | Albus | Major | Feria IV infra Octavam Paschæ | Proprius itemque ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | Uti ad Missam CXXII |
| CXXV. **Quinto.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Petro* . . . . . | Albus | Minor | Dominica IV post Pentecosten atque Octava subsequens | Proprius ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | **77** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXXVI. **Sexto.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Andrea* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Vocationis Petri atque XXX Novembris | Proprius ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | Uti ad Missam CXXV |
| CXXVII. **Septimo.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Jacobo* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Vocationis Petri | Moraliter Proprius ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | **78** Sanctuarium alteri vicinius cujus Locus certus ignoratur ubi Indulgentia Partialis |
| CXXVIII. **Octavo.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Joanne* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Vocationis Petri | Moraliter Proprius ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | Uti ad Missam CXXVII |
| CXXIX. **Nono.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa omnibus his Discipulis communis* . . . . . | Albus | Minor | Dies infra Octavam Vocationis Petri | Proprius ad totam Ecclesiam Sancti Petri in urbe Tiberiadis | Uti ad Missas CXXV ac CXXVII |
| CXXX. **Decimo.** — Ad oras Lacus ubi Christus liberavit a demersu Petrum super fluctus ambulantem . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Sabbatum post Dominicam Quinquagesimæ ac Dies VI Julii | Vicinior ad oras Lacus itemque ad Ecclesias inibi exsistentes | Uti ad Missam CXXI |
| CXXXI. **Undecimo.** — Ad oras Lacus ubi Christus super aquas incedens Discipulis contrarium ventum sedavit . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Sabbatum post Dominicam Quinquagesimæ | Vicinior ad oras Lacus itemque ad Ecclesias inibi exsistentes | Uti ad Missam CXXI |
| **CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.** RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM. CXXXII. **Primo.** — In Domo Sanctæ Mariæ Magdalenæ Pœnitentis apud Castellum Magdalum . . . . . | Albus | Minor | Feria V Passionis ac Feria VI Quatuor Temporum Septembris et Dies XXII Julii | Proprius | **79** Turcæ sed Franciscanis jus celebrandi ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXXXIII. **Secundo.** — Ubi Christus Septem Panes multiplicavit . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Dominica VI post Pentecosten | Proprius aut vicinior | **80** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |
| CXXXIV. **Tertio.** — In Monte ubi Christus Apostolos elegit. *Missa de unoquolibet ex undecim* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXIV Augusti | Proprius | **81** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXXXV. **Quarto.** — In Monte ubi Christus Apostolos elegit. *Missa omnibus undecim communis* . . . . . | Albus | Minor | Dies XXIV Augusti | Proprius | Uti ad Missam CXXXIV |
| CXXXVI. **Quinto.** — Ubi Christus evangelicas Beatitudines prædicavit . . . . . | Albus | Minor | Dies I Novembris atque Octava subsequens | Proprius | **82** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXXXVII. **Sexto.** — Ubi Christus Orationis Dominicæ formam edocuit . . . . . | Albus | Minor | Feria VI post Cineres | Proprius | Uti ad Missam CXXXVI |
| CXXXVIII. **Septimo.** — Ubi Christus ad turbas in monte sermonem habuit . . . . . | Albus | Major | Feria VI post Cineres atque Dominica V et XIV post Pentecosten | Proprius | Uti ad Missam CXXXVI |
| CXXXIX. **Octavo.** — Ubi Christus Quinque Panes multiplicavit . . . . . | Albus | Minor | Dominica IV Quadragesimæ | Proprius | **83** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXL. **Nono.** — Ad locum ubi Jesus Matthæum Apostolum ad sequelam suam invitavit . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Dies XXI Septembris | Vicinior itemque ad Ecclesias Capharnaum | **84** Franciscani verum Locus certus ignoratur ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXLI. **Decimo.** — In Synagoga Capharnaum ubi Christus prædocuit sanctum Eucharistiæ Sacramentum . . . . . | Albus | Major | Dies infra Octavam Corporis Christi | Proprius | **85** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXLII. **Undecimo.** — In Domo ubi Christus socrum Simonis Petri magnis laborantem febribus sanavit . . . . . | Albus | Minor | Feria V post Dominicam III Quadragesimæ ac Sabbatum infra Octavam Pentecostes | Proprius | **86** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXLIII. **Duodecimo.** — In Domo Petri et Andreæ ad cujus januam Christus infirmos sanavit et dæmonia ejecit . . . . | Albus | Major | Feria V post Dominicam III Quadragesimæ ac Sabbatum infra Octavam Pentecostes | Proprius | Uti ad Missam CXLII |
| CXLIV. **Decimotertio.** — Ubi Christus Petro miram piscationem mandavit ad tributum pro utroque solvendum . . . . . | Albus | Minor | Dies XXIX Junii atque Octava subsequens | Proprius | Uti ad Missam CXLII |
| CXLV. **Decimoquarto.** — In Domo ubi per Matthæum ad meliora conversum Christus convivio fuit exceptus . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Dies XX Septembris | Vicinior itemque ad Ecclesias Capharnaum | **87** Franciscani verum Locus certus ignoratur ubi Indulgentia Partialis |
| CXLVI. **Decimoquinto.** — Apud Cæsaream Philippi ubi Christus Apostolo Petro promisit Claves regni cœlorum . . . . . | Albus | Major | Dies XVIII Januarii atque XXII et XXIII Februarii | Proprius | **88** Græci Catholici ubi Indulgentia Partialis |
| **CAPUT DECIMUMOCTAVUM.** IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS. CXLVII. **Primo.** — Apud Damascum ubi Christus post Resurrectionem convertit Saulum Ecclesiæ hostem . . . . . | Albus | Major | Dies XXV Januarii atque Octava subsequens | Vicinior itemque ad totam Sancti Ananiæ Cappellam | **89** Turcæ ubi Indulgentia Partialis |

| LOCA EORUMQUE MYSTERIA RECOLENDA IN MISSIS VOTIVIS | COLOR PARAMENTORUM | ORDO SEU CLASSIS VOTIVARUM | DIES MYSTERIORUM AC PERSONARUM PROPRIA | LOCUS CELEBRATIONIS VOTIVARUM | NUMERUS SANCTUARIORUM POSSESSORES INDULGENTIA |
|---|---|---|---|---|---|
| CXLVIII.<br>**Secundo.** — Damasci in Domo Ananiæ ubi ipse Discipulus a Christo miram Sauli conversionem est edoctus . . . . . | Albus | Minor | Dies XXV Januarii atque Octava subsequens | Proprius ad totam Mysterii Cappellam | **90** Franciscani ubi Indulgentia Partialis |
| CXLIX.<br>**Tertio.** — Apud Cairum Babylonis ubi sancta Domini Familia in Ægypto diu commorata est . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Dominica IV post Pascham | Vicinior itemque ad Ecclesias Cairi Veteris | **91** Cophti Acatholici ubi Indulgentia Partialis |
| CL.<br>**Quarto.** — Apud Cairum Babylonis unde sancta Domini Familia in Terram Israël est reversa . . . . . | Albus | Minor in gratiam Peregrinorum | Vigilia Epiphaniæ ac Dies VII Januarii | Vicinior itemque ad Ecclesias Cairi Veteris | Uti ad Missam CXLIX |
| **CAPUT DECIMUMNONUM.**<br>IN PEREGRINORUM DISCESSU A TERRA SANCTA.<br>CLI.<br>Quando Peregrini discessuri sunt a Terra Sancta . . . . . | Albus | Major in gratiam Peregrinorum | Ipsa Dies Discessus Peregrinorum aut præcedens | Omnis Locus et Ecclesia Terræ Sanctæ strictim acceptæ | Quicumque esse valent Ubi nulla hodie Indulgentia ob discessum |

# MISSÆ VOTIVÆ

## IN SANCTIS PALÆSTINÆ LOCIS

### CELEBRANDÆ

# MISSALE VOTIVUM

## PRO SANCTUARIIS TERRÆ SANCTÆ.

### CAPUT PRIMUM.

### I.

#### IN PEREGRINORUM ADVENTU IN TERRAM SANCTAM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Exod. III. 5.*

Ne appropies huc, dicit Dominus: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, Terra Sancta est.

**Ps.** *LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede, quæsumus omnipotens Deus: ut qui miranda opera tua et nostræ salutis mysteria veneraturi, in sacram Promissionis Terram adveniunt; et remissionem peccatorum accipere, et jugi Monumentorum loquela, ad amorem divinum excitari mereantur. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

*III. Reg. Cap. VIII. 28.*

Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus. Ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israël, quodcumque oraverint in loco isto; et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et cum exaudieris, propitius eris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum, ubique) cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, Domine Deus.

**Graduale.** *II. Paral. VII. 15.* Oculi mei, dicit Dominus, erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. ℣. Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCVIII. 5.* Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *II. Paral. VI. 40.* Aperiantur, quæso Deus meus, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem, quæ fit in loco isto. ℣. Nunc igitur consurgo Domine Deus in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ. ℣. Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXVIII. 2.* Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus. Alleluja. ℣. *Ps. XCIX. 3.* Populus ejus, et oves pascuæ ejus: introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XI. 25.*

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi

tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

**Offertorium.** *Ps. CXXXI. 7.* Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Alleluja.

SECRETA.

Deus, cujus nomini offertur et sacrificatur in omni loco oblatio munda: suscipe clementior sacrificium de manu nostra, quod tibi immolamus in terra, in qua novimus institutum. Per Dominum.

*Præfatio de Epiphania.*

**Communio.** *Gen. XXVIII. 17.* O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta cœli.

POSTCOMMUNIO.

Corda nostra, Deus, per hujus Sacramenti virtutem, ad supernæ influxus gratiæ rite disponas: quam Sanctorum Locorum dignæ Visitationi uberius alligasti. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In prima Oratione dici etiam posset: « et arcana *vel* mystica Monumentorum voce. »

2. Textus Epistolæ, ne plura ad rem minus conveniant, interrupte e suo loco desumitur.

3. Præfatio posset etiam dici de Nativitate Domini.

4. « Confessio et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco ejus. ℣. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam et imperium. ℣. Date Domino gloriam, nomini ejus, levate sacrificium, et venite in conspectu ejus: et adorate Dominum in decore sancto. *I. Paral. XVI. 27.* »

5. « Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde. *Ps. XXIII. 3.* »

6. « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. *Ps. XXV. 8.* »

7. « Inebriabuntur, Domine, ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. *Ps. XXXV. 9.* »

8. « Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua. ℣. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum. ℣. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus. *Ps. LXXXV. 8.* »

9. « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. ℣. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus. ℣. Tollite hostias, et introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus. *Ps. XCV. 6.* »

10. « Domum majestatis meæ, et locum pedum meorum glorificabo, dicit Dominus. *Isai. LX. 7.* » — *Cf. ant. 5. Laud. in Festo Almæ Domus Lauretanæ sub die 10 Dec.*

## CAPUT SECUNDUM.

## II.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Primo. — UBI CRUX DOMINI A LATRONUM CRUCIBUS MIRABILITER DISTINCTA FUIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ezech. XVII. 24.*

Exaltavi lignum humile, et frondere feci lignum aridum: ego Dominus locutus sum, et feci.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣ Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui augustum salutis nostræ vexillum e tenebris in lucem proferri, et miraculorum splendore clarescere voluisti: concede nobis hæc mirabilia recolentibus; ut per bona opera te glorificantes in vita, in justorum retributione ut Jesu cohæredes agnosci mereamur: Qui tecum.

Lectio libri Numeri.

*Cap. XXI. 4.*

In diebus illis: Tædere cœpit populum Israël itineris ac laboris: locutusque contra Deum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: Fac Serpentem Æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum, et posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

**Graduale.** *Sap. XVI. 12.* Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. ℣. Ad Crucis contactum resurgunt mortui, et Dei magnalia reserantur.

Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. IV. 14.* Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: et quo introibit, benedicet Deus. Alleluja.

*Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 16.* Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me. ℣. Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini. ℣. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.

*Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluia, alleluja. ℣. Dum sacrum pignus cœlitus revelatur, adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata. Alleluja. ℣. *Ps. XX. 14.* Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. III. 13.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

**Offertorium.** *Prov. III. 18.* Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus.

SECRETA.

Mysterium Crucis, Domine Deus, per quod justitia universo mundo pariebatur, tribuat nobis in sui renovatione proventum: ut illius fructum suavissimum digne gustantes, vitam æternam in nobis manentem habeamus. Per Dominum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Prov. VIII. 35.* Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus noster, qui ineffabili sapientiæ sacramento inimicum salutis devicturus, lignum in ligno superare voluisti: concede propitius; ut quemadmodum illius sumptio ligni mortale virus infudit, ita hujus medela integram nobis sanitatem adducat: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Alius Introitus. — «*Ps. XCV. 9.* Commoveatur a facie ejus universa terra: dicite in Gentibus quia Dominus regnavit a ligno. *Ps. Ibid. 1.* Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.»

2. Post Introitum vero, qui in Missa assumptus jam fuit, subdi posset hic Psalmus: «*Ps. VIII. 2.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!»

3. Epistola sumi etiam posset e *Sap. XVI. 5 — 13.*: «Cum populo tuo, Domine, supervenit sæva bestiarum ira..... deducis ad portas mortis, et reducis.»

4. Ante 2. versiculum in Tractu repeti possent verba: «dextera Domini fecit virtutem.»

5. Temp. Pasch. etiam 1. versiculus post Epistolam accipi posset ex loco, unde alter; nempe: «Magna est gloria ejus in Salutari tuo, Domine: gloriam et magnum decorem impones super Eam. *Ps. XX. 6.*»

6. Plura desumi possunt e Missa votiva de Cruce, et ex officio ac Missa in Festis Inventionis et Exaltationis Ejusdem.

7. «Misit Dominus verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. *Ps. CVI. 20.*»

8. «Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia. *Sap. XIV. 7.*»

9. «Qui enim conversus est, Domine, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem. ℣. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. *Sap. XVI. 7.*»

10. «Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. *Sap. XVI. 13.*»

---

## III.

### APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### **Secundo.** — UBI CHRISTUS POST RESURRECTIONEM APPARUIT MATRI SUÆ.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XCIII. 19.*

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ, Deus, lætificaverunt animam meam. Alleluja, alleluja.

**Ps.** *Ibid. 1.* Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede nobis, Domine Jesu: ut qui Beatæ Mariæ Virgini Resurrectionem tuam gratulamur in terris; perennis vitæ gaudia cum illa teneamus in cœlis: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 10.*

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.

**Graduale.** *Ps. LVIII. 17.* Ego autem cantabo fortitudinem tuam, Domine: et exsultabo mane misericordiam tuam. ℣. Quia factus es susceptor meus, et refugium meum, in die tribulationis meæ.

Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. VI. 2.* Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIX. 11.* Audivit Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus. ℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. ℣. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. III. 4.* Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Alleluja. ℣. *Ibid. II. 6.* Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XI. 27.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; et ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

**Offertorium.** *Habac. III. 18.* Ego autem in Domino gaudebo: et exsultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea. Alleluja.

SECRETA.

Suscipe, Domine, famulorum hostias et vota: et multiplicatas cordis nostri tribulationes illa intuere pietate, qua beatæ Virginis animum, de Filii morte afflictum, benignus relevasti. Per eumdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in exsultatione.

**Communio.** *Isai. LXVI. 10.* Lætamini et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui a mortuis resurgens, afflictæ Genitricis animum mira apparitione recreasti: tribue, quæsumus; ut hæc sancta visitatio tua vitam cœlestem nobis tribuat, et spiritum nostrum ab omni adversitate custodiat: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Si Psalmus post Introitum haud placeat, sumi licet: « *Ps. CIII. 1.* » Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. »

2. Primæ Orationi substitui potest Oratio post ant. final. *Regina cœli* posita.

3. Epistola compleri valet ad verba: « et facies tua decora », vel saltem omitti possent: « Capite nobis... floruit. »

4. Evangelium sumi congrue posset e votiva pro Temp. Pasch., vel e Missa Sabbati Sancti, cujus Evangelium S. Petrus Chrysologus *Serm. 74. de Resurrect.* fuse de B. M. V. interpretatur.

5. Multa, quæ in Missa sub num. V. ad locum ubi Christus Magdalenæ apparuit, referentur, etiam Missæ huic valent accomodari.

6. « Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Ps. III. 4.* »

7. « Anima autem mea exsultabit in Domino: et delectabitur super Salutari suo. *Ps. XXXIV. 9.* »

8. « Deus, in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo. *Ps. XLV. 6.* »

9. « Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. *Cant. VII. 10.* »

10. « Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluja: quia surrexit Dominus vere. Alleluja. — *E ℣. post ant. final.* Regina cœli. »

---

## IV.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Tertio. — UBI ASSERVATUR COLUMNA FLAGELLATIONIS DOMINI.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXIV. 15.*

Adversum me lætati sunt inimici mei, et convenerunt: congregata super me flagella, et ignoravi.

**Ps.** *Ibid. 1.* Judica, Domine, nocentes me: expugna impugnantes me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui secundum divitias misericordiæ tuæ, ut nos ab æternis suppliciis eriperes, in membris tuis dira flagella pertulisti: da nobis, malum quod fecimus, digna castigatione punire; et jugi vulnerum tuorum memoria, novas offensas devitare: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LIII. 1.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

**Graduale.** *Isai. L. 5.* Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. ℣. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

Alleluja, alleluja. ℣. Circumdederunt me viri mendaces: sine causa flagellis cæciderunt

me: sed tu Domine defensor vindica me. Alleluja.

℣. *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXVIII. 5.* Confortati sunt, Domine, qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam. ℣. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. ℣. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

℣. *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XVIII. 32.* Filius hominis tradetur Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur. Alleluja. ℣. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave rex Judæorum, et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices, et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

**Offertorium.** *Ps. XXXVII. 18.* Ego autem in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

SECRETA.

Placationis hostiam, quam tibi Domine immolamus, benigno intuitu respice, et flagella tuæ iracundiæ a nobis propitiatus averte: qui proprio Filio tuo non parcere, sed pro nobis omnibus illum flagellis tradere voluisti: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Ps. CXXVIII. 3.* Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

POSTCOMMUNIO.

Fortium cibus et salutis calix, infirmitatem nostram, piissime Jesu, divino robore communiant: ut qui te pro nobis percussum et humiliatum vidimus, in tua jugiter dilectione maneamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ultimus versiculus Gradualis e IX. ℟. in Dominica Palmarum recitando, desumptus fuit.
2. In Secreta dici etiam posset: « qui ut famulis parceres, innocentem Filium tuum diris flagellis tradidisti: Qui tecum. »
3. Officium Flagellationis D. N. J. C., noviter redactum, subministrare Missæ alios textus poterit, si ex adhibitis quispiam rejiciendus videatur.

## V.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Quarto. — UBI CHRISTUS POST RESURRECTIONEM APPARUIT MARIÆ MAGDALENÆ.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXVI. 8.*

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram: ne avertas faciem tuam a me.

**Ps.** *Ibid. 1.* Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo?

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, cujus Unigenitus post resurrectionem suam Mariæ Magdalenæ benigne apparere dignatus est: præsta, quæsumus: ut illam obsequiis et amore æmulantes, eumdem in dextera tua sedentem videre mereamur Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. III. 1. et VIII. 6.*

Quæsivi per noctem quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

**Graduale.** *Thr. I. 16.* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. ℣. *Exod. XXXIII. 13.* Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos.

Alleluja, alleluja. ℣. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: quia quem quærebam, apparuit mihi; et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIX. 9.* Ad te, Domine, clamabo: et ad Deum meum deprecabor. ℣. Audivit Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus: ℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. VIII. 17.* Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me. Alleluja. ℣. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XX. 11.*

In illo tempore: Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum: et vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem: et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.) Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.

**Offertorium.** *Deut. IV. 29.* Cum quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.

SECRETA.

Ut digne communicemus carni et sanguini tuo, Domine Jesu: da ut illæ amoris flammæ corda nostra purificent, quibus Maria Magdalena in tui requisitione fragrabat: Qui vivis.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *Ruth. II. 13.* Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Desiderium tui, Domine Jesu, in cordibus nostris hæc Sacramenta semper adaugeant: ut te cum Maria Magdalena fideliter inquirentes in terris, in contemplatione vultus tui cum ipsa lætemur in cœlis: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens veteri substituitur, quia hæc, si Epistolam et Evangelium exceperis, nullam cum mysterio relationem habebat.

2. Tria verba, quibus Epistolæ initium fit, aliquantulam patiuntur immutationem et transpositionem; et similia exempla in Missali non desunt.

3. In Graduali, loco ℣. *Si ergo*, pulcherrime hic etiam posset substitui: « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. *Jer. XXXI. 16.* »

4. Missa sub num. III. assignata loco ubi Christus apparuit Matri, plures habet textus etiam Missæ huic convenientes.

5. « Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. *Ps. XXXIII. 5.* »

6. « Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. *Cant. II. 14.* »

7. « Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. *Isai. XXX. 20.* »

8. « Surgens Jesus mane, prima Sabbati, apparuit Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. *Marc. XVI. 9.* »

9. « Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum: quæro, et non invenio, ubi posuerunt eum. — *Ex. ant. ad Bened. in Fer. V. post Dom. in Albis.* »

---

## VI.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

## **Quinto.** — UBI CRUX DOMINI INVENTA FUIT AD ALTARE S. HELENÆ IMPERATRICIS.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Gal. VI. 14.*

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

**Ps.** *XXII. 4.* Virga tua, et baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latebat, beatæ Helenæ revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares: ejus nobis intercessione concede; ut vitalis Ligni pretio, æternæ vitæ præmia consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. XXXI. 10.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ: et lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus et laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

**Graduale.** *Ps. XLIV. 13.* Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiæ Regum in honore tuo. ℣. Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum Regis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXI. 9.* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXII. 26.* Defecit caro mea,

et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. ℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. ℣. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XX. 3.* Desiderium cordis ejus tribuisti ei, Domine: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. Alleluja. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XIII. 44.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

**Offertorium.** *I. Cor. II. 2.* Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

SECRETA.

Per hæc sacra Mysteria concede nobis, Domine: ut sicut beatæ Helenæ misericorditer tribuisti, ut Filium tuum crucifixum in corde semper gestaret; ita et nos eum in cordibus nostris perpetuo deferamus. Per eumdem.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Cant. VII. 8.* Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.

POSTCOMMUNIO.

Concede nobis, misericors Deus: ut qui salutiferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus recreati; per intercessionem beatæ Helenæ, eodem jugiter perfrui mereamur in cœlis: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita invenitur in Missali Romano-Seraphico sub die XVIII. Augusti.

2. Tractus autem et versiculi pro Temp. Pasch. proprii adjecti sunt, ne cum Missa sit ferme ex integro propria, pro illis partibus ad Commune Sanctorum incongrue recurrendum esset.

3. Lectiones secundi Noct. in Festo S. Helenæ aliquos suppeditare possent textus, inter quos unum tantum referre juvabit: « Ego ad remedium peccatorum, divinum de ruinis elevabo vexillum. »

4. « Deus nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. *Judith. XIII. 25.* »

5. « Dominus tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet. *Ps. XIX. 5.* »

## VII.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

**Sexto.** — IN CRYPTA INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Gal. VI. 14.*

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurrectio nostra: per quem salvati, et liberati sumus.

**Ps.** *LXVI. 2.* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in præclara salutiferæ Crucis inventione, passionis tuæ miracula suscitasti:

concede; ut vitalis Ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

*Cap. II. 5.*

Fratres: Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: *(hic genuflectitur)* ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

**Graduale.** *Philip. II. 8.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Alleluja, alleluja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cœlorum, et Dominum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemisti mundum. ℣. Tuam Crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus Passionem: miserere nostri, qui passus es pro nobis. ℣. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum, et Dominum!

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCV. 10.* Dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. Alleluja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cœlorum, et Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. III. 1.*

In illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israël, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

**Offertorium.** *Ps. CXVII. 16.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Alleluja.

SECRETA.

Sacrificium, Domine, quod tibi immolamus, placatus intende: ut ab omni nos eruat bellorum nequitia; et per vexillum sanctæ Crucis Filii tui, ad conterendas potestatis adversæ insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituat. Per eumdem.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

POSTCOMMUNIO.

Repleti alimonia cœlesti, et spiritali poculo recreati, quæsumus omnipotens Deus: ut ab hoste maligno defendas, quos per lignum sanctæ Crucis Filii tui, arma justitiæ pro salute mundi, triumphare jussisti. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita, quæ in Missali Romano sub die III. Maji reperitur, ob Orationes maxime et Offertorium, venerabili Inventionis Sanctæ Crucis Loco convenientior est, quam altera de Cruce, inibi ex Apostolico Indulto permissa.

2. Graduale et Tractus sumuntur e Missa votiva de Cruce, unde et Missale Romanum jam plura in Festo Inventionis Sanctæ Crucis mutuatum fuerat.

3. *Alleluja*, quod Offertorio adjungitur, etiam extra Temp. Pasch. retinebitur; nam verba, quibus illa Missæ pars conficitur, lætitiam aperte exprimunt. — *Cf. Decr. S. R. C. die 16 Febr. 1754 in Remen.*

## VIII.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Septimo. — IN EO CALVARIÆ LOCO UBI B. M. V. STABAT JUXTA CRUCEM FILII SUI JESU.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Joann. XIX. 25.*

Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Salome, et Maria Magdalene.

**Ps.** *Ibid. 26.* Mulier, ecce filius tuus, dixit Jesus: ad discipulum autem, Ecce mater tua. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, nunc, et in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua; cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit: Qui vivis.

℟ *In primo Festo Septem Dolorum B. M. V., cui Feria VI. post Dominicam Passionis celebrando assignatur, loco præmissæ Orationis, dicitur sequens:*

ORATIO.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui Transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur: Qui vivis.

℟ *In altero vero Septem Dolorum Festo, cui Dominica III. Septembris recolendo statuitur, prima Missæ Oratio erit sequens:*

ORATIO.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuæ effectum felicem consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Judith.

*Cap. XIII. 22.*

Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram: quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

**Graduale.** Dolorosa et lacrymabilis es, Virgo Maria, stans juxta Crucem Domini Jesu Filii tui Redemptoris. ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, hoc Crucis fert supplicium, auctor vitæ factus homo.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XIX. 25.* Stabat sancta Maria, cœli Regina, et mundi Domina, juxta Crucem Domini nostri Jesu Christi dolorosa. (Alleluja.)

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. XIX. 25.* Stabat sancta Maria, cœli Regina, et mundi Domina, juxta Crucem Domini nostri Jesu Christi dolorosa. ℣. *Thr. I. 12.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XIX. 25.* Stabat sancta Maria, cœli Regina, et mundi Domina, juxta Crucem Domini nostri Jesu Christi do-

lorosa. Alleluja. ℣. *Thr. I. 12.* O vos omnes, qui transetis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. (Alleluja.)

℟ *In utroque Septem Dolorum Festo præceptive, aliis autem diebus libere, omisso ultimo* Alleluja, *dicitur:*

## Sequentia.

Stabat mater dolorosa
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat, et dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati pœnas inclíti.
Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara:
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut anima donetur
Paradisi gloriæ. Amen.

Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 25.*

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

**Offertorium.** *Jer. XVIII. 20.* Recordare, Virgo Mater Dei, dum steteris in conspectu Domini, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis.

SECRETA.

Offerimus tibi preces et hostias, Domine Jesu Christe, humiliter supplicantes: ut, qui Transfixionem dulcissimi spiritus Beatæ Mariæ Matris tuæ precibus recensemus; suo, suorumque sub Cruce Sanctorum consortium multiplicato piissimo interventu, meritis mortis tuæ, meritum cum beatis habeamus: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Transfixione.

**Communio.** Felices sensus Beatæ Mariæ Virginis, qui sine morte meruerunt martyrii palmam sub Cruce Domini.

POSTCOMMUNIO.

Sacrificia, quæ sumpsimus, Domine Jesu Christe, Transfixionem Matris tuæ et Virginis devote celebrantes: nobis impetrent apud clementiam tuam, omnis boni salutaris effectum: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hactenus relata, quam more votivo celebrandam in isto Sanctuario jamdudum Apostolica Sedes indulserat, e Proprio Missalis Romani in Festo Septem Dolorum B. M. V. Feria VI. post Dominicam Passionis, desumpta fuit.

2. Sequentia, extra Septem Dolorum Festa, arbitrio Celebrantium permittitur; ut hac ratione, et plurium Sacerdotum iteratis votis satisfiat, et nolentium animis nullum onus sine causa imponatur: ita fit in Missis quotidianis Defunctorum.

3. Ultima ejusdem Sequentiæ stropha, juxta regulas ab auctore in totius decursu operis inviolabiliter servatas, ita corrigenda videtur: «Quando corpus morietur — Fac ut anima donetur — Paradisi gloriæ. Amen.» Enimvero, juxta poetæ morem, bina quæque stropha duobus jugiter verbis absolvitur, quæ a pænultima vocali easdem litteras contineant. Quemadmodum, igitur, sibi respondent verba «**Filius** — gla**dius**, Unige**niti** — incli**ti**, supplici**o** — Fili**o**»; ita pariter verbum «victoriæ» quod in pænultima stropha invenitur, verbum «gloriæ *non* gloria» in sequenti et finali stropha reposcit. Correctio autem quæ modo insinuatur, licet minimam in verbis nullamque in significatu mutationem inducat *(donetur* enim hoc loco idem valet, quod *admittatur)*; tamen, ut par est, legitimæ auctoritati dijudicanda relinquitur.

---

## IX.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Octavo. — IN EO CALVARIÆ LOCO UBI DOMINUS CRUCI AFFIXUS FUIT.

**AD MISSAM.**

**Introitus.** *Philip. II. 8.*

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

**Ps.** *LXXXVIII. 2.* Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui de cœlis ad terram de sinu Patris descendisti, et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur; ut in die judicii, ad dexteram tuam audire mereamur, Venite benedicti: Qui vivis.

℟ *In Festo autem Passionis D. N. J. C., quod Feria III. post Dominicam Sexagesimæ recurrit, loco præmissæ Orationis, dicitur sequens:*

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere et Crucem subire fecisti: concede propitius; ut sicut solemnem commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

*Cap. XII. 10. et XIII. 6.*

Hæc dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: et dicetur: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: ait Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Ps. LXVIII. 21.* Improperium exspectavit cor meum, et miseriam: et sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quæsivi, et non inveni. ℣. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Alleluja, alleluja. ℣. Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Isai. LIII. 4.* Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. ℣. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum ℣. Ipse

autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ℣. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Alleluja. ℣. Tibi gloria, Hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summæ laudis et honoris corona. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 28.*

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in Cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit: et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus.

**Offertorium.** Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quæsierunt me interficere: et non pepercerunt in faciem meam spuere: lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

SECRETA.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium, intercedente unigeniti Filii tui Passione, vivificet nos semper et muniat: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Ps. XXI. 17.* Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora sexta pro redemptione mundi Crucis patibulum ascendisti, et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur; ut post obitum nostrum, paradisi januas nos gaudenter introire concedas: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missam de Passione D. N. J. C., quæ inter Votivas Missalis Romani prostat, jamdiu Sedes Apostolica in hoc celebrandam Sanctuario concessit.

2. Quamvis autem Missa, et Evangelium præsertim, magis congruat Sanctuario ubi Christus emisit spiritum, quam ubi Cruci affixus fuit; attamen, cum per distantiam utrumque moraliter unus idemque sit Calvariæ locus, recte ad solamen Peregrinantium posteriori Sanctuario Indultum illius Votivæ attribuitur, quæ in priori a Schismaticis exclusive detento numquam posset celebrari.

3. Hæc Missa, communibus verius accensenda, ob privilegium Apostolicum ipsi jam collatum, inter proprias merito ascribitur.

## X.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Nono. — IN EO CALVARIÆ LOCO UBI B. M. V. STABAT DUM JESUS CRUCI AFFIGERETUR.

**MISSA:** Stabant juxta Crucem, *quæ superius pag. 11. invenitur in Missa sub num. VIII. ad locum ubi eadem B. M. V. stabat juxta Crucem Filii sui Jesu.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Huic Sanctuario Sedes Apostolica Missam votivam de Septem Doloribus B. M. V. jamdiu concessit.

2. Omnia, quæ in Missa sub num VIII. sunt notata, etiam de præsenti dicta intelligantur.

## XI.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

### Decimo. — IN IPSO VENERABILI REDEMPTORIS NOSTRI MONUMENTO.

*MISSA RESURRECTIONIS TEMPORE PASCHALI ADHIBENDA.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXXXVIII. 18. et 5.*

Resurrexi, et adhuc tecum sum, alleluja: Reposuisti super me manum tuam, alleluja: mirabilis facta est scientia tua. Alleluja, alleluja.

**Ps.** *Ibid. 1.* Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui [hodierna die] per Unigenitum tuum, æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti: vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem.

℟ *Extra Octavam Resurrectionis Domini, in Oratione omittuntur verba* hodierna die.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli
ad Corinthios.
*I. Cor. Cap. V. 7.*

Fratres: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ; sed in azymis sinceritatis, et veritatis.

**Graduale.** *Ps. CXVII. 24.* Hæc dies, quam fecit Dominus: exsultemus, et lætemur in ea. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *I. Cor. V. 7.* Pascha nostrum immolatus est Christus.

#### Sequentia.

Victimæ Paschali
Laudes immolent Christiani.
Agnus redemit oves:
Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.
Mors et vita, duello
Conflixere mirando:
Dux vitæ mortuus,
Regnat vivus.
Dic nobis, Maria,
Quid vidisti in via?
Sepulchrum Christi viventis,
Et gloriam vidi resurgentis.
Angelicos testes,
Sudarium, et vestes.
Surrexit Christus spes mea:
Præcedet vos in Galilæam.
Scimus Christum surrexisse a mortuis vere:
Tu nobis, victor Rex, miserere. Amen.
Alleluja.

℟ *A Dominica autem in Albis usque ad Sabbatum infra Octavam Pentecostes inclusive, post Epistolam absolute dicitur:*

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. IX. 15.* Exaltas me, Domine, de portis mortis: ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Alleluja. ℣. *Ps. XXVII. 7.* Speravit cor meum in Domino et adjutus sum: et refloruit caro mea. (Alleluja.)

*Hic, si Sacerdoti placuerit, omisso ultimo* Alleluja, *dicat Sequentiam* Victimæ Paschali, *quæ superius est posita.*

☩ Sequentia sancti Evangelii
secundum Marcum.
*Cap. XVI. 1.*

In illo tempore: Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introëuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

**Offertorium.** *Ps. LXXV. 9.* Terra tremuit, et quievit, dum resurgeret in judicio Deus. Alleluja.

SECRETA.

Suscipe, quæsumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum: ut Paschalibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *I. Cor. V. 7.* Pascha nostrum immolatus est Christus, alleluja: itaque epulemur in azymis sinceritatis, et veritatis. Alleluja, alleluja, alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Spiritum nobis Domine, tuæ charitatis infunde: ut, quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa Resurrectionis D. N. J. C., quæ de venia Sedis Apostolicæ quotidie in Sanctissimo Sepulchro jamdudum celebratur, tot ac tantas extra Temp. Pasch. mutationes exigit, ut melius visum fuerit eam pro Communi Tempore denuo typis mandare, quam innumeris observationibus menti legentium confusionem ingerere.

2. Sequentia vero, uti factum est in Missa Septem Dolorum B. M. V., non injungitur Sacerdotibus, nisi per Octavam Resurrectionis Domini.

3. Duo versiculi pro Temp. Pasch., qui neque in Missali Romano prostant, neque in Decreto concessionis assignantur, noviter adiecti sunt; et quidem e Psalmorum libro, unde jam plura in Resurrectionis Missam transferuntur.

4. Ut primus versiculus pro Temp. Pasch. aptius conjungatur Epistolæ, quæ mysticam moralemque significationem declarat, ex eadem Resurrectionis Missa accipi posset, nempe: « Pascha nostrum immolatus est Christus. *I. Cor. V. 7.* »

5. Sequentes etiam pro Temp. Pasch. versiculi aptissime inservire possunt: « Surrexit Dominus de Sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno. ℣. Surrexit Christus, et illuxit nobis, quos redemit sanguine suo. — *E Missa Fer. III. infra Oct. et Dom. V. post Pascha.* »

6. Multa, quæ in duabus Missis sequentibus sub num. XII. et XIII. edendis apponentur, etiam præsenti Missæ convenire possunt.

7. « Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis: et ita intrare in gloriam suam. — *E Missa Dom. III. post Pascha.* »

8. « Surrexit Christus, qui creavit omnia, et misertus est humano generi. — *E Missa Fer. V. infra Oct. Paschatis.* »

## XII.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

## Undecimo. — IN IPSO VENERABILI REDEMPTORIS NOSTRI MONUMENTO.

*MISSA RESURRECTIONIS EXTRA TEMPUS PASCHALE ADHIBENDA.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXXXVIII. 18. et 5.*

Resurrexi, et adhuc tecum sum, alleluja: posuisti super me manum tuam, alleluja: mirabilis facta est scientia tua. Alleluja, alleluja.

**Ps.** *Ibid. 1.* Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui per Unigenitum tuum, æternitatis nobis aditum, devicta morte reserasti: vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. II. 22.*

In diebus illis: Stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis: hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi ne commovear: Propter hoc

lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: et replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.

**Graduale.** *Ps. XXIX. 2.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. ℣. Domine, eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. III. 6.* Ego dormivi, et somnum cepi: et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XV. 9.* Lætatum est cor meum, Domine, et exsultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. ℣. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

EVANGELIUM: Maria Magdalene, *ut in superiori Missa sub num. XI., pag. 15.*

**Offertorium.** *Ps. LXXV. 9.* Terra tremuit, et quievit, dum resurgeret in judicio Deus. Alleluja.

SECRETA.

Suscipe, quæsumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum: ut præsentibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *Rom. VI. 9.* Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, alleluja: mors illi ultra non dominabitur. Alleluja, alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde: ut quos uno pane cœlesti satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In Missa Resurrectionis, etiam extra Pasch. Temp., ubique retinetur vox *Alleluja*, juxta morem qui pluribus abhinc sæculis merito servatur, quique non sine admiratione posset aboleri. Lex autem de omittendo in Sanctorum Suffragiis et Missis votivis quolibet *Alleluja*, e sententia Liturgicorum, locum non habet quoties vox illa addita repetitur ratione gaudii et victoriæ: quæ omnia ita in casu nostro comprobantur, ut verbum *Alleluja* Missæ Resurrectionis peculiarissima ratione approprietur.

2. In Epistola et Communione plurimæ offenduntur voces, quæ Communi Tempori congruere haud possunt, nisi ferme ex integro immutentur. Utrobique enim, verba Apostoli Pauli accomodantur Temp. Pasch., tum propter verbum *Pascha* inibi occurrens, tum propter comparationem spiritualium populi christiani azymorum cum azymis carnalibus populi Judaici. Unde fit, ut si verba illa ad aliud Tempus referantur, legitimus comparationis terminus sensusque veritas deficiat, non secus ac si Pascha Fidelium cum Penteceste Israëlitarum comparetur. Ita salvo meliori legitimæ auctoritatis judicio.

3. Ut hocce incommodum tollatur, Epistola ex Actuum Apostolorum libro, et Communio e Fer. IV. infra Oct. Paschatis desumuntur. Quod si electa Epistola alicui minus probetur, alia e Sabbato Sancto, quippe quæ et sensu morali verborum et brevitate ab Epistola Dominicæ Resurrectionis non discrepat, aut ex diebus infra Octavam accipiatur.

4. Graduale, quod Octavæ Resurrectionis tantum convenire dignoscitur, necnon Tractus ibi deficiens, e Psalmorum libro ad Ecclesiæ interpretationem intellecto, addita fuerunt.

5. Sequentia *Victimæ Paschali*, ob nimiam relationem qua Paschæ tempori conjungitur, præsenti Missæ non videtur convenire.

6. In Secreta et Postcommunione vox illa *Paschalibus*, pro Votiva per annum in aliam aptiorem commutatur. Secreta quidem Oratio, ut melius videbatur, correcta fuit; Postcommunio vero, uti legitur in Missa Fer. VI. post Dom. Quinquagesimæ.

7. « Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus. ℣. Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos. ℣. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. *Ps. LXV. 8.* »

8. « Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum. ℣. Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori. *Ps. LXXXV. 12.* »

# XIII.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI D. N. J. C.

## Duodecimo. — IN IPSO VENERABILI REDEMPTORIS NOSTRI MONUMENTO.

*MISSA RESURRECTIONIS QUOCUMQUE ANNI TEMPORE ADHIBENDA.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Rom. IV. 24.*

Deus suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, alleluja: qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Alleluja, alleluja.

**Ps.** *CXVII. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Resurrectionem Filii tui, nos ad æternam vitam misericorditer reparasti: imple hujus ineffabile pietatis Sacramentum; et per Salvatorem nostrum in sua majestate venturum, quos mundi voluptatibus commori fecisti, secum tribuas ad cœli gaudia resurgere. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

*Cap. VI. 3.*

Fratres: An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.

**Graduale.** *I. Petr. I. 3.* Deus secundum misericordiam suam magnam, regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. ℣. *I. Cor. VI. 14.* Deus vero et Dominum suscitavit: et nos suscitabit per virtutem suam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Rom. XIV. 9.* In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit: ut et mortuorum et vivorum dominetur. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *I. Cor. XV. 20.* Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. ℣. Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. ℣. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Rom. VIII. 11.* Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis. Alleluja. ℣. Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVIII. 1.*

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum: erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis.

**Offertorium.** *I. Petr. I. 21.* Per Christum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a

mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo. Alleluja.

SECRETA.

Sumamus de Altaribus tuis, omnipotens Deus, pignus de beata Resurrectione securum: cujus immotam fiduciam in Christo a mortuis suscitato, nobis mirabiliter ingessisti: Qui tecum.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *I. Thess. IV. 14.* Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, alleluja: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Alleluja, alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Concede, misericors Deus, ut immortalis vitæ fructus, quem nobis in cœlesti mensa gustandum dedisti: et animas perenni dono vivificet, et corporibus semen beatæ Resurrectionis infundat. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa, Celebrantibus pro quolibet anni tempore inserviens, perbelle cum altera Resurrectionis Missa retinebitur; siquidem prior de hoc mysterio prophetice tractat, posterior autem typice et moraliter. Quare, si B. M. V. Dolores duplici Festo recoluntur, nullatenus repugnare debet ut Resurrectio Domini duabus Missis honoretur.

2. Sequentia *Victimæ Paschali* nullo tempore in hac Missa, utpote illius indoli parum congruente, admittitur.

3. Sensus prioris versiculi pro Temp. Pasch. non completur nisi ad verbum *Alleluja*, uti fit in Missa Fer. III. Paschatis, et in Votiva *ad postulandam gratiam bene moriendi*, aliisque passim tum in Breviario tum in Missali locis.

4. Si quæ numero præcedenti dicta sunt, minus probentur, duobus tunc versiculis pro Temp. Pasch. in unum coactis, hic versus priori loco decet apponi. « Pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. — *II. Cor. V. 15.* »

5. Omnia, quæ in duabus Missis sub num. XI. ac XII. apponuntur, ad præsentem etiam commode possent transferri.

6. « Surrexit pastor bonus, qui animam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. — *Ex ult.* ℟. *Fer. II. infra Oct. Paschatis.* »

# CAPUT TERTIUM.

## XIV.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Prima. — UBI CHRISTUS AD MORTEM CONDEMNATUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XCIII. 21.*

Captabunt in animam Justi, et sanguinem innocentem condemnabunt: et reddet illis iniquitatem ipsorum; et in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster.

**Ps.** *Ibid. 1.* Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus juste et misericors, qui Filium tuum Unigenitum pro nobis peccatoribus ad mortem Crucis damnari voluisti: da nobis compunctionem cordis salutarem; ut qui peccando vitæ Auctorem interfecimus, pœnitendo vitam ex morte ipsius hauriamus: Qui tecum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Sap. Cap. II. 12.*

Dixerunt impii cogitantes apud se non recte: Circumveniamus ergo Justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et ten-

temus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.

**Graduale.** *Ps. LIV. 3.* Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. ℣. Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.

Alleluja, alleluja. *Ps. XXXIV. 23.* Exsurge, et intende judicio meo: Deus meus, et Dominus meus in causam meam. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LVIII. 12.* Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei. ℣. Dispergo illos in virtute tua: et depone eos protector meus, Domine. ℣. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua. ℣. Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione: in ira consummationis, et non erunt.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 58.* Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. Alleluja. ℣. Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVII. 17.*

In illo tempore: Jesus stetit ante Præsidem: et interrogavit eum Præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum, et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine Justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

**Offertorium.** *Act. XIII. 28.* Judæi nullam causam mortis invenientes in Jesu, petierunt a Pilato, ut interficerent eum: et consummarunt omnia, quæ de eo scripta erant.

SECRETA.

Majestatem tuam, Deus, in oblatione Agni immaculati propitiantes benignus exaudi: ut ab æternæ damnationis incursu per illum salvi esse mereamur, qui nos, cum inimici essemus, per mortem suam tibi mirabiliter conciliavit: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Jer. XXVI. 15.* Verumtamen scitote et cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores ejus: in veritate enim misit me Dominus ad vos.

POSTCOMMUNIO.

Purifica, quæsumus Domine, per hæc sancta mysteria familiam tuam, et ab omnibus contagiis pravitatis emunda: ut in Christi condemnatione absolutam, non mortis laquei rursus astringant, sed salvatio sempiterna possideat. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Graduale ejusque primus versiculus, mutato Offertorio, his efformari verbis posset: « Qui habitabant Jerusalem, et principes ejus, ignorantes Jesum, et voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt. ℣. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. *Act. XIII. 27.* »

2. Alius Tractus. — « *Act. III. 13.* Viri Israëlitæ, Deus glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. ℣. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis. ℣. Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. »

3. « Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. *Job. XIII. 18.* »

4. « Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies. *Job. XXXVI. 17.* »

5. « Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam. *Jer. XII. 8.* »

6. « Et locuti sunt sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris. *Jer. XXVI. 11.* »

7. « Nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo. *Dan. VI. 4.* »

8. « Oportet autem Filium hominis multa pati, et reprobari a generatione hac. *Luc. XVII. 25.* »

9. « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. *Joann. XIV. 30.* »

---

## XV.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Secunda. — UBI CHRISTUS SUSCIPIT CRUCEM HUMERIS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Jer. XI. 19.*

Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.

**Ps.** *II. 1.* Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pro reorum salute, innocentes humeros ligno Crucis subjicere non recusasti: concede propitius; ut Crucem nostram post te animose perferentes, digni tui sequaces inveniamur: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LIII. 1.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

**Graduale.** *Ps. XVI. 12.* Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis. ℣. *Jer. XI. 19.* Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XIV. 27.* Qui non bajulat Crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Hebr. XIII. 12.* Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. ℣. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. ℣. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. ℣. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. IV. 6.* Vadam ad

montem myrrhæ, et ad collem thuris. Alleluja. ℣. *Habac. III. 13.* Egressus es Domine in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 13.*

In illo tempore: Pilatus adduxit foras Jesum: et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum.

**Offertorium.** *Gen. XXII. 6.* Tulit Abraham ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum.

SECRETA.

Agnus immaculatus, tibi Domine, dignam pro offensis satisfactionem exhibeat: qui scelera nostra portulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Isai. IX. 6.* Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus, qui nos e peccatorum pondere levaturus, dorsum tuum ligno Crucis gravari voluisti: da fidelibus tuis; ut hujus virtute Sacramenti roborati, inter mundi adversa, sentiant jugum tuum esse suave, et onus leve: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ad *Alleluja* post Graduale, loco versiculi superius appositi, hic alter posset substitui: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *I. Petr. II. 21.* »

2. Alius Tractus. — « *Hebr. XII. 1.* Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum. ℣. Qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. ℣. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. »

3. Duo versiculi autem Tractus *Jesus* et *Exeamus*, inservire tunc possent pro conficiendo alio Graduali, aut pro immutandis versiculis Temp. Pasch. assignatis.

4. « Super me confirmatus est furor tuus, Domine: et omnes fluctus tuos induxisti super me. *Ps. LXXXVII. 8.* »

5. « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. *Thr. I. 12.* »

## XVI.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Tertia. — UBI CHRISTUS PRIMUM CADIT SUB CRUCE.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLII. 3.*

Persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

**Ps.** *Ibid. 1.* Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuum concede subsidium; ut, quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, ad æterna vitæ gaudia pervenire mereantur. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. XII. 1.*

Fratres: Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera

sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes: et obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod, remissas manus, et soluta genua, erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

**Graduale.** *Ps. CXLII. 6.* Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. ℣. Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXVII. 13.* Impulsus eversus sum, ut caderem: et Dominus suscepit me. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXVII. 5.* Domine, iniquitates supergressæ sunt caput meum: et sicut onus grave gravatæ sunt super me. ℣. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar. ℣. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XL. 29.* Dominus dat lasso virtutem: et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. Alleluja. ℣. *Ps. CXLIV. 14.* Allevat Dominus omnes, qui corruunt: et erigit omnes elisos. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIII. 23.*

In illo tempore: Judæi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur Jesus: et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum: quæ plangebant, et lamentabantur eum.

**Offertorium.** *Ps. XLIII. 25.* Humiliata est in pulvere anima ejus: conglutinatus est in terra venter ejus.

SECRETA.

Suscipe, misericors Domine, supplicum preces, et per Filii tui debilitatem nos tua virtute corrobora: ut ne peccatis simus obnoxii, nec opprimamur adversis. Per eumdem.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Thr. I. 12.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui pro nobis miseris Filium tuum Unigenitum languoribus nostris circumdatum voluisti: adesto precibus supplicantium; ut humana fragilitas, quæ proclivis est ad labendum, per hæc Sacramenta semper ad standum muniatur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ad *Alleluja* post Graduale subdi posset hic versiculus: «Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in Eo iniquitatem omnium nostrum. *Isai. LIII. 6.*»

2. Alius Tractus. — « *Isai. LIII. 2.* Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum. ℣. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. ℣. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. ℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.»

3. Hic optime possent adhiberi Epistola et Evangelium ad secundam Viæ Dolorosæ Stationem superius electa, mutatis iis quæ in una eademque Missa bis repetenda forent.

4. « Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. *Job. XVI. 8.* »

5. « Conculcaverunt me inimici mei tota die: adversum me omnes cogitationes eorum in malum. *Ps. LV. 2. et 5.* »

6. « Super me confirmatus est furor tuus, Domine: et omnes fluctus tuos induxisti super me. *Ps. LXXXVII. 8.* »

7. « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. *Isai. XL. 31.* »

---

## XVII.

### IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Quarta. — UBI CHRISTO OCCURRIT MATER.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XXI. 3.*

Angustia possedit me, sicut angustia parturientis: corrui, cum audirem; conturbata sum, cum viderem; emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.

**Ps.** *LVI. 2.* Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Oculis nostris, misericors Deus, fontem concede lacrymarum: ut dolores afflictæ Genitricis tuæ lugentes in vita; ipsa Virgine in morte nobis occurrente, ad gaudia sempiterna transeamus: Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Thr. I. 2.*

Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: quoniam invaluit inimicus. Audite obsecro universi populi, et videte dolorem meum. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum; foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.

**Graduale.** *Thr. II. 11.* Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea. ℣. *Jer. VIII. 18.* Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.

Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 56.* Vocem meam audisti, Domine: ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXVII. 10.* Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. ℣. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. ℣. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et qui juxta me erant, de longe steterunt.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LV. 8.* Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Alleluja. ℣. *Ps. LXXXV. 16.* Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 33.*

In illo tempore: Erat Joseph, et Maria Mater Jesu, mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël: et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

**Offertorium.** *Job. XXX. 27.* Interiora mea

efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis: mœrens incedebam.

SECRETA.

Mystica Passionis tuæ renovatio, Domine Jesu, ut dignos in nobis operetur effectus: fac nos ad Altare iis animi dispositionibus accedere, quibus Beata Virgo Maria te ad supplicii locum fideliter sequebatur: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Transfixione.

**Communio.** *Job. XVI. 8.* Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis mensæ dulcedo, misericors Deus, corda nostra a noxiis cupiditatibus expediat: ut peccata, quæ corpus Filii tui animumque Matris opprimunt, jugiter aversari valeamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hæc Missa habere posset Evangelium, quod in præcedenti Missa sub num. XVI. fuit appositum; nam illius textus in Breviario Romano ad idem mysterium accomodatur. — *Cf.* ℣. *4. in altero B. M. V. Dolorum Festo Dom. III. Sept. assignato.*

2. In Epistolæ textu plurima omittuntur, uti fit in Lectionibus secundi Noct. in Festo Septem Dolorum sub eadem Dom. III. Septembris.

3. Secundo Temp. Pasch. versiculo hic optime posset subtitui. « Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. *Ps. XIX. 7.* »

4. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: — « Cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion. ℣. Consurge: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas. *Thr. II. 13.* »

5. Communio nihil aliud est quam antiphona ad Magnificat, in 2. Vesperis antedictæ solemnitatis recitanda.

6. Multi alii textus inveniuntur in utroque eorumdem Dolorum Festo, Feria VI. post Dom. Passionis et Dom. III. Sept. *respective* celebrando.

7. « Ne discesseris a me, Domine: quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est qui adjuvet. *Ps. XXI. 12.* »

8. « Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea. *Jer. XXIII. 9.* »

## XVIII.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Quinta. — UBI CHRISTUS A SIMONE CYRENÆO ADJUVATUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXX. 11.*

Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus: infirmata est virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

**Ps.** *Ibid. 2.* In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in diebus humilitatis tuæ, Simonem Cyrenæum in Cruce portanda socium et adjutorem habuisti: concede propitius; ut passionibus tuis voluntarie communicantes, in revelatione gloriæ tuæ gaudeamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*I. Petr. Cap. II. 19.*

Charissimi: Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum.

**Graduale.** *Isai. LXIII. 5.* Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. ℣. *Thr. I. 18.* Audite obsecro universi populi, et videte dolorem meum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LIII. 4.* Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ỳ. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXVIII. 7.* Non erubescant in me, qui exspectant te Domine, Domine virtutum. ỳ. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. ỳ. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ỳ. *Hebr. XII. 12.* Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Alleluja. ỳ. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. XV. 20.*

In illo tempore: Milites, postquam illuserunt Jesu, exsuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum, ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret Crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus.

**Offertorium.** *Dan. X. 8.* Non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est, et emarcui, nec habui quidquam virium.

SECRETA.

Aspicientes in hac oblatione Auctorem fidei et consummatorem Jesum, misericors Deus, famulos tuos cœlesti dono prosequere: ut ope et exemplis illius excitati; nosmetipsos abnegare, et Crucem nostram post Ipsum tollere valeamus: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Matth. XVI. 24.* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam, et sequatur me.

POSTCOMMUNIO.

Hæc alimonia cœlestis, omnipotens Deus, debilitati nostræ miram conferat fortitudinem: ut Crucis doctrinam non erubescentes; cum veneris in majestate tua, et Patris, et Angelorum, confessionis tuæ digni inveniamur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Duæ Epistolæ, quæ ad secundam et tertiam Viæ Dolorosæ Stationem ponuntur, etiam in hac Missa apte usurpari possent.

2. Ad *Alleluja* post Graduale subjici posset hic versiculus: «Populus, quem non cognovi; servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi. *Ps. XVII. 45.*»

3. Alius Tractus. — «*Ps. XXXVII. 9.* Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. ỳ. Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. ỳ. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.»

4. Antiphona Communionis in Offertorium mutata, his verbis confici ipsa Communio posset: «Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. *Luc. XXIII. 26.*»

5. «Et qui non accipit Crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. *Matth. X. 38.*»

6. «Exeuntes autem milites invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem Jesu. *Matth. XXVII. 32.*»

7. «Dicebat autem Jesus ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam quotidie, et sequatur me. *Luc. IX. 23.*»

8. «Verbum Crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. *I. Cor. I. 18.*»

9. «Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum. ỳ. Qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. ỳ. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. *Hebr. XII. 1.*»

## XIX.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Sexta. — UBI CHRISTO SUDARIUM A VERONICA PORRIGITUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. LII. 14.*

Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: Iste asperget gentes multas.

**Ps.** *LXXXVIII. 2.* Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem.

ỳ. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede, quæsumus omnipotens Deus: ut

qui Filium tuum, propter peccata nostra non habentem speciem neque decorem veneramur in terris; eumdem, gloria et honore coronatum, perpetuo contemplemur in cœlis: Qui tecum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LIII. 1.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

**Graduale.** *Ps. XLIII. 16.* Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. ℣. A voce exprobrantis, et et obloquentis: a facie inimici, et persequentis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXIII. 10.* Protector noster aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXVIII. 7.* Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israël. ℣. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. ℣. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. V. 10.* Dilectus meus candidus, et rubicundus, et totus desiderabilis. Alleluja. ℣. Omnis enim figura ejus amorem spirat, et ad redamandum provocat. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIII. 23.*

In illo tempore: Judæi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur Jesus: et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum: quæ plangebant, et lamentabantur eum.

**Offertorium.** *Ps. XXI. 7.* Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis.

SECRETA.

Averte, misericors Deus, faciem tuam a peccatis nostris, et respice in faciem Christi tui: qui tibi semetipsum pro nobis hostiam offerens, in sanguine suo nos a delictorum maculis abstersit: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Job. XVI. 17.* Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestium operatio Sacramentorum, misericors Deus, fallacis mundi cogitationibus nos penitus exsuat: ut in te passum jugiter aspicientes, in sola Crucis stultitia gloriemur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ut difficultatibus cujuscumque generis præcludatur via, nihil de Veronica ejusque linteo explicite refertur in hac Missa, sed tantum in genere consideratur Jesus propter peccata nostra non habens speciem neque decorem.

2. Alia Epistola efformari posset sequentibus Isaiæ verbis: « Dominus Deus aperuit mihi aurem..... et innitatur super Deum suum. *Isai. L. 5—10.* »

3. Duo pro Temp. Pasch. versiculi efformati sunt e I. ℟. in Officio Septem Dolorum B. M. V., quod in Breviario Romano sub finem mensis Martii collocatur.

4. Loco Communionis supra relatæ, hæc alia posset induci: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. *Thr. I. 12.* »

5. « Ne avertas, Domine, faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Ps. LXVIII. 18.* »

## XX.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Septima. — UBI CHRISTUS ITERUM CADIT SUB CRUCE.

**MISSA:** Persecutus est inimicus, *quæ superius pag. 22. invenitur in Missa sub num. XVI. ad locum ubi Christus primum cadit sub Cruce.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Identitas Mysterii ad tertiam et septimam Viæ Dolorosæ Stationem recolendi, necnon textuum deficientia impedierunt, quominus nova hic Missa assignaretur.

2. Hoc loco nil aliud animadversione dignum occurrit, quam quod in Missa sub num. XVI. notatum fuit.

## XXI.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Octava. — UBI CHRISTUS ALLOQUITUR MULIERES LACRYMANTES.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XXII. 12.*

Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci.

**Ps.** *XLV. 2.* Deus noster, refugium et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pios mulierum fletus respiciens, illas ad sua filiorumque mala deflendum invitasti: nos etiam ad pœnitentiæ lacrymas excitare digneris; ut peccata nostra salubriter plorantes, valeamus ab iracundiæ tuæ flagellis liberari: Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Cap. IX. 17.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Contemplamini, et vocate lamentatrices, et veniant: et ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, et properent: festinent, et assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis. Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus et confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam dejecta sunt tabernacula nostra. Audite ergo mulieres verbum Domini: et assumant aures vestræ sermonem oris ejus: et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum; quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis. Loquere: Hæc dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, et quasi fœnum post tergum metentis, et non est qui colligat: ait Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Amos. VIII. 10.* Convertam, dicit Dominus, festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum. ℣. Et ponam diem eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jac. IV. 9.* Lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem: humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Thr. V. 15.* Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. ℣. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus. ℣. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXVIII. 23.* Auribus percipite, et audite vocem meam, attendite, et audite eloquium meum. Alleluja. ℣.

*Isai. XXXII. 11.* Mulieres, accingite lumbos vestros: super ubera plangite, super regione desiderabili. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIII. 27.*

In illo tempore: Sequebatur Jesum multa turba populi, et mulierum: quæ plangebant, et lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

**Offertorium.** *Jer. IV. 8.* Super hoc accingite vos ciliciis, plangite et ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a vobis.

SECRETA.

Cordibus nostris, Domine, actio sacrosancta compunctionis donum obtineat: ut peccata nostra digne plangentes, valeamus, timore depulso, cœlestis consolationis fieri participes. Per Dominum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Apoc. VI. 16.* Et dicent montibus, et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis operatio Sacramenti, Domine Jesu, timorem pariter et amorem faciat nos habere perpetuum: ut te pro nobis passum diligamus, et offensis passionem tuam innovare formidemus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Si versus alter pro Temp. Pasch. selectus parum convenire videatur cum voce jubili *Alleluja,* hic novus apponatur: «Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joël. II. 12.*»

2. Duo sequentes versiculi inservire etiam possent pro eodem Temp. Pasch.: «Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit. ℣. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joann. XVI. 20.*»

3. In Secreta et Postcommunione congrue ponitur *vobis* et *dicent,* quamvis in Bibliorum codice *nobis* et *dicunt* habeatur.

4. «Ingredere homo in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. *Isai. II. 10.*»

5. «Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. ℣. Et ingredietur homo scissuras petrarum, et in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexit percutere terram. *Isai. II. 19 et 21.*»

6. «Sederunt in terra, consperserunt cinere capita sua, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. *Thr. II. 10.*»

7. «In illa die dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos. *Os. X. 8.*»

## XXII.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Nona. — UBI CHRISTUS TERTIUM CADIT SUB CRUCE.

**MISSA:** Persecutus est inimicus, *quæ superius pag. 22. invenitur in Missa sub num. XVI. ad locum ubi Christus primum cadit sub Cruce.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1 Quum Mysterium hujusce Stationis nullimode differat a mysterio, ad tertiam et septimam Viæ Dolorosæ Stationem recolendo, necessaria non videtur, inter aptorum textuum carentiam, novæ Missæ introductio.

2. Omnia, quæ in Missa sub num. XVI. notata fuerunt, etiam de præsenti dicta intelligantur.

# XXIII.

## IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

## Statio Decima. — UBI CHRISTUS VESTIBUS EXSUITUR ET FELLE POTATUR.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXVIII. 7.*

Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israël: quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

**Ps.** *Ibid. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui pro mundi salute Unigenitum tuum vestimentis exsui, et amarissimo felle potari voluisti: per ejus opprobria concede; ut charitatis vestibus induti, ad æternas Paradisi delicias admittamur. Per eumdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LXIII. 1.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus Deus noster.

**Graduale.** *Ps. XLIII. 16.* Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. ℣. A voce exprobrantis, et obloquentis: a facie inimici, et persequentis.

Alleluja, alleluja. *Thr. III. 19.* Recordare, Domine, paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXVIII. 20.* Tu scis, Domine, improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam. ℣. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: improperium exspectavit cor meum, et miseriam. ℣. Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LXI. 10.* Dominus induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. Alleluja. ℣. *Jer. XXXI. 25.* Inebriavi animam lassam, dicit Dominus: et omnem animam esurientem saturavi. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVII. 31.*

In illo tempore: Milites Præsidis, postquam illuserunt Jesu, exsuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

**Offertorium.** *Gen. XXXVII. 23.* Confestim igitur ut pervenit Joseph ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita.

SECRETA.

Jube, Domine, e famulis tuis vestimenta sordida culparum tolli, eisque primam innocentiæ stolam proferri: ut ad nuptiale convivium Filii tui digne recumbant. Per eumdem.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Jer. II. 21.* Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?

POSTCOMMUNIO.

Mensæ cœlestis oblectatio, misericors Deus, omnes terræ delicias nobis reddat amaras; et mundi sensu spoliari nos faciat. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In præsenti Missa jure colitur Dominus exsutus vestibus et felle potatus, ad locum ubi duplex mysterium simul agebatur, quamvis non desint, qui dumtaxat spoliationem Vestium huic X. Stationi perperam attribuant.

2. Alia Epistola sic efformari posset: «Fratres: In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis..... corpus autem Christi. — *Col. II. 9—17.*»

3. Sequentes etiam versiculi inservire possunt pro Temp. Pasch.: «℣. Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom. XIII. 14.* ℣. Filii hominum inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, Domine: et torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ps. XXXV. 9.*»

4. Loco Offertorii supra positi, hoc aliud posset admitti: «Christus exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *Col. II. 15.*»

5. Textus Communionis ita in Missali Romano Fer. VI. in Parasceve transcribitur: «Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam: et tu facta es mihi nimis amara: aceto namque sitim meam potasti.» Quæ legendi ratio in præsenti Missa optime introduci posset, ultimis ejusdem verbis ita accomodatis: «felle namque et aceto sitim meam potasti.»

6. Etiam antiphona hæc inservire pro Communione posset: «Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus. *Habac. II. 15.*»

7. «Tulerunt autem fratres tunicam Joseph, et in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt. *Gen. XXXVII. 31.*»

8. «Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. ℣. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. *Deut. XXXII. 32.*» — Verba hæc ad passionem Christi applicat, inter alios, S. Bonav. *Comment. in Evang. Luc. Cap. XXIII.*

9. «Ædificavit Dominus in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. *Thr. III. 5.*»

10. «Ego te potavi, populo meus, aqua salutis de petra: et tu me potasti felle et aceto. — *E Missali Romano in eadem Fer. VI. in Parasceve.*»

## XXIV.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

### Statio Undecima. — UBI CHRISTUS CRUCI AFFIGITUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXI. 17.*

Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me.

**Ps.** *Ibid. 2.* Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui pro liberandis hominibus manus et pedes affigi clavis, ac membra tua in ligno Crucis extendi voluisti: concede propitius; ut qui esse tui gaudent, carnem suam cum vitiis crucifigentes, salutem divino promeritam sanguine consequantur: Qui vivis.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

*Cap. XII. 10. et XIII. 6.*

Hæc dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: et dicetur: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: ait Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Ps. LXVIII. 21.* In conspectu tuo, Domine, sunt omnes qui tribulant me: improperium exspectavit cor meum, et miseriam. ℣. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. XXII. 23.* Judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXI. 17.* Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. ℣. Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. ℣. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. V. 5.* Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Alleluja. ℣. *Luc. XXIV. 38.* Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. XV. 22.*

In illo tempore: Milites perducunt Jesum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris ejus. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

**Offertorium.** *Isai. LXV. 2.* Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

SECRETA.

Concede nobis, misericors Deus, diram Jesu Christi crucifixionem per hæc sancta mysteria recolentibus: ut Cruci confixi et peccatis mortui; in fide ejusdem Filii tui, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, jugiter vivamus: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Col. II. 14.* Christus, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.

POSTCOMMUNIO.

Concede misericors Deus, semel illuminatis et pastis dono cœlesti, ita firmiter in Christi amore persistere: ut numquam rursum sibimetipsis crucifigant, et ostentui habeant eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Duo versiculi pro Temp. Pasch. efformari possent e verbis solius Luc. XXIV. 38—39. *Quid turbati* et *Videte.*

2. Pro Temp. Pasch. sequentes versiculi adhiberi possunt: «Viri Israëlitæ, Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. ℣. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, et remissionem peccatorum. *Act. V. 30.*»

3. Loco Offertorii jam positi, hoc aliud posset introduci: «Complacuit Deo per Christum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Col. I. 20.*»

4. «Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? *Malach. III. 8.*»

5. «Viri Israëlitæ, Jesum Nazarenum, definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis. *Act. II. 23.*»

6. «Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. *Act. II. 36.*»

7. «Christo confixus sum Cruci: vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. *Gal. II. 19.*»

8. «Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Gal. V. 24.*»

9. «Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt: et plangent se super eum omnes tribus terræ. *Apoc. I. 7.*»

## XXV.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

**Statio Duodecima.** — UBI CHRISTUS PENDENS IN CRUCE MORITUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XXV. 8.*

Præcipitabit in monte isto mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra.

**Ps.** *CVI. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ineffabilem charitatis abundantiam ostensurus, animam tuam pro inimicis ponere non recusasti: concede postulationibus nostris; ut tantæ in nos benignitatis memores, tibi, qui pro nobis indignis mortuus es, unice vivamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

*Cap. V. 5.*

Fratres: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

**Graduale.** *II. Cor. V. 14.* Charitas Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. ℣. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit.

Alleluja, alleluja. ℣. *I. Joann. III. 16.* In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Isai. LIII. 12.* Ideo dispertiam ei plurimos, dicit Dominus, et fortium dividet spolia. ℣. Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. ℣. Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. X. 11.* Ego sum pastor bonus: et animam meam pono pro ovibus meis. Alleluja. ℣. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVII. 39.*

In illo tempore: Prætereuntes blasphemabant Jesum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce, et credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei sum. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum; et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt: et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.

**Offertorium.** *Amos. VIII. 9.* Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui in ara Crucis temetipsum Deo Patri hostiam offerens, iram ipsius ab hominibus avertisti: concede propitius; ut incruenta mortis tuæ innovatio, amissam nobis divinæ amicitiæ plenitudinem reducat: Qui vivis.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Os. XIII. 14.* De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui cum essemus mortui in peccatis, convivificasti nos in Christo, donans nobis omnia delicta: præsta, quæsumus; ut quam ex morte Ipsius vitam accepimus, per miram Sacramenti virtutem, ab hostium furore et insidiis tueamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Si Introitus alicui parum de mœstitia Dominicæ Passionis participare videatur, sequens in promptu est: — « *Philip. II. 8.* Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. »

2. Loco Offertorii in Missa positi, hoc aliud posset introduci, ut omnes Missæ partes inter se melius conveniant: «Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joann. III. 14.* »

3. « Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum, et posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num. XXI. 9.* »

4. « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo: et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est justus. *Isai. LVII. 1.* »

5. « Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox: et in tempore vesperi erit lux. *Zach. XIV. 7.* »

6. « Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. ℣. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. *Joann. XII. 31.* »

7. « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. *Gal. III. 13.* »

8. « Christus una oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. *Hebr. X. 14.* »

## XXVI.

IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

**Statio Decimatertia.** — UBI CHRISTUS E CRUCE IN SINU MATRIS DEPONITUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Thr. I. 20.*

Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.

**Ps.** *XIX. 2.* Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Deus, qui corpus Filii tui de Cruce revulsum in sinu Genitricis recumbere voluisti; concede propitius; ut afflictæ Virginis doloribus rite compatientes, in angustiis nostris materna illius pietate consolemur. Per eumdem.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Thr. Cap. II. 13.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus: invenimus, vidimus. Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas.

**Graduale.** *Marc. XV. 43.* Joseph ab Arimathæa petiit corpus Jesu, quod, de Cruce depositum, suo complexu Mater excepit. ℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum Filium.

Alleluja, alleluja. ℣. Ave princeps gene-

rosa, Martyrumque prima rosa, Virginumque lilium. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Thr. I. 2.* Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. ℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. ℣. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur*: Alleluja, alleluja. ℣. *II. Reg. I. 26.* Doleo super te, fili mi Jesu, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Alleluja. ℣. Sicut enim mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIII. 49.*

In illo tempore: Stabant omnes noti Jesu a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, videntes quæ fiebant. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus, (hic non consenserat consilio, et actibus eorum) ab Arimathæa civitate Judææ, qui exspectabat et ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu: et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.

**Offertorium.** *Thr. III. 49.* Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, donec respiceret et videret Dominus de cœlis.

SECRETA.

Oblationem Crucis innovantes, quæsumus Domine, ut illos in Christum pro nobis mortuum experiamur affectus: quibus innocentissima Virgo exsangue ejusdem Filii tui corpus maternis ulnis excipiebat: Qui tecum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Transfixione.

**Communio.** *Cant. I. 12.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

POSTCOMMUNIO.

Sacramenta quæ sumpsimus, Domine, memoriam cruciatuum Christi et Genitricis ejus in nobis semper enutriant: ut cogitantes quanti utrique fuerit nostra redemptio; et prisca mentis deponere vitia, et illatas injurias obsequiis compensare studeamus. Per eumdem.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Cum in laudem Christi Jesu cedat quidquid honoris Mariæ impenditur, et cum Matris pœnæ in cor Nati redundarint; ideo, ut communiori Fidelium praxi fiat satis, ad quartam et maxime ad decimamtertiam Viæ Dolorosæ Stationem, Missa directe respicit almam Genitricem, in passione Filii gladio doloris transfixam.

2. Alius Introitus: — « *Jer. IV. 31.* Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea. »

3. Versiculi pro Temp. Pasch. efformati sunt e ℟. VII. in Officio Septem Dolorum B. M. V., quod in Breviario Romano sub finem mensis Mart. apponitur, et e præcitato Scripturæ loco.

4. Locum Offertorii hæc alia antiphona tenere posset: « Piis, o Virgo, spectas Jesum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum livorem, quam mundi salutem. *Cf.* ℟. *1. in Festo Dolorum B. M. V. Fer. VI. post Dom. Passionis recolendo.* »

5. Multi alii textus reperiuntur ad quartam Viæ Dolorosæ Stationem in Missa sub num. XVII. pag. 24., necnon in utroque Septem Dolorum Festo mensibus Mart. et Sept. *ordinarie* recolendo.

6. « Expandi manus meas ad te: anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. ℣. Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus. ℣. Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum. ℣. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. *Ps. CXLII. 6.* »

7. « Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me. *Isai. XXII. 4.* »

8. « Filia populi mei accingere cilicio, et conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. *Jer. VI. 26.* »

9. « Nemo gaudeat super me viduam et desolatam: ego enim derelicta sum sola. ℣. Exsui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis. *Bar. IV. 12, 19 et 20.* »

# XXVII.

## IN VIA DOLOROSA D. N. J. C.

## Statio Decimaquarta. — UBI CHRISTUS MONUMENTO RECONDITUR.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. IV. 9.*

In pace in idipsum dormiam, et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

**Ps.** *Ibid. 2.* Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui venerandum Filii tui corpus in monumento recludi, novaque induendum gloria triduo permanere fecisti: concede propitius; ut omnes, qui cum illo fuimus per baptismum consepulti, in novitate vitæ ambulantes, ad æternam requiem festinemus. Per eumdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. XIII. 26.*

In diebus illis: Surgens Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, ignorantes Jesum, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

**Graduale.** *Ps. LXXXVII. 7.* Posuerunt me, Domine, in lacu inferiori: in tenebrosis, et in umbra mortis ℣. *Ps. XL. 9.* Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XL. 11.* Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me: et retribuam inimicis meis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXVII. 3.* Intret in conspectu tuo, Domine, oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. ℣. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. ℣. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LVII. 1.* A facie iniquitatis sublatus est Justus: et erit in pace memoria ejus. ℣. *Ps. LXXV. 3.* In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVII. 57.*

In illo tempore: Cum sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Altera autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

**Offertorium.** *Thr. III. 52.* Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis: lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me.

SECRETA.

Emunda, quæsumus Domine, famulos tuos ab omni vetustate culparum: ut per fidem innovatis illum animis excipiamus, quem mundis linteis novoque sepulchro olim inferri voluisti: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Matth. XII. 40.* Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ.

POSTCOMMUNIO.

Concede nobis, Domine Jesu, ut salutaris cibus et sacer potus ad agendum bona semper instaurent: ut, cum omnes e monumentis audierint vocem tuam, nos ad resurrectionem vitæ procedere valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Quinque ultimas Viæ Dolorosæ Stationes Basilica Sanctissimi Sepulchri D. N. J. C. intra sui ambitum includit.

2. Ut omnibus Viæ Dolorosæ Stationibus sua tribueretur Missa, novam pro Sepultura Christi componere necesse fuit, cum et Missa Sanctissimi Sepulchri posita in Missali Romano-Seraphico sub Dom. II. post Pascha, non Sepulturæ, sed Resurrectionis Christi respiciat mysterium.

3. Prior versiculus pro Temp. Pasch. e VII. ℟. Matutini, posterior vero ex ant. VIII. tertii Noct. in Sabbato sancto accipiuntur.

4. Alterutri ex versiculis pro Temp. Pasch. hic posset substitui. « Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo. *Ps. XIV. 1. — Cf. ant. 2. Matutini in Sabbato sancto.* »

5. « Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me. *Ps. XXI. 16.* »

6. « Dominus dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. *Isai. LIII. 9.* »

7. « In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos: circumædificavit adversum me, ut non egrediar. *Thr. III. 6.* »

8. « Subsecutæ autem mulieres, quæ cum Jesu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. *Luc. XXIII. 55.* »

9. « Christus mortuus est pro peccatis nostris, et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas. *I. Cor. XV. 3.* »

# CAPUT QUARTUM.

## XXVIII.

ALIIS INTRA CIVITATEM HIEROSOLYMAM LOCIS.

## Primo. — AD PORTAM QUA EDUCTUS EST CHRISTUS AD CRUCIFIGENDUM.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXVIII. 13.*

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta; et in me psallebant, qui bibebant vinum: ego vero orationem meam ad te, Domine: tempus beneplaciti, Deus.

**Ps.** *Ibid. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui pro mundi redemptione, extra portam civitatis eductus, supplicium Crucis tolerasti: te humiliter exoramus; ut nunc ab impiorum semitis aversos, post obitum nostrum Paradisi januam introire concedas: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. XIII. 9.*

Fratres: Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

**Graduale.** *Sap. II. 19.* Dixerunt impii: Contumelia et tormento interrogemus Justum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. ℣. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 59.* Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LVIII. 3.* Eripe me de operantibus iniquitatem, Deus meus: et de viris sanguinum salva me. ℣. Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. ℣. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *I. Petr. II. 22.* Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Alleluja. ℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 13.*

In illo tempore: Pilatus adduxit foras Jesum: et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super Crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus.

**Offertorium.** *Lev. XVI. 27.* Vitulum et hircum, qui pro peccato fuerint immolati, et quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra.

SECRETA.

Tuam nobis, Domine, misericordiam conciliet Agnus immaculatus: qui ab iniquo judice ad mortem traditus, æternæ nobis damnationis chirographum fuso sanguine delevit: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Colos. II. 14.* Christus, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.

POSTCOMMUNIO.

Deus, cujus Unigenitus, formam servi accipiens, per mortem suam nos tecum reconciliare dignatus est: per hæc sacra mysteria, quæ sumpsimus, præsta; ut a peccatis educti, in tua solum justitia vivamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ut intelligantur plures Missæ textus, scire oportet damnationis Christi sententiam, ex traditione haud spernenda, ad hanc portam vel iterum lectam vel affixam fuisse. At vero, si allusiones excipiantur, Missæ partes respiciunt Christum, qui *damnatus* ad mortem, porta illa exivit in Calvariæ locum; et proinde, licet veritas relatæ traditionis in dubium vocetur, Missa nullum ex his detrimentum capit.

2. Textus pro Introitu adhibitus, juxta generalem interpretum sententiam, ad Christi passionem refertur; immo, ut notat Lorinus *Comment. in Ps. LXVIII. vers. 13.*, per illos *qui sedebant in porta* «Hyppolitus, quem citat Agellius, (intelligit) eos, qui extra portam Christum crucifigendum duxerunt.» Omissa hac interpretatione, textus adhuc indubie intelligitur de iis, qui judicaverunt Christum, et proinde mysterio optime quadrat.

3. Si quæ superiori num. dicta fuerunt, haud placeant, assumatur pro hac Missa Introitus ad primam Viæ Dolorosæ Stationem in Missa sub num. XIV. pag. 19. appositus. Non tamen hoc necessarium est, cum plura habeamus in Missali et Breviario exempla, quibus edocemur sæpe textus assumi ob verba quibus constant, quin aliud rigorose attendatur.

4. Multi alii textus inveniri possunt ad primam Viæ Dolorosæ Stationem in Missa sub num. XIV. pag. 19.

5. «Egressus es Domine in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. *Habac. III. 13.*»

6. «Milites, postquam illuserunt Jesu, exsuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum, ut crucifigerent eum. *Marc. XV. 20.*»

7. «Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. *Joann. XI. 51.*»

## XXIX.

ALIIS INTRA CIVITATEM HIEROSOLYMAM LOCIS.

### Secundo. — AD LOCUM UBI CHRISTUS EST FLAGELLATUS.

**MISSA:** Adversum me, *quæ superius pag. 5. invenitur in Missa sub num. IV. ad locum ubi asservatur Columna Flagellationis Domini.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hoc Sanctuario jamdiu, ex Indulto Sedis Apostolicæ, Missæ votivæ de Passione vel de Pretiosissimo Sanguine D. N. J. C. celebrantur, quibus inter Communes reservatur locus.

2. Quum Missæ votivæ, quæ num. præcedenti memorantur, si titulum aliquatenus exceperis, nullam cum Flagellationis Domini Mysterio affinitatem habeant; hinc illis convenienter subrogatur vel adjicitur Missa, quæ mysterium hoc in Scriptura et Patribus celeberrimum, propius attingat.

# CAPUT QUINTUM.

## XXX.

APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION.

### Primo. — UBI SPIRITUS SANCTUS DESCENDIT SUPER APOSTOLOS.

℣ *Extra Tempus Paschale, ad Introitum et Offertorium atque Communionem omittuntur* Alleluja.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Sap. I. 7.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Alleluja, alleluja, alleluja.

**Ps.** *LXVII. 2.* Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui [hodierna die] corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum... in unitate ejusdem.

℣ *Extra Octavam Pentecostes in Oratione omittuntur verba* hodierna die.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. II. 1.*

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: et factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis: et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani, Judæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

**Graduale.** *Ps. XXXII. 12.* Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum: populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. ℣. *Ibid. 6.* Verbo Domini cœli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Alleluja, alleluja. *Hic genuflectitur:* ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende. (Alleluja.)

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum ỳ. sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CIII. 30.* Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ. ỳ. *Sap. XII. 1.* O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis! *Hic genuflectitur.* ỳ. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ỳ. *Ps. CIII. 30.* Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ. Alleluja. *Hic genuflectitur.* ỳ. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende. (Alleluja.)

℣ *Per totam Octavam Pentecostes præceptive, aliis autem diebus libere, omisso ultimo* Alleluja, *dicitur:*

## Sequentia.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.
Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIV. 23.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

**Offertorium.** *Ps. LXVII. 29.* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi offerent reges munera. Alleluja.

SECRETA.

Munera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: et corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum... in unitate ejusdem.

*Præfatio de Pentecoste.*

**Communio.** *Act. II. 2.* Factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, ubi erant sedentes, alleluja: et repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei. Alleluja, alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio: et sui roris intima aspersione fœcundet. Per Dominum... in unitate ejusdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita invenitur in Missali Romano sub Dom. Pentecostes, et *substantialiter* non differt a Votiva de Spiritu sancto, quæ de venia Sedis Apostolicæ in Sanctissimo Cœnaculo aut viciniori Loco jamdiu celebratur.

2. Eadem vero Missa, cum omnibus *Alleluja* quibus gaudet in Dominica Pentecostes, edita fuit; ut valeat omni tempore, etiam per Octavam suam, adhiberi. Cum enim in ipsa Octavæ Missa pluries vox *Alleluja* repetatur, quam Paschalis ritus exigat, Sacerdotes cum gravi incommodo ad alterius libri usum adigerentur, qui sæpe ob exiguitatem Altaris portatilis difficultates haud leves gignere potest. Legitima proinde rogatur auctoritas ut, quemadmodum sa. me. Pius IX. ad hæc aliaque vitanda incommoda benigne permisit ut in Votivis una tantum Oratio recitaretur, ita nunc ipsa indulgere velit ut toto Temp. Pasch. Missa de Spiritu Sancto sit integre dicenda, uti ponitur in ipsa Dominica Pentecostes. Neque id reprobatur exemplis in Missali Romano exsistentibus, ubi omnes Missæ dominicales et feriales a Paschate ad Dominicam Trinitatis, plura habent *Alleluja*, quam Temp. Pasch. requirere videatur.

3. Epistola, quæ in Votiva de Spiritu Sancto reperitur, nullam cum Sanctuario relationem habet, dum e contrario Epistola Dom. Pentecostes aptissime narrat mysterium in ipso Sacratissimo Loco peractum. Neque hujus Epistolæ textus ita comparatus est, ut extra Octavam Pentecostes non possit adhiberi; sed, cum simpliciter historicum sequatur ordinem, cuilibet tempori, uti Epistola Sanctissimi Sacramenti, valet appropriari.

4. Sequentia *Veni sancte Spiritus*, extra Octavam Pentecostes, liberæ Sacerdotum electioni permittitur, uti factum est in Missa votiva de B. M. V. Doloribus, et de Passione Domini.

---

## XXXI.

APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION.

### Secundo. — UBI CHRISTUS ULTIMAM CŒNAM CUM DISCIPULIS CELEBRAVIT.

℣ *Extra Tempus Paschale et Octavam Sanctissimi Corporis Christi, ad Introitum et Offertorium atque Communionem omittuntur* Alleluja.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXX. 17.*

Cibavit eos ex adipe frumenti, alleluja: et de petra, melle saturavit eos. Alleluja, alleluja, alleluja.

**Ps.** *Ibid. 2.* Exsultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuæ fructum, in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*I. Cor. Cap. XI. 23.*

Fratres: Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini.

**Graduale.** *Ps. CXLIV. 15.* Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das illis escam in tempore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. VI. 56.* Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. (Alleluja.)

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Mal. I. 11.* Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus. ℣. Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus. ℣. *Prov. IX. 5.* Venite, comedite panem meum; et bibite vinum, quod miscui vobis.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. XXXI. 12.* Et venient Gentes, et laudabunt in Monte Sion: et

confluent ad bona Domini, super frumento et vino. Alleluja. ℣. *Joann. VI. 56.* Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. (Alleluja.)

℟ *Per totam Octavam Sanctissimi Corporis Christi præceptive, aliis autem diebus libere, omisso ultimo* Alleluja, *dicitur:*

## Sequentia.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude:
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.
Quem in sacræ mensa cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis,
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.
Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Præter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus:
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille:
Nec sumptus consumitur.
Sumunt boni, sumunt mali:
Sorte tamen inæquali,
Vitæ, vel interitus.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptionis,
Quam sit dispar exitus.
Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura:
Signi tantum fit fractura:
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum:
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Cum Isaac immolatur:
Agnus Paschæ deputatur:
Datur manna patribus.
Bone Pastor, Panis vere,
Jesu nostri miserere:
Tu nos pasce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales:
Qui nos pascis hic mortales:
Tuos ibi commensales,
Cohæredes et sodales
Fac sanctorum civium. Amen.
Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. VI. 56.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Caro mea, vero est cibus: et sanguis meus, vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui suni. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

**Offertorium.** *Lev. XXI. 6.* Sacerdotes Domini incensum et panes offerunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. Alleluja.

SECRETA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, unitatis et pacis propitius dona concede: quæ sub oblatis muneribus mystice designantur. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *I. Cor. XI. 26.* Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Fac nos, quæsumus Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri: quam pretiosi Corporis et Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missam de Sanctissimo Sacramento in Cœnaculo, vel in proximiori Loco pro tempore quo Sanctuarium illud ab infidelibus detinebitur, jamdiu Apostolica Sedes indulserat more votivo celebrandam.

2 Ratio, ob quam Missa cum omnibus *Alleluja* suaque antecedenti Rubrica edebatur, in adnotationibus ad superiorem Missam sub num. XXX. pag. 41. declarata est.

3. Cum prior versiculus pro Temp. Pasch. nimis aperte referatur, non ad ultimam Cœnam cum omnibus apostolis in Monte Sion peractam, sed ad fractionem panis qua Emmaunte discipuli duo cognoverunt Jesum a mortuis excitatum; ideo in ejus locum alius versus substitutus est. Versiculus autem, qui in Missali Romano apponitur, est sequens: « Cognoverunt discipuli Dominum Jesum in fractione panis. *Luc. XXIV. 35.* »

4. Sequentia *Lauda Sion,* extra Octavam Sanctissimi Corporis Christi, relinquitur devotioni et arbitrio Celebrantium, uti pro aliis Missis votivis pluries jam factum fuit.

5. Quamvis in tribus primis Evangelistis inveniantur textus, qui de ultima Domini Cœna ejusque Loco explicite pertractent, cum tamen Epistola jam historiam mysterii posuerit, melius visum fuit Evangelium consuetum retinere; hoc enim modo, et promissio et natura doni, simul cum promissi adimplemento videbitur.

6. Legitima auctoritas humillime exoratur, ut huic sacratissimo Loco ubi Dominus Sacramentum instituit amoris, Præfationem propriam de SS. Eucharistiæ Sacramento, jam aliquibus Diœcesibus indultam, velit elargiri. In Missa autem superius apposita ordinariam de Nativitate Domini Præfationem Sacerdotes dicere jubentur, quia specialis illa de Sanctissimo Sacramento præ manibus non erat, cum hujus editioni operis vacaretur.

## XXXII.

APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION.

### Tertio. — UBI CHRISTUS POST RESURRECTIONEM APPARUIT THOMÆ.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Joann. XX. 25. et 28.*

Misi digitum meum in fixuras clavorum, et manum meam in latus ejus, et dixi: Dominus meus, et Deus meus.

**Ps.** *CX. 1.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio justorum, et congregatione.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Apostolum Thomam, de Resurrectione tua dubitantem, mirabili præsentia confirmasti: præsta, quæsumus; ut sicut illum ad fidem misericorditer reducebas, ita nos in impavida tui confessione retineas: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*I. Petr. Cap. I. 3.*

Charissimi: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi: quem

cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exsultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata: reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

**Graduale.** *Ps. XCIII. 18.* Si dicebam: Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me. ℣. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCIII. 22.* Factus est mihi Dominus in refugium: et Deus meus in adjutorium spei meæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 28.* Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. ℣. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XII. 2.* Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Alleluja ℣. Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XX. 24.*

In illo tempore: Thomas, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus; et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meus, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, et crediderunt.

**Offertorium.** *Ps. LXXXV. 12.* Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me.

SECRETA.

Auge in te sperantium fidem, omnipotens Deus, ut sub istis speciebus invisibilia corporis et sanguinis tui dona accipere persuasi: beatitudinem, quam in Apostolo Thoma, iis qui non videntes credunt, promisisti, feliciter assequamur: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Ps. XXXVI. 24.* Cum ceciderit justus, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui Apostolum Thomam ad vulnera tua palpanda exhortatus, illum ab incredulitatis labe mundasti: concede, ipso intercedente; ut Fideles, per vivificum tuæ sumptæ carnis attactum, ab omnibus vitiorum plagis convalescant: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa S. Thomæ Apostoli, quæ in Missali Romano sub die XXI. Dec. invenitur, cum non sit specialiter ad hoc mysterium recolendum instituta, non poterat huic Sanctuario admodum accomodari. Nova idcirco Missa invecta est; in qua tamen aliquæ partes, et præcipue Communio, accipi etiam convenienter possent ex eodem Missali Romano.

2. Antiphona ad Missæ Introitum adhibita, eadem est, quæ ad Magnificat in Vesperis Fer. V. post Dom. in Albis recitatur.

3. Alius Introitus. — « *Ps. CXXXVIII. 14.* Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis. *Ps. Ibid. 1.* Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam. »

4. « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet. *Habac. II. 4.* »

5. « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, dicit Dominus: ibi sum in medio eorum. *Matth. XVIII. 20.* »

6. « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Joann. XIV. 21.* »

7. « Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, et crediderunt. *Joann. XX. 29.* »

8. « Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. *I. Joann. V. 20.* »

9. « Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum: et noli esse incredulus, sed fidelis. — *Ex ant. ad Magnif. in Fer. III. post Dom. in Albis, et e Communione in Missa ejusdem S. Thomæ.* »

# XXXIII.

## APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION.

## Quarto. — UBI BEATISSIMA VIRGO MARIA E VITA MIGRAVIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLI. 8.*

Educ de custodia animam meam, Domine, ad confitendum nomini tuo: me exspectant justi, donec retribuas mihi.

**Ps.** *LXXVI. 2.* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Genitricem tuam morti quidem subesse, non tamen illius doloribus angi permisisti: concede propitius; ut in hora exitus nostri, ipsa Beata Virgine nobis assistente, possimus absque ullo timore animam exspirare: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 10.*

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

**Graduale.** *Ps. CXVIII. 82.* Defecerunt oculi mei, Domine, in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me? ℣. *Ps. LXII. 2.* Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Alleluja, alleluja. ℣. *Tob. III. 6.* Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum: et præcipe in pace recipi spiritum meum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XLI. 2.* Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. ℣. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? ℣. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Susceptor meus es.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. IV. 8.* Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis. Alleluja. ℣. *Ibid. V. 6.* Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 25.*

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

**Offertorium.** *Ps. XLI. 5.* Effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

SECRETA.

Munera nostra, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio: quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per eumdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Dormitione.

**Communio.** *Ps. XVI. 15.* Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, Domine: satiabor, cum apparuerit gloria tua.

POSTCOMMUNIO.

Cœlesti munere satiatis, omnipotens Deus, castimoniam cæterasque virtutes, intercedente Beata Maria, nobis propitius indulge: ut Filii tui occursum, accensis lampadibus, digne præstolantes, intrare cum illo ad nuptias mereamur: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Omnibus Sanctuariis in quinto Capite comprehensis adnexa est Indulgentia plenaria, et quidem pro tribus primis ad Ecclesiam Sanctissimi Salvatoris translata; sed privilegium Missæ votivæ, suo vel proximiori Loco celebrandæ, duobus postremis Sanctuariis nondum concessum fuerat.

2. Ante *Alleluja* in Graduali poni etiam posset hic versiculus: «Heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est! *Ps. CXIX. 5.*»

3. Communis harum gentium traditio, quæ docet beatam Virginem in domo Joannis e vita migrasse, effecit ut inter cætera Evangelium illud assumeretur, in quo dicitur dilectus Christo discipulus Deiparam post mortem Filii in sua recepisse.

4. Si electum Evangelium non placeat, alterum accipi etiam posset e Missa sub num. III. pag. 4. ad locum ubi Christus post resurrectionem apparuit Matri suæ.

5. Secreta, quæ in hac Missa præscribitur, e Vigilia Assumptionis ipsius Dei Genitricis accepta fuit.

6. «Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea. *Job. XIV. 14.*»

7. «In pace in idipsum dormiam, et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. *Ps. IV. 9.*»

8. «Inclina, Domine, ad me aurem tuam: accelera ut eruas me. *Ps. 30. 3.*»

9. «Melior est misericordia tua, Domine, super vitas: labia mea laudabunt te. *Ps. LXII. 4.*»

---

# CAPUT SEXTUM.

## XXXIV.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

### Primo. — UBI SEPULTUS FUIT SANCTUS ISAIAS PROPHETA.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. L. 4.*

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

**Ps.** *LXXVII. 1.* Attendite, populo meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dilectum famulum tuum Isaiam Spiritu prophetarum mirabiliter implevisti: ejus nobis intercessione concede; ut ea quæ vidit, credentes, et adimpleta cognoscere, et futura sperare valeamus. Per Dominum... in unitate ejusdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. VI. 1.*

In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

**Graduale.** *Isai. LXI. 1.* Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me. ℣. Ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LXI. 2.* Dominus misit me, ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Eccli. XLVIII. 25.* Isaias propheta magnus et fidelis fuit in conspectu Dei. ℣. In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam. ℣. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. ℣. Usque in sempiternum ostendit futura et abscondita, antequam evenirent.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XLIX. 1.* Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Alleluja. ℣. Et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XII. 35.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: et abiit, et abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

**Offertorium.** *Isai. XXV. 1.* Domine Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.

SECRETA.

Venerandum redemptionis opus mystice exercentes, da quæsumus Domine Deus, apud clementiam tuam beati Isaiæ Prophetæ suffragiis commendari: qui idem mysterium in Spiritu Sancto et sibi gaudenter cognovit, et aliis mirabiliter prænuntiavit. Per Dominum... in unitate ejusdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Isai. LXII. 1.* Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur.

POSTCOMMUNIO.

Interveniat pro nobis apud clementiam tuam, misericors Deus, beati Isaiæ Prophetæ oratio veneranda: ut hujus operatione mysterii corda nostra a vitiis emundentur, et purificata inde labia ad tuas laudes aperiantur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Multi textus, qui in superius edita Missa adhibentur, Christo mirabiliter conveniunt: quod tamen difficultatem nullam importat, tum quia non desunt Interpretes, qui Sancto etiam Isaiæ verba illa referant; tum quia, uti patet ex Introitu in Missa S. Alphonsi - Mariæ de Ligorio et aliunde, nihil impedit quominus verba, quæ de Christo scripta sunt, Sanctis quoque applicentur.

2. In Epistola addi etiam posset textus qui Cap. VI. Isaiæ vers. 9 et 10. inclusive continuatur, qui supra omissus fuit, ne Epistola a Graduali quoad significationem multum discreparet.

3. In Tractu circa principium additur verbum *fuit*, ne sensus verborum nimis maneat suspensus.

4. In libris IV. Regum et II. Paralipomenon, in libro ejusdem Sancti Prophetæ, necnon in Novo Testamento plures textus inveniri possunt, uti patet e Bibliorum Concordantiis; sed brevitatis ratio non sinit ut hic referantur, eo vel magis quia meliores, quoad fieri potest, textus jam in Missa apponuntur.

5. « Dixit Jesus ad scribas et Pharisæos: Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. *Matth. XV. 7.* »

## XXXV.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

**Secundo.** — UBI BEATA MARIA VIRGO MONUMENTO FUIT RECONDITA.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XLIV. 13.*

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia, et exsultatione.

**Ps.** *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

℣. Gloria Patri.

℣ *Per totam Octavam Assumptionis B. M. V., loco præcedentis Introitus, dicitur sequens:*

**Introitus.**

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cujus Assumptione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Famulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus; Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur: Qui tecum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXIV. 11.*

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israël hæreditare, et in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

**Graduale.** *Ps. XLIV. 5.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: quia concupivit rex speciem tuam.

Alleluja, alleluja. ℣. Assumpta est Maria in cœlum, gaudet exercitus Angelorum. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Bar. V. 1.* Indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. ℣. Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. ℣. Deus enim ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cœlo est.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum: in quo Rex regum stellato sedet solio. Alleluja. ℣. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt, quæ gloriosa cum Angelis triumphas. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. X. 38.*

In illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

**Offertorium.** Assumpta est Maria in cœlum: gaudent Angeli, collaudantes benedicunt Dominum. Alleluja.

SECRETA.

Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio: quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus. Per eumdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Assumptione.

**Communio.** *Luc. X. 42.* Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.

POSTCOMMUNIO.

Mensæ cœlestis participes effecti, imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster: ut qui Assumptionem Dei Genitricis colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Jamdudum Sedes Apostolica concesserat Missam Assumptionis B. M. V. supra ejusdem Sepulchrum more votivo recitandam.

2. Cum Introitus *Gaudeamus* in Missis votivis sit omittendus, illi subrogatur Introitus, qui in Vigilia Assumptionis B. M. V. reperitur; quia in Vigiliis, uti constat e die VII. Dec. aliisque Missalis Romani locis, textus apte conveniunt Solemnitati insequenti die celebrandæ.

3. Tractus et versiculi pro Temp. Pasch., non e Votiva per annum, sed proprii adjecti sunt; ut vitetur incommodum recurrendi ad Commune pro Missa, quæ habet reliquas partes omnino proprias.

4. Si quæ in duobus num. præcedentibus disseruntur, non omnibus placeant, eligatur Introitus *Salve* et Tractus ac versiculi pro Temp. Pasch. qui in Missis votivis de B. M. V. juxta diversitatem temporis apponuntur.

5. Versiculi pro Temp. Pasch., ex Officio Assumptionis B. M. V. desumpti sunt; quorum tamen si alteruter vel uterque improbetur, recurratur ad versiculos qui num. 7. in hisce adnotationibus apponentur.

6. Alius Introitus: — « *III. Reg. II. 19.* Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. *Ps. XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. »

7. « Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. ℣. Maria Virgo cœlos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum. — *Ex ℣. et ant. ad Magnif. in 2. Vesp. Assumptionis B. M. V.* »

---

## XXXVI.

### APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

### **Tertio.** — UBI CHRISTUS IN AGONIA FACTUS SANGUINEM SUDAVIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LIV. 5.*

Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me: timor, et tremor venerunt super me.

**Ps.** *LXVIII. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in Horto verbo et exemplo nos orare docuisti, ad tentationum pericula superanda: concede propitius; ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. V. 5.*

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

**Graduale.** *Ps. LXXXVII. 4.* Repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquavit. ℣. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXVIII. 25.* Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me, Domine, secundum verbum tuum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXVIII. 17.* Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. ℣. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me ℣. *Ps. XXI. 12.* Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est, qui adjuvet.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. *Ps. CXIV. 3.* Tribulationem, et dolorem inveni: et nomen Domini invocavi. Alleluja. ℣. *Ps. XVII. 7.* Et exaudivit Dominus de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXII. 39.*

In illo tempore: Egressus Jesus ibat, secundum consuetudinem, in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis: et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer

calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

**Offertorium.** *Ps. LXVIII. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

SECRETA.

Hujus sancti Sacrificii meritis; fac nos, quæsumus Domine, divina institutione formatos curam orationi tam efficaciter impendere: ut Jesus Christus filius tuus in exitu nostro vigiles nos, et a culpa solutos inveniat: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Matth. XXVI. 41.* Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

POSTCOMMUNIO.

Refecti alimonia cœlesti, supplices te rogamus, Pater omnipotens: ut per unigeniti Filii tui Orationis virtutem, nos in tantis corporis, et animæ periculis constituti, ad cœlestia regna secure pervenire mereamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa de Passione Domini, inter Communes referenda, huic Sanctuario jam concessa fuit.

2. Edita vero Missa exhibetur a Missali Romano-Seraphico in Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti sub Fer. III. post Dom. Septuagesimæ, et multis abhinc annis in hoc Sanctuario ceu Votiva ex Indulto Summi Pontificis celebratur.

3. Versiculi autem, sive post Graduale per annum, sive pro Temp. Pasch., cum in Missali deficiant neque in Decreto concessionis determinentur, noviter ex aptis Scripturæ textibus compositi sunt.

4. Alii versiculi pro. Temp. Pasch. « Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum. ℣. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. *Ps. CXLI. 2.* »

5. Non pauci textus inveniri possunt in Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, quod in Breviario Romano-Seraphico Fer. III. post Dom. Passionis celebratur.

6. « Dominus non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus. *Job. IX. 16.* »

7. « Circumdederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. ℣. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis. ℣. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. *Ps. XVII. 5.* »

8. « Circumdederunt me dolores mortis: et pericula inferni invenerunt me. *Ps. CXIV. 3.* »

9. « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. *Matth. VI. 6.* »

10. « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Joann. VI. 38.* »

## XXXVII.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

**Quarto.** — UBI CHRISTUS IN AGONIA FACTUS AB ANGELO EST CONFORTATUS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Dan. X. 9. et 18.*

Jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ: et ecce tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me.

**Ps.** *CXIX. 1.* Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: et exaudivit me.

℣ Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Filii tui amarissimam in horto Gethsemani agoniam per Angelum Gabrielem confortare voluisti: concede propitius; ut in omni tribulatione nostra, ipso Angelus faciei tuæ nos benigne consoletur. Per eumdem.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

*Cap. III. 1.*

In diebus illis: Ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini: et satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te, satan: et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem: numquid non iste torris est erutus de igne? Et Jesus erat indutus vestibus sordidis: et stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, et ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad

eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus: et Angelus Domini stabat. Et contestabatur Angelus Domini Jesum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris: tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt: ait Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Ps. CXXXVII. 1.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in conspectu Angelorum psallam tibi. ℣. In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Alleluia, alleluja. ℣. *Ps. XCIII. 19.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ, Deus, lætificaverunt animam meam. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIII. 6.* Accedite ad Dominum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur. ℣. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. ℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XC. 11.* Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Alleluja. ℣. *Ps. XXVI. 14.* Exspecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXII. 41.*

In illo tempore: Jesus in monte Olivarum avulsus est a discipulis suis, quantum jactus est lapidis: et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

**Offertorium.** *Joann. I. 51.* Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.

SECRETA.

Mitte, Domine, Angelum tuum in circuitu timentium te: ut sine timore, ab hostium manibus liberati, jucundam et decoram laudationem tibi Deo nostro concinere valeamus. Per Dominum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Dan. X. 19.* Et dixit ad me Angelus: Noli timere, vir desideriorum: pax tibi, confortare, et esto robustus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos per passionem tuam tantis augere mysteriis dignatus es: per Angelum pacis, et in periculis custodire, et in angustiis confortare digneris: Qui vivis.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens ideo redacta est, ut nova hæc Passionis Christi pars recolatur, ac veneratione habeatur ille Angelus, qui non simplicem hominem, sicut Raphaël Tobiam, sed ipsum Angelorum hominumque Dominum fuit consolatus.

2. Inter diversas Interpretum sententias super Angelo qui Christum in agonia factum confortarit, probabilior videtur opinio illorum, qui id pietatis officium erga Dominum Sancto Gabrieli Archangelo attribuunt. Hæc sentiendi ratio non solum a pluribus Commentatoribus apte defenditur, sed explicite in Breviario Ordinis Prædicatorum per Apostolicam Sedem approbato statuitur, ubi inter cætera elogia, quibus Sanctus Gabriel Archangelus in Hymno honoratur, hoc legitur: **O**ranti Domino nocte novissima, **D**um sudor madidum sanguine conficit, **A**dstas a superis, ut calicem bibat, **A**ssensum Patris indicans.» *Cf. L'Année Liturgique par le R. P. Dom Prosper Guéranger, Le Carême.* Si tamen hoc minime placeat, nomen Gabrielis Archangeli in Oratione potest absque ulla difficultate omitti.

3. Ut Introitus adhibiti convenientia perspiciatur, juvat hic referre quartam et quintam stropham prioris Hymni, qui in Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti recitatur. «IV. **C**um premat tristis pavor ima cordis, **D**eficit languens Dominus: per artus **S**anguis sudor fluit, atque guttis **T**erra madescit. V. **A**t celer summo veniens Olympo, **A**ngelus Jesum recreat jacentem: **C**orpori vires redeunt, novoque **R**obore surgit.»

4. Introitus sic etiam efformari posset. «*Dan. X. 18.* Tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, et dixit: Noli timere, vir desideriorum: pax tibi, confortare, et esto robustus.»

5. Plurimi e priscis Patribus, videlicet Origenes, Justinus Martyr, Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius Magnus, Lactantius, aliique tum veteres tum recentiores Interpretes, verba Zachariæ quibus Epistola conficitur, allegorice explicant de Christo, qui sordidis culpæ vestibus indutus apparuit, et causam nostram adversus diabolum egit. — *Cf. Calmeti et Cornelii a Lapide Comment. super Cap. XIII. Zach.*

6. Si quæ superiori num. 4. dicta sunt, in praxim deducantur, hæc alia pro Communione antiphona assumatur: « Cumque Angelus loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere, quia confortasti me. *Dan. X. 19.* »

7. Secundus pro Temp. Pasch. versiculus efformari posset e loco unde prior, nempe: « Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, dicit Dominus: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. *Ps. XC. 15.* »

8. Evangelium integre sumi posset e Missa sub num. XXXVI. pag. 49. ad locum ubi Christus in agonia factus sanguinem sudavit.

9. « Confortare, et esto robustus: noli metuere, et noli timere; quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæcumque perrexeris. *Jos. I. 9.* »

10. « Manus enim mea, dicit Dominus, auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum. *Ps. LXXXVIII. 22.* »

11. « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. *Nah. I. 7.* »

---

## XXXVIII.

### APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

**Quinto.** — IN HORTO UBI CHRISTUS SÆPE ORANS ET QUIESCENS MORABATUR.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *II. Esdr. I. 6.*

Domine, fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem, quam ego oro coram te, nocte et die, pro filiis Israël servis tuis.

**Ps.** *XVI. 1.* Exaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ad fidelium exemplum, in monte Olivarum assiduis precibus insistere voluisti: da nobis firmam in oratione constantiam; ut pericula, quibus undique premimur, obsecrationis præsidio evadere valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. XXXV. 20.*

Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: et donec propinquet, non consolabitur: et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium: et Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum: et gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum: et sceptra iniquorum contribulet: donec reddat hominibus secundum actus suos, et secundum opera Adæ, et secundum præsumptionem illius: donec judicet judicium plebis suæ, et oblectabit justos misericordia sua. Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

**Graduale.** *Ps. IV. 4.* Filii hominum, scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum. ℣. *Ps. LX. 6.* Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. VI. 12.* Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXVII. 2.* Domine Deus salutis meæ: in die clamavi, et nocte coram te. ℣. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. ℣. Et ego ad te Domine clamavi: et mane oratio mea preveniet te.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XXII. 39.* Egressus Jesus ibat, secundum consuetudinem, in montem Olivarum. Alleluja. ℣. *Cant. V. 1.* Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus meis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXI. 34.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebriate, et curis hujus vitæ: et superveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et omnis

populus manicabat ad eum in templo audire eum.

**Offertorium.** *Joann. XVIII. 1.* Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus.

SECRETA.

Respice, Domine, in faciem Christi tui, qui se pro nobis in propitiationis Victimam tibi jugiter immolat: et orationes nostras, quas in nomine illius præsentamus, benignus exaudi. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joann. XVIII. 2.* Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui supernam in virtutes proficiendi gratiam, per hæc Sacramenta hominibus clargiris: concede famulis tuis; ut robur exinde acceptum, vigilanti oratione, contra hostium insidias integrum usque tueamur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc non respicit ultimam Christi orationem in horto Gethsemani, sed ordinarias, quibus Jesus in eodem loco pernoctans Montis Olivarum, Patrem pro salute hominum enixe precabatur.

2. Specialis autem ea Gethsemani pars, quæ eminentiori nomine Hortus Gethsemani appellatur, nunc muris est undique cincta, et maxima devotione a Catholicis et Schismaticis invisitur, utpote quæ vetustissimas servat oleas, quæ juxta Scriptores de Terræ Sanctæ Locis, saltem ab illis pullularunt olivis, sub quibus Redemptor noster sæpe in oratione pernoctabat.

3. Antiphona ad Missæ Introitum adhibita inservit etiam pro VII. ℟. in Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

4. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: « Intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus. ℣. Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam. *Ps. V. 3.* »

5. Plures etiam textus suppeditare poterit laudatum Officium Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

6. « Christus in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. *Hebr. V. 7.* »

## XXXIX.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

### Sexto. — UBI PETRUS CUM JACOBO ET JOANNE DORMIERUNT ANTE CAPTURAM CHRISTI.

**AD MISSAM.**

**Introitus.** *Ps. LXVIII. 21.*

Improperium exspectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

**Ps.** *Ibid. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in Horto tristis usque ad mortem effectus, nullam in dormientibus discipulis consolationem invenire potuisti: da nobis ex illorum infirmitate robur accipere; ut tecum in oratione vigilantes, et tribulationis tuæ participes, et gloriæ mereamur esse consortes: Qui vivis.

Lectio libri Job.

*Cap. VI. 1.*

In diebus illis: Respondens Job, dixit: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: et calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde et verba mea dolore sunt plena: quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. Quis det ut veniat petitio mea: et quod exspecto, tribuat mihi Deus? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Ecce non est auxilium mihi in me: et necessarii quoque mei recesserunt a me.

**Graduale.** *Thr. I. 21.* Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me:

multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens. ℣. *Job. VII. 11.* Quapropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XIX. 21.* Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me. Alleluja.

℟. *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXVII. 2.* Domine Deus salutis meæ: in die clamavi, et nocte coram te. ℣. Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquavit. ℣. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio.

℟. *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXVI. 40.* Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me? Alleluja ℣. *Luc. XXII. 46.* Quid dormitis? surgite, et orate, ne intretis in tentationem. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVI. 36.*

In illo tempore: Venit Jesus cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, et mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.

**Offertorium.** *Thr. I. 2.* Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eum ex omnibus charis ejus.

SECRETA.

Actio sacrosancta, misericors Deus, mentis nostræ somnum excutiat: ut depulso mortis sopore, a Christo illuminari mereamur: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Marc. XIV. 41.* Dormite jam, et requiescite! sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

POSTCOMMUNIO.

Mensæ cœlestis participatio, Domine Deus, oculos nostræ mentis illuminet: ut per vigilem orationis custodiam, possimus adversum salutis hostes prævalere. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Alius Introitus. — « *I. Reg. XXVI. 12.* Non erat quisquam, qui videret, et intelligeret, et evigilaret; sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. *Ps. LXVIII. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. »

2. Si Introitus num. præcedenti appositus in Missa inducatur, sequens posset adhiberi Tractus: — « *Ps. LXVIII. 2.* Ne avertas, Domine, faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. ℣. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: improperium exspectavit cor meum, et miseriam. ℣. Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni. »

3. Versiculi pro Temp. Pasch. efformati sunt ex VIII. ℟. Feriæ V. in Cœna Domini.

4. Ut Offertorii convenientia dignoscatur, juxta monitum S. Anselmi Episcopi Cantuariensis *Comment. in Cap. V. Epist. ad Hebr.*, pie credendus est Dominus in illa prolixa Oratione lacrymas effudisse. — *Cf. Lect. VI. in Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.*

5. « Tædet animam meam vitæ meæ: loquar in amaritudine animæ meæ. *Job. X. 1.* »

6. « Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. *Thr. I. 12.* »

7. « Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. *Luc. XXI. 36.* »

## XL.

### APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

### Septimo. — UBI CHRISTUS COMPREHENSUS ET LIGATUS FUIT.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Thr. IV. 20.*

Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.

**Ps.** *LXVI. 2.* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione hominum, dilectam animam tuam in manus inimicorum sponte tradidisti: concede propitius; ut qui per capturam tuam sumus a diaboli laqueis erepti, tibi per amoris vincula servire gaudeamus: Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Cap. XVIII. 19.*

Attende Domine ad me, et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ: et viri earum interficiantur morte: juvenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente: quia foderunt foveam, ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

**Graduale.** *Thr. III. 52.* Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis. ℣. *Ps. LXX. 11.* Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum: quia non est, qui eripiat.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. XII. 7.* Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIX. 14.* Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me respice. ℣. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. ℣. Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LVIII. 3.* De viris sanguinum salva me, Deus meus: quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Alleluja. ℣. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XVIII. 1.*

In illo tempore: Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus, et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum: et percussit pontificis servum: et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum com-

prehenderunt Jesum, et ligaverunt eum: et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

**Offertorium.** *Ps. CVIII. 5.* Posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea.

SECRETA.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et nobis superni muneris abundantiam indulge: pro quibus olim vel iniquorum manibus tradi non recusasti: Qui vivis.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Ps. CVIII. 3.* Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: et expugnaverunt me gratis.

POSTCOMMUNIO.

Emunda nos, Domine, per sumpta mysteria ab omni in malum propensione, qua stringimur: ut libertatem, quam nobis tua vincula pariunt, et digne conservemus in opere, et æternis laudibus celebremus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Post Introitum dici posset etiam hic Psalmus: — « *Ps. LVIII. 2.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me. »

2. Præfatio de Cruce videtur esse communis omnibus de Passione Domini Missis, licet remote mysterium Crucis respiciant, aut illud etiam præcedant vel sequantur; et ideo sicut Præfatio illa non dedecet Missam Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti et SS. Sindonis, ita nec repugnare ipsa debet in Missa de Captura Domini aliisque hoc VI. Capite comprehensis.

3. « Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. *Job. XVI. 12.* »

4. « Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit, qui ferret auxilium. *Job. XXX. 13.* »

5. « Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. *Ps. LIII. 5.* »

6. « Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam. ℣. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala. *Ps. LXIX. 3.* »

7. « Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur, cadent, et infirmi erunt ℣. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. *Jer. XX. 11.* »

8. « Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris de medio eorum. *Ezech. III. 25.* »

## XLI.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

### Octavo. — UNDE APOSTOLI POST CHRISTI COMPREHENSIONEM FUGERUNT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXX. 12.*

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde; et timor notis meis: qui videbant me, foras fugerunt a me.

**Ps.** *Ibid. 2.* In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui inter hostium agmina constitutus, ab omnibus discipulis tuis per fugam deseri pertulisti: concede, quæsumus; ut ex Apostolorum infirmitate eruditi, contra tentationum pericula, orationis virtute præmuniamur: Qui vivis.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

*Cap. XIII. 7.*

Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, et deficient: et tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentum: et probabo eos, sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; et ipse dicet: Dominus Deus meus.

**Graduale.** *Ps. LXXXVII. 19.* Elongasti, Domine, a me amicum et proximum, et notos

meos a miseria. ℣. *Ps. XXXVII. 12.* Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXI. 12.* Ne discesseris a me, Domine: quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est, qui adjuvet. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Job. XIX. 13.* Fratres meos longe fecit a me Deus, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. ℣. Dereliquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, obliti sunt mei. ℣. Abominati sunt me quondam consiliarii mei: et quem maxime diligebam, aversatus est me.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur*: Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XXII. 40.* Cum pervenisset Jesus ad locum, dixit discipulis: Orate, ne intretis in tentationem. Alleluja. ℣. Nunc videbitis turbam, quæ circumdabit me: vos fugam capietis, et ego vadam immolari pro vobis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVI. 47.*

In illo tempore: Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribæ et seniores convenerant.

**Offertorium.** *Ps. LXXXVII. 9.* Longe fecisti, Domine, notos meos a me; posuerunt me abominationem sibi: traditus sum, et non egrediebar.

SECRETA.

Panis cœlestis, altaribus tuis Domine offerendus, cor nostrum in Christi charitate confirmet: ut ipsi fideles usque ad mortem permanentes, ab eo coronam vitæ accipere mereamur: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Joann. XVI. 32.* Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis: et non sum solus, quia Pater mecum est. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Quos tibi, Domine Jesu, per hoc amoris Sacramentum, intimius conjungere voluisti: fac mundi consuetudinem fugere, et in tui sequela fortiores usque persistere: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa, ad eumdem Capturæ Domini locum celebranda, recolit specialem Christi dolorem quo fuit affectus, dum ab omnibus discipulis suis se derelictum videret.

2. Priori ex versiculis pro Temp. Pasch. hic subrogari posset: «Pater sancte, quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. *Joann. XVII. 12.*»

3. Verba alterius versiculi pro Temp. Pasch. leguntur etiam in ℣. II. ad Matutinum Fer. V. in Cœna Domini.

4. «Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. ℣. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus. *Job. VI. 13.*»

5. «Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. *Ps. LXVII. 9.*»

6. «Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. *Prov. XIX. 7.*»

7. «Si ergo me quæritis, sinite hos abire; ut impleretur sermo, quem dixit Jesus: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *Joann. XVIII. 8.*»

# XLII.

## APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

## Nono. — UBI CHRISTUS PATREM ORATURUS OCTO EX APOSTOLIS DIMISIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Luc. XXI. 36.*

Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

**Ps.** *LXXVII. 1.* Attendite, populе meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui nobis precandi formam traditurus, in Horto a discipulorum frequentia segregatus orasti: eorumdem nobis interventu concede; ut ad Magistri exemplum, quietem et solitudinem in oratione quæramus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*I. Petr. Cap. V. 5.*

Charissimi: Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide: scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

**Graduale.** *II. Paral. XX. 12.* Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster. ℣. *Ps. XXX. 25.* Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XXII. 40.* Cum pervenisset Jesus ad locum, dixit discipulis: Orate, ne intretis in tentationem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. XVI. 32.* Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. ℣. Et non sum solus, dicit Jesus: quia Pater mecum est. ℣. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. ℣. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXV. 11.* Prætende misericordiam tuam, Domine, scientibus te: et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. Alleluja. ℣. *Joann. XVII. 12.* Pater sancte, quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Marcum.
*Cap. XIV. 26.*

In illo tempore: Jesus cum discipulis suis, hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum.

**Offertorium.** *Gen. XXII. 5.* Exspectate hic: nos illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.

SECRETA.

Domine Iesu, quo præsente firmamur et absente deficimus, intercedentibus Apostolis

tuis, in habitaculum cordis nostri, propitius ingredere: ut ventura super nos mundi tribulatio, de tuo semper munere solidatos inveniat: Qui vivis.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Matth. XXVI. 36.* Venit Jesus cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui Patrem in abscondito oraturus, discipulos abs te loco sejunctos exspectare jussisti: eorum nobis intercessione concede; ut extremum tui regressum per hæc Sacramenta digne præstolantes, in Domini gaudium tunc introire valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Alia Epistola, quæ mysterio hujus Loci satis convenire posset, invenitur in Missali Romano sub Dom. XXI. post Pentecosten.

2. Alter Tractus: «*Joann. XV. 18.* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. ℣. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. ℣. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.»

3. Textus ad conficiendum Offertorium adhibitus, cui additum fuit verbum *nos*, citatur etiam a S. Thoma Aquinate in *Exspos. super Cap. XXVI. S. Matthæi.*

4. Textus sequens locum Offertorii tenere valet: «Ascendens Moyses in montem Dei, senioribus ait: Exspectate hic, donec revertamur ad vos. *Exod. XXIV. 13.*»

5. In præsenti Missa, sicuti et in altera quæ pag. 53. sub num. XXXIX. posita est ad locum ubi Petrus cum Joanne et Jacobo ante Capturam Christi dormiebant, necnon in Missa præcedenti pag. 57. sub num. XLI. ad locum unde Apostoli post Christi comprehensionem fugerunt: in tribus hisce Missis Præfatio, non de Apostolis, sed de Passione Domini præscribitur. Ratio est, quia Missæ partes potius inchoatam Christi Passionem respiciunt, quam Apostolorum cultum, qui et Jesu angustias suæ debilitatis actibus auxerunt.

6. «Anima nostra sustinet Dominum; quoniam adjutor, et protector noster est. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te. *Ps. XXXII. 20.*»

7. «Salus autem justorum a Domino: et protector eorum in tempore tribulationis. ℣. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos: quia speraverunt in eo. *Ps. XXXVI. 39.*»

# CAPUT SEPTIMUM.

## XLIII.

### SUPER MONTEM OLIVETI.

**Primo.** — UBI CHRISTUS FLEVIT SUPER CIVITATEM HIEROSOLYMAM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Thr. II. 11.*

Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei.

**Ps.** *LXXIII. 1.* Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui venturas Jerusalem calamitates mœrenti corde deflevisti: da nobis, ut ab ejus cæcitate alieni, et visitationes tuas fideliter agnoscere, et desideratum inde fructum percipere valeamus: Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Cap. XIV. 17.*

Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua? quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? Exspectavimus pacem, et non est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio. Cognovimus, Domine, impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. Ne des

nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum, Domine Deus noster.

**Graduale.** *Bar. IV. 9.* Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum et filiarum, quam superduxit illis Æternus. ℣. *Isai. XXII. 4.* Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. IX. 1.* Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXVII. 61.* Dominus tradidit in captivitatem virtutem Israël, et pulchritudinem eorum in manus inimici. ℣. Et conclusit in gladio populum suum: et hæreditatem suam sprevit. ℣. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ. ℣. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduæ eorum non plorabantur.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 48.* Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. Alleluja. ℣. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, donec respiceret et videret Dominus de cœlis. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XIX. 41.*

In illo tempore: Cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

**Offertorium.** *Jer. VIII. 7.* Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.

SECRETA.

Converte nos, Deus salutaris noster, et per hujus oblationem Victimæ iram tuam a nobis placatus averte: ut non in pœnis inferni tuam experiamur justitiam, sed in cœli gaudiis misericordiam exaltemus. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Jer. VIII. 18.* Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens: super contritione filiæ populi mei contritus sum, et contristatus; stupor obtinuit me.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui non delectaris in perditionibus nostris, tribue per hæc sancta mysteria duritiam nostri cordis inflecti: ut pœnitentiæ lacrymis præteritorum maculas criminum abluere, et ferventiori charitate amissum tempus redimere studeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Locus, in quo Dominus videns civitatem Jerusalem, flevit super illam, est «in via publica, montem Oliveti ascendendo» uti etiam dicitur in Libello Descriptionis Terræ Sanctæ Franciscani Anonymi Anni MCDXXVII. — *Cf. Ephemerid.* Le Missioni Francescane in Palestina ed in altre regioni della Terra, *ann. 1895. Fasc. 2. pag. 70.*

2. Ad dexterum ejusdem viæ publicæ latus in montem oliveti ascendentium, nunc Patres Franciscani Terræ Sanctæ Cappellam ædificarunt, ubi sæpe dicitur Missa, et ad Celebrantium et Peregrinorum voluntatem quotidie aperta manet. Verum quidem est antiquitus ad sinistrum ibi latus Ecclesiam fuisse ædificatam, quæ postea in Mesquitam conversa fuit; sed cum mysterium, ut supra notabatur, via publica operatum fuerit, omnino indifferens Minoribus visa est electio sive sinistri sive dextri lateris, eo vel magis quia locus, olim ad honorandum mysterium destinatus, e Turcarum manibus redimi per illos non potuerit.

3. Post Introitum recitari etiam possent hi Psalmi: «I°. *Ps. LXXVIII. 1.* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. II°. *Ps. XCIII. 1.* Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.»

4. Altera Epistola efformari posset e verbis Danielis Prophetæ *Cap. IX. 22–27.* «In diebus illis: Locutus est Angelus Gabriel ad Danielem, dixitque: Daniel, nunc egressus sum .... perseverabit desolatio.»

5. Verba Jeremiæ, quibus Offertorium conficitur, etiam a Sancto Gregorio Magno *Homil. Dom. IX. post Pentecosten* mysterio Loci hujus applicantur.

6. «Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum: Domus Israël cecidit, et non adjiciet, ut resurgat. *Amos. V. 1.*»

# XLIV.

## SUPER MONTEM OLIVETI.

## Secundo. — UNDE CHRISTUS VISIBILITER IN CŒLUM ASCENDIT.

℣ *Extra Tempus Paschale, ad Introitum et Offertorium atque Communionem omittuntur* Alleluja.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Act. I. 11.*

Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? alleluja: quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet. Alleluja, alleluja, alleluja.

**Ps.** *XLVI. 2.* Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultationis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede, quæsumus omnipotens Deus: ut qui [hodierna die] Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus; ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem.

℣ *Extra Octavam Ascensionis Domini, omittuntur ad parenthesim verba* hodierna die.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. I. 1.*

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

**Graduale.** *Dan. VII. 13.* Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit. ℣. Et in conspectu ejus obtulerunt eum: et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ephes. IV. 10.* Christus, qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CIII. 1.* Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. ℣. Confessionem et decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento. ℣. Qui ponis nubem ascensum tuum; qui ambulas super pennas ventorum.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XLVI. 6.* Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. Alleluja. ℣. *Ps. LXVII. 18.* Dominus in Sina in sancto, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum

*Cap. XVI. 14.*

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus: et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si morti-

ferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

**Offertorium.** *Ps. XLVI. 6.* Ascendit Deus in jubilatione: et Dominus in voce tubæ. Alleluja.

SECRETA.

Suscipe Domine munera, quæ pro Filii tui gloriosa Ascensione deferimus: et concede propitius; ut a præsentibus periculis liberemur, et ad vitam perveniamus æternam. Per eumdem.

*Præfatio de Ascensione.*

**Communio.** *Ps. LXVII. 33.* Psallite Domino, qui ascendit super cœlos cœlorum, ad Orientem. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Præsta nobis, quæsumus omnipotens et misericors Deus: ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa Ascensionis D. N. J. C. una est ex illis, quæ de Sedis Apostolicæ Indulto jamdudum in Sanctuariis Terræ Sanctæ celebrantur.

2. Ipsa vero Missa cum omnibus *Alleluja*, quibus in die Ascensionis exornatur, edita fuit; et quidem easdem ob causas, quæ in Missa sub num. XXX. pag. 41. ad locum ubi Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, declarantur.

3. Graduale confici etiam posset e duobus versiculis post Epistolam Dom. infra Octavam Ascensionis, atque *Alleluja* et versus sequens accipi ex altero versiculo post Epistolam Dom. V. post Pascha.

4. Alter Tractus. « *Ps. LVI. 10.* Confitebor tibi in populis, Domine: et psalmum dicam tibi in Gentibus. ℣. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. ℣. Exaltare super cœlos, Deus: et super omnem terram gloria tua. »

5. Non pauci textus reperiri etiam possunt in Missa et Officio Ascensionis et respectivæ Vigiliæ ac Dom. infra Octavam ejusdem Festi.

6. « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ. *Ps. XXIII. 7.* » Apponi etiam hic valent reliqua verba usque ad finem Psalmi.

7. « Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. ℣. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, ad Orientem. ℣. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. *Ps. LXVII. 5.* »

8. « Et stabunt pedes Domini in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem. *Zach. XIV. 4.* »

9. « Christus est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, et potestatibus, et virtutibus. *I. Petr. III. 22.* »

## XLV.

### SUPER MONTEM OLIVETI.

**Tertio.**—IN VICULO BETHPHAGE UBI CHRISTUS HIEROSOLYMAM INGRESSURUS SUPER ASINÆ PULLUM ASCENDIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Lev. XXIII. 40.*

Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium: et lætabimini coram Domino Deo vestro.

**Ps.** *LXV. 1.* Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Jesum Christum super pullum asinæ sedere fecisti, et turbas populorum vestimenta vel ramos arborum in via sternere, et Hosanna decantare in laudem ipsius docuisti: da, quæsumus; ut illorum innocentiam imitari possimus, et eorum meritum consequi mereamur. Per eumdem.

Lectio Zachariæ Prophetæ.
*Cap. IX. 9.*

Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli; et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim: et suscitabo filios tuos Sion, super filios tuos Græcia: et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur, jaculum ejus: et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri. Dominus exercituum proteget eos: et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ: et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.

**Graduale.** *Isai. LXII. 11.* Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit. ℣. *II. Esdr. VIII. 15.* Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, et ramos palmarum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLIX. 2.* Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: et filii Sion exsultent in Rege suo. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 24.* Hæc est dies, quam fecit Dominus: exsultemus, et lætemur in ea. ℣. O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. ℣. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis. ℣. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXV. 9.* Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos. Alleluja. ℣. Iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum
*Cap. XXI. 1.*

In illo tempore: Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti: tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi: et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam, et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini.

**Offertorium.** *Gen. XLIX. 10.* Veniet qui mittendus est, et ipse erit exspectatio Gentium: ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam.

SECRETA.

Auge in te sperantium fidem, omnipotens Deus, et supplicum preces clementer exaudi: ut sicut turba cum palmis Domino obviam processit; ita nos eidem cœlesti Regi in animas nostras mirabiliter advenienti, dignis actibus occurere valeamus: Qui tecum.

*Præfatio* Qui gloriaris, *ut in benedictione Palmarum.*

**Communio.** *Isai. LV. 12.* Montes et colles cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manibus: quoniam veniet Dominator Dominus in regnum æternum. Alleluja, alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus noster, te suppliciter deprecamur: ut per Ipsum, cujus nos membra his sacris mysteriis fieri voluisti, de mortis imperio palmam reportantes, illius gloriosæ Resurrectionis participes esse mereamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hac Missa prima Oratio cum Evangelio et Præfatione sumuntur e Missali Romano in benedictione Palmarum, quæ ex precibus quibus ipsa constat, videtur olim habuisse Missam propriam. — *Cf. Comp. Bibl. Liturg. P. Aloysii de Carpo, part. 3. num. 139.*

2. Ultimus versiculus in Tractu, si difficultates excitare possit ob nimiam relationem cum populi Judaici Festo Tabernaculorum, adimatur.

3. Communio Missæ nihil aliud est, quam antiphona IV. in Laudibus Dom. II. Adventus recitanda.

4. Multi alii textus mutuari possunt e Missali Romano in benedictione Palmarum sub Dom. ejusdem nominis.

5. « Ex ore infantium et lactentium, Deus, perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. *Ps. VIII. 3.* »

6. « Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum. *Ps. LXI. 9.* »

7. « Lætentur cœli, et exsultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. ℣. Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram. ℣. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. *Ps. XCV. 11.* »

8. « Date nomini Domini magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis. *Eccli. XXXIX. 20.* »

9. « Laudate cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus et omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, et Israël gloriabitur. *Isai. XLIV. 23.* »

10. « Laudate cœli, et exsulta terra, jubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. *Isai. XLIX. 13.* »

11. « Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. *Zach. XIV. 9.* »

---

# CAPUT OCTAVUM.

## XLVI.

APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

### Primo. — IN DOMO SIMONIS LEPROSI UBI MARIA MAGDALENA UNXIT CHRISTUM UNGUENTO.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Matth. XXVI. 13.*

Amen, dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc mulier fecit in memoriam ejus.

**Ps.** *CVIII. 2.* Deus, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Mariæ Magdalenæ in te recumbentem obsequia, glorioso per universum mundum nomine divulgasti: concede nobis eadem recolentibus; ut per bona opera, odorem notitiæ tuæ in omni loco manifestare valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. I. 1.*

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

**Graduale.** *Ps. XX. 6.* Magna est gloria ejus in Salutari tuo, Domine: gloriam et magnum decorem impones super eam.

℣. *Prov. X. 7.* Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXIII. 3.* In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur :*

**Tractus.** *Ps. XXXVI. 4.* Delectare in Domino : et dabit tibi petitiones cordis tui. ℣. Revela Domino viam tuam, et spera in eo : et ipse faciet. ℣. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur :* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIV. 30.* Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt. Alleluja. ℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, dicit Dominus. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. XIV. 3.*

In illo tempore : Cum esset Jesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet : venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ? Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis ? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis. Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

**Offertorium.** *Ps. XXIX. 11.* Audivit Dominus, et misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.

SECRETA.

Exempla beatæ Mariæ Magdalenæ, quæsumus Domine, socordiam nostram ad virtutis cultum inflamment : ut mysticis odoramentis Filius tuus suaviter attractus, per amoris Mysteria, stabilem in cordibus nostris ponat mansionem : Qui tecum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Eccli. XLIX. 1.* Memoria illius in compositionem odoris : in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in hac cœlesti refectione salutarem peccantibus medelam providisti : concede, beatæ Mariæ Magdalenæ interveniente suffragio ; ut contra mortis contagium, infirmitas nostra hoc salutis unguento rite muniatur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hac Missa et in altera sub num. XLVIII. pag. 67., nomini Mariæ additur cognomen *Magdalenæ*, juxta sententiam quam sequitur Breviarium Romanum in Officio sub die XXII. Julii apposito ; ubi textus assumpti clare indicant unam eamdemque personam esse mulierem peccatricem, sororem Lazari, Mariam Magdalenam, et fœminam quæ biduo ante Pascha in domo Simonis leprosi Bethaniæ Christum inunxerat.

2. In Epistola omissus est textus, qui versiculis 7, 8, 9, 10 et 13 in Cap. I. Cant. legitur. Ipsa vero compleri quoque posset ad versiculum 11. inclusive, et addi, si placeat, textus qui supra omissus fuerat ; sicuti etiam in Epistolæ decursu nulla interruptio admitti.

3. Evangelium, quod in Missa sub num. L. pag. 70. familiæ Sancti Lazari assignatur, etiam in hoc Sanctuario videtur posse recitari ; sed hic assumptum non fuit tum ad varietatem inducendam, tum quia non desunt qui cœnam a Matthæo et Marco enarratam, aliam esse velint a cœna per Joannem descripta. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 247-248., necnon sacræ Scripturæ Interpretes.*

4. Si una igitur eademque sit unctio per tres Evangelistas relata, textus sequens locum Communionis seu potius primi versiculi Gradualis tenere valet : « Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis. *Joann. XI. 2.* »

5. Secreta, quam Missale Romanum exhibet in Festo S. Mariæ Magdalenæ sub die XXII. Julii etiam in hac Missa usurpari convenienter posset.

6. Præfatio communis in Missa præscribitur, quia textus magis respiciunt Mariam Magdalenam, quam Christum ; sed posset etiam ordinari Præfatio de Nativitate Domini, ob relationem quam semper ad Jesum habere perspicitur.

7. « Fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat. *Esth. IX. 4.* »

8. « Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur, et erubescant valde velociter. *Ps. VI. 11.* »

9. « Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. *Ps. XLIV. 9.* »

# XLVII.

APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

## Secundo. — IN DOMO SANCTÆ MARTHÆ VIRGINIS.

*MISSA DE SANCTO LAZARO EJUS FRATRE.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XVII. 27.*

Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius.

**Ps.** *XXXIII. 2.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in amico tuo Lazaro et ineffabilis charitatis abundantiam, et divinæ virtutis gloriam ostendere voluisti; da, ipso pro nobis interveniente; ut per observantiam eorum quæ præcipis, et amicitiam tuam in hoc sæculo, et gloriam participemus in futuro: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. II. 3.*

Fili, sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi: et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum: et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

**Graduale.** *Jer. XVII. 7.* Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. ℣. *Eccli. XLV. 9.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas Paradisi coronavit eum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLVIII. 11.* Beati sunt, Domine, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XC. 14.* Quoniam in me speravit, liberabo eum, dicit Dominus: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. ℣. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum. ℣. Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi Salutare meum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXIII. 5.* Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo Salutari suo. ℣. *Jac. II. 23.* Credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Joannem.

*Cap. XII. 9.*

In illo tempore: Cognovit turba multa ex Judæis quia Jesus Bethaniæ est: et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam: acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus,

tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo: et hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

**Offertorium.** *Rom. IX. 17.* In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra.

SECRETA.

Votis dilectissimæ Sponsæ tuæ, Domine Jesu Christe, per intercessionem beati Lazari, te facilem præsta: ut fugato mentis torpore, in corda filiorum, sancti amoris flammam excitaturus, advenias: Qui vivis.

*Præfatio Communis.*

**Communio.** *Joann. XIV. 21.* Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Hujus medela Sacramenti, Deus omnipotens, quam morbis animi avertendis, curandisque institutam novimus, intercedente beato Lazaro, totum in nobis explicet vigorem: ut per eam, et sempiternæ mortis incursum effugere, et perfectam de illatis vulneribus sanitatem sperare valeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem Sancti Lazari composita fuit, et illum ante et postquam a Christo revocatus fuit a monumento, specialiter considerat.

2. Alter Tractus. — « *Ps. XX. 2.* Domine, in virtute tua lætabitur justus: et super Salutare tuum exsultabit vehementer. ℣. Desiderium animæ ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. »

3. Versus secundus Gradualis sumitur e ℟. VII. de Communi Conf. Pontif.; sed etiam e textibus inferius apponendis confici ille posset.

4. « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus suum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. *Ps. VI. 3.* »

5. « Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab exspectatione mea. *Ps. CXVIII. 116.* » — Hic textus dici posset ad *Alleluja* post Graduale, si appositus non placeat, quod addita ei fuerit vox *Domine.*

6. « Vivet anima mea, et laudabit te: et judicia tua, Domine, adjuvabunt me. *Ps. CXVIII. 175.* »

7. « In timore Domini esto tota die: quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Prov. XXIII. 17.* »

8. « In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui. *Isai. XLIX. 8.* »

9. « Rex fecit eum amicum suum, et glorificavit eum gloria magna *I. Mach. XIV. 39.* »

## XLVIII.

APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

### Tertio. — IN DOMO SANCTÆ MARTHÆ VIRGINIS.

*MISSA DE SANCTA MARIA MAGDALENA EJUS SORORE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ruth. II. 13.*

Invenì gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ.

**Ps.** *XXIV. 1.* Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede fidelibus tuis, Domine Jesu, per intercessionem beatæ Mariæ Magdalenæ, temporalium curas bonorum meditationi cœlestium postponere: ut corde bono et optimo auditum verbum tuum retinere, et fructum in patientia ferre valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 1.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me

floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

**Graduale.** *Thr. III. 24.* Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum. ℣. Bonus est Dominus sperantibus in eum: animæ quærenti illum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLI. 6.* Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXII. 25.* Quid enim mihi, Domine, est in cœlo? et a te quid volui super terram? ℣. Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. ℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. III. 4.* Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Alleluja. ℣. *Ibid. V. 6.* Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam.
*Cap. X. 38.*

In illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

**Offertorium.** *Cant. II. 14.* Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

SECRETA.

Actio veneranda, misericors Deus, omnes mentis cogitationes et cordis absorbeat affectus: ut cum beata Maria Magdalena vocem dilecti pulsantis audire, et supernæ unioni congruenter disponi valeamus. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Deut. XXXIII. 3.* Omnes sancti in manu Domini sunt: et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

POSTCOMMUNIO.

Divinitatis semen, Deus omnipotens, quod animabus nostris per hæc Sacramenta infundere voluisti, intercedente beata Maria Magdalena, suos in nobis afferat fructus: ut supernis rebus unice intenti, jam in terris illa vita inchoëtur, quæ in cœlis de veritatis visione perficitur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missæ hujus objectum, uti ex Evangelio præsertim constat, est Sancta Maria Magdalena, quæ a Christo laudatur optimam suscepisse partem in audiendo verbum Domini.

2. Alter Tractus: «*Ps. XXXVI. 4.* Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. ℣. Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet. ℣. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.»

3. Textus sequens inservire posset ad Offertorium conficiendum, si quod supra positum fuit, utpote sermonem sacri Canticorum sponsi referens et non sponsæ, rejiciendum videatur. «Inventi sunt sermones tui, Domine, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei. *Jer. XV. 16.*»

4. «Sapientia enim et disciplina timor Domini: et quod beneplacitum est illi, fides, et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. *Eccli. I. 34.*»

5. «Intrans in domum meam, conquiescam cum Sapientia: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. *Sap. VIII. 16.*»

6. «Ego autem in te speravi, Domine; dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ. *Ps. XXX. 15.*»

7. «Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. *Eccli. XXIV. 30.*»

8. «Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. *I. Cor. VI. 17.*»

9. «Non contemplemur nos quæ videntur, sed quæ non videntur. ℣. Quæ enim videntur temporalia sunt quæ autem non videntur, æterna. *II. Cor. IV. 18.*»

# XLIX.

APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

## Quarto. — IN DOMO SANCTÆ MARTHÆ VIRGINIS.

*MISSA IPSIUS SANCTÆ MARTHÆ.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XXIV. 12.*

Præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui diligentes te diligis, da nobis intercedente beata Martha, quam mansione et alloquio tuo sublimare voluisti: ut ejus in te charitatem ac fidem æmulantes, in oculis tuis gratiam inveniamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Sap. Cap. VIII. 9.*

Proposui ergo Sapientiam adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. Præterea habebo per hanc, immortalitatem: et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione Sapientiæ, et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.

**Graduale.** *Apoc. II. 19.* Hæc dicit Filius Dei: Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam. ℣. *Luc. XVII. 8.* Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XIV. 23.* Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. C. 1.* Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine. ℣. Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me. ℣. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XII. 26.* Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Alleluja. ℣. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, dicit Dominus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. X. 38.*

In illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

**Offertorium.** *Job. XXXI. 32.* Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

SECRETA.

Infunde nobis, omnipotens Deus, firmam in tuo sancto servitio voluntatem: ut in dilectione radicati et fundati, quem Martha excepit in domum suam, nos in cordibus nostris per fidem habitare faciamus: Qui tecum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Sap. VIII. 3.* Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui per hæc veneranda dilectionis pignora, consolationem æternam et spem bonam in gratia sumentibus promisisti: concede nobis, beatæ Marthæ hospitæ tuæ meritis gloriosis; ut in omni opere et sermone optimo hisce subsidiis confirmati, in æterna tabernacula recipi mereamur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missæ hujus testimonia respiciunt Martham Christo in ejus ædibus hospiti ministrantem.

2. In quibusdam Missalibus Mechliniæ editis, inter Festa pro aliquibus Locis, invenitur etiam Missa propria Sanctæ Marthæ Virginis, cujus textus, et præcipue Epistola *Eccli. Cap. XXVI. 17-24.* introduci in hanc Missarum collectionem possent. Exinde jam ultima Introitus verba huc translata sunt.

3. Verba *in habitatione sancta,* atque *et patientiam tuam,* in Introitu et Graduali respective occurrentia, omitti possent.

4. Textus infra positus locum tenere posset secundi versiculi in Graduali, sive etiam Offertorio substitui. «Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. *Apoc. III. 20.*»

5. «Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israël. *Ruth. II. 12.*»

6. «Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. *Judith. VIII. 29.*»

7. «Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philip. IV. 6.*»

8. «Audio charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos. ℣. Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. ℣. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te. *Philem. I. 5.*»

## L.

APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

## Quinto. — IN DOMO SANCTÆ MARTHÆ VIRGINIS.

*MISSA COMMUNIS FAMILIÆ SANCTORUM LAZARI ET MARTHÆ AC MARIÆ.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. C. 6.*

Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

**Ps.** *CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in terris conversatus, in domo Lazari et sororum ejus hospitari dignatus es: præsta, quæsumus; ut cum Lazaro in novitate vitæ ambulantes, te in tuis cum Martha pascere, et abs te cum Maria verbi meditatione pasci mereamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXXIV. 14.*

Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.

**Graduale.** *Ps. LXIX. 5.* Exsultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te; et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt Salutare tuum. ℣. *Ps. IX. 11.* Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XI. 5.* Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. ℣. Ut eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame.

℣. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXV. 34.* Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Alleluja ℣. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XII. 1.*

Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est: et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

**Offertorium.** *Joann. XVI. 26.* Non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. Alleluja.

SECRETA.

Deus, qui delicias tuas esse cum filiis hominum ostendere voluisti: da nobis, intercedente amico tuo Lazaro ejusque sororibus Martha et Maria; ut eorum virtutes æmulantes, tecum ad propositam nobis mensam digne assidamus: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Joann. XVII. 8.* Verba, quæ dedisti mihi, Pater, dedi eis: et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.

POSTCOMMUNIO.

Mensæ cœlestis illuminatio, misericors Deus, ab oculis cordis nostri, mundanas tenebras avertat: ut protestationibus tuis inhærentes; Ei, quem Lazarus cum Martha et Maria visibilem honoravere, nos in persona pauperum abscondito servire gaudeamus: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. « In domo Sanctæ Marthæ Virginis quatuor Missæ statuuntur celebrandæ: primæ quidem tres de Sanctis Lazaro, Maria Magdalena, ac Martha; et ultima de omnibus personis familiam illam componentibus. Hoc autem idcirco factum est, tum ut singulis Sanctis qui domum ipsam incoluerunt, virtutibusque sanctificarunt, ibique Christum hospitati sunt, distinctus tribueretur honor; tum etiam ut Sacerdotes, qui temporum angustiis pressi nequeunt singillatim omnes illos Domini amicos venerari, possint unica Missæ celebratione totam familiam debito honore prosequi. Hæc agendi ratio, quam ipsa S. R. C. in concessione Officii Sanctæ Familiæ Domini videtur quodammodo approbasse, in decursu hujus operis serbabitur, quoties Sancti rabionabiliter et congrue simul valeant pro aliquibus Locis conjungi. »

2. Post Introitum, ultra proprium seu *C.*, subjici etiam possent hi Psalmi. « I° *Ps. LXXII. 1.* Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde! II°. *Ps. CXXXIII. 1.* Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. »

3. In hac Missa Epistola e verbis, quæ in III. Lectione primi Nocturni de Communi Conf. non Pontif. secundo loco apponuntur, confecta est.

4. Neque etiam repugnaret assumi Epistola e *Cap. II. 7-13.* et *18-21.* in eodem libro Ecclesiastici.

5. In quatuor Missis præcedentibus et in sequenti edicitur Præfatio communis, quia personæ illæ de quibus agitur in Missa, cultu publico donati sunt in Ecclesia; secus atque fit in aliis casibus, in quibus cum personæ in Evangelio memoratæ cultu ecclesiastico non recolantur, sæpius ad Christum Dominum unice diriguntur Missæ, quarum propria et communis est Præfatio de Nativitate. Sed hæc aliaque, salvo meliori judicio.

6. « Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia. *Ps. LXVII. 4.* »

7. « Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet. *Ps. CXLIV. 20.* »

8. « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. *Sap. V. 5.* »

9. « Miserunt ergo sorores Lazari ad Jesum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmitatur. *Joann. XI. 3.* »

10. « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. ℣. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. ℣. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joann. XV. 14.* »

## LI.

### APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

### Sexto. — IN MONUMENTO A QUO CHRISTUS REVOCAVIT LAZARUM QUATRIDUANUM.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXX. 20.*

Conversus vivificasti me, Domine, et de abyssis terræ iterum reduxisti me: multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.

**Ps.** *Ibid. 1.* In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me, et eripe me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ostensurus te vitæ ac mortis habere potestatem, quatriduanum Lazarum ab inferis excitasti: concede votis hæc signa memorantium; ut justi in superna gratiæ vita roborentur, et peccatores ad illam in tua virtutis voce resurgant: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. LI. 1.*

Confitebor tibi Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione. Et liberasti me, secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: de altitudine ventris inferi. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt: quoniam eruis sustinentes te Domine, et liberas eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

**Graduale.** *Ps. XXVII. 7.* Dominus adjutor meus, et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adjutus sum: et refloruit caro mea. ℣. *Ps. III. 6.* Ego dormivi, et soporatus sum: et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. IX. 15.* Exaltas me, Domine, de portis mortis: ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIX. 3.* Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. ℣. Domine, eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum. ℣. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXV. 12.* Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in æternum. Alleluja. ℣. Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XI. 1.*

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, et Marthæ sororis ejus. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur). Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes; Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et

Lazarum. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis: Lazarus, amicus noster, dormit; sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putáverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est: et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.) Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha. Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te. Illa, ut audivit, surgit cito, et venit ad eum: nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. ¶ Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum, et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide. Et lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca; et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum, et sinite abire. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

**Offertorium.** *Job. XIV. 15.* Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum, Domine, porriges dexteram.

SECRETA.

Exaudi nos, Domine, per hostias et preces tuam peccatoribus misericordiam implorantes: ut ad Lazari exemplum, voce tua interius a morte excitati, ab omnibus etiam culparum vinculis liberentur: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Ps. LV. 13.* Eripuisti, Domine, animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui ineffabili virtute quatriduanum Lazarum a mortuis revocasti: adjuva quæsumus infirmitatem nostram; ut corporis et sanguinis tui digna participatione vitam habeamus æternam, et in novissimo die ad gloriam per te resuscitari mereamur: Qui vivis.

℣ *In Missis votivis extra Feriam VI. post Dominicam Passionis, ac Festa Sanctorum Lazari, Mariæ Magdalenæ, et Marthæ celebrandis, Evangelium pro Sacerdotum lubitu, inchoari potest ab hoc signo* ℣, *in Evangelii textu superius interposito; nempe:*

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XI. 32.*

In illo tempore: Maria, cum venisset, *et reliqua, ut supra ponitur.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In diœcesi Massiliensi, Fer. VI. post Dom. IV. Quadragesimæ, peculiare celebratur Festum de Resuscitatione Sancti Lazari, cujus historia in Evangelio legitur ipsius diei. Quare, si textus in superiori Missa delecti et Epistola præsertim non admodum placeant, ad Officium illud recursus haberi potest, unde jam antiphona Offertorii translata huc fuit. Idem et præstari valet circa omnes Missas in hoc VIII. Capite comprehensas, si respectivi Sancti de quibus agitur supra, in ipsa Diœcesi aut alibi Officium et Missam habeant propria.

2. Alter Tractus. « *Ps. LXV. 8.* Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus. ℣. Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos. ℣. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. ℣. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. »

3. Evangelium, extra dies illos quibus totum ab Ecclesia legitur vel conveniens est integrum dici, inchoari permittitur a verbis unde Evangelista proprie de Sepulchro Lazari suscipit agere, quin tamen universa prohibeatur historia miraculi iis Sacerdotibus, qui factum illud plene maluerint percurrere.

4. Missa, quæ sub num. XLVII. pag. 66. in honorem ejusdem Sancti Lazari in domo Marthæ statuitur celebranda, plures habet textus huic etiam Missæ convenientes.

5. « In manu Domini anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis. ℣. Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. *Job. XII. 10.* »

6. « Sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. ℣. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. *Jon. II. 7.* »

7. « Consurgam, cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. *Mich. VII. 8.* »

8. « Amen, amen dico vobis: Quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. *Joann. V. 25.* »

9. « Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum Jesu, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. *Joann. XII. 17.* »

10. « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. *Eph. V. 14.* »

## CAPUT NONUM.

## LII.

### IN PEREGRINATIONE AD FLUMEN JORDANIS.

### Primo. — UBI CHRISTUS QUADRAGESIMALE EGIT JEJUNIUM.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXIV. 13.*

Ego autem, cum mihi molesti essent inimici, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

**Ps.** *Ibid. 1.* Judica, Domine, nocentes me: expugna impugnantes me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui in Filii tui Quadragesimali Jejunio, exemplum nobis et præsidium collocasti: effice propitius; ut solitudinis, orationis ac pœnitentiæ operibus cum Christo jugiter intenti, possimus de triplici salutis hoste victoriam obtinere. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. II. 10.*

Fratres: Decebat enim Jesum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, et pueri mei, quos de-

dit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.

**Graduale.** *Deut. IX. 9.* Perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. ℣. *Ps. LIV. 8.* Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 28.* Sedebit solitarius, et tacebit: quia levavit super se. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Deut. IX. 18.* Procidi ante Dominum, quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. ℣. Propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. ℣. Timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus est: et exaudivit me Dominus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluia, alleluja. ℣. *Hebr. IV. 15.* Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Alleluja. ℣. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IV. 1.*

In illo tempore: Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane: et agebatur a Spiritu in desertum diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: et consummatis illis, esuriit. Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; et cui volo, do illa. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te: et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo.

**Offertorium.** *Eccli. II. 1.* Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.

SECRETA.

Deus, qui fragilitatem nostram acriori certamine noscis cum tentatore confligere: concede propitius; ut robur, quod e nobis ad legitimam pugnam habere non possumus, in hujus mensæ avida participatione quæramus. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Judith. IV. 12.* Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis alimonia, quam sumpsimus Domine, totum hominem a terrenis pabulis indesinenter avertat: ut ad accipiendam vitæ coronam, et corpus impleat de castigatione militiam, et animus impetret de humiliatione victoriam. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Tractus, qui ponitur in sequenti Missa sub num. LIII. pag. 76., etiam in præsenti usurpari posset, nisi varietatis et distinctionis ratio plurimi habenda foret.

2. In libro Ecclesiastici *Cap. II. 1.* unde Offertorii textus est assumptus, citatur veluti locus parallelus *Cap. IV. 1.* Matthæi, ubi agitur de jejunio ac tentationibus Christi.

3. Locum Communionis hæc alia antiphona tenere valet: «Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a vobis: appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. *Jac. IV. 7.*»

4. «Fuit ergo Moyses in monte cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes: panem non comedit, et aquam non bibit. *Exod. XXXIV. 28.*»

5. «Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar. *Deut. IX. 25.*»

6. «Ego autem steti in monte quadraginta diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus. *Deut. X. 10.*»

7. «Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam *Joann. XIV. 30.*»

8. «Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. *I. Cor. X. 13.*»

9. «Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut. VIII. 3.*»

10. «Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. *Deut. VI. 13.*»

11. «Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco Tentationis. *Deut. VI. 16.*» — Tribus postremis testimoniis usus est Christus ad repellendas diaboli tentationes.

---

## LIII.

### IN PEREGRINATIONE AD FLUMEN JORDANIS.

### **Secundo.** — UBI ANGELI ACCEDENTES MINISTRABANT CHRISTO POST ILLIUS TENTATIONES.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CII. 20.*

Benedicite Domino, omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

**Ps.** *Ibid. 1.* Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui unigenito Filio tuo, post repulsas diaboli tentationes, Angelos pacis ministrare jussisti: largire supplicum votis; ut eorum, quos instantis pugnæ custodes accepimus, immortalis triumphi mereamur esse consortes. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. I. 4.*

Fratres: Christus tanto melior Angelis est effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?

**Graduale.** *Marc. I. 12.* Spiritus expulit Jesum in desertum: et erat ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. ℣. Et tentabatur a Satana; eratque cum bestiis, et Angeli ministrabant illi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CII. 21.* Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CX. 11.* Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Super aspidem, et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLVIII. 2.* Laudate Dominum, omnes Angeli ejus: laudate eum, omnes virtutes ejus. Alleluja. ℣. *Ps. XXXIII. 8.* Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos. Alleluja.

℣ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. IV. 1.*

In illo tempore: Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus: et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.

**Offertorium.** *Zach. III. 1.* Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini: et satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.

SECRETA.

Altari tuo ministrantes, clementissime Deus, perenni Angelorum coram te assistentium ope circumtege: ut ab insidiis hostium per illos securi, sacrificium laudis tibi lætanter immolemus. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joann. I. 51.* Amen, amen dico vobis: Videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.

POSTCOMMUNIO.

Acceptum vitæ pignus, misericors Deus, ut salutis hæreditatem nobis acquirat: fac nos per Angelos, quos in ministerium nostrum missos agnoscimus, in omnibus viis fideliter custodiri. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa, in eodem Sanctuario Quadragesimalis Jejunii D. N. J. C. celebranda, considerat ipsum Dominum, et Angelos qui eidem post repulsas diaboli tentationes ministrabant.

2. Missa, quæ sub num. XXXVII. pag. 50. ponitur ad locum ubi Christus in agonia factus ab Angelo est confortatus, talem habet Epistolam, quæ etiam in Missa præsenti congrue posset adhiberi.

3. Si quæ superiori num. dicta sunt in praxim deducantur, altera antiphona pro Offertorio ex textibus infra positis assumatur.

4. Quum de mysterio Dominici Jejunii hæc Missa participet, convenientur in illa edicitur Præfatio de Nativitate, juxta regulam, quæ in similibus casibus hucusque servata fuit.

5. «Adorate Dominum, omnes Angeli ejus: audivit, et lætata est Sion. *Ps. XCVI. 7.*»

6. «Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in conspectu Angelorum psallam tibi *Ps. CXXXVII. 1.*»

7. «Benedicite Angeli Domini, Domino: laudate, et superexaltate eum in sæcula. *Dan. III. 58.*»

8. «Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. *Dan. VII. 10.*»

## LIV.

IN PEREGRINATIONE AD FLUMEN JORDANIS.

**Tertio.** — UBI CHRISTUS A PRÆCURSORE BAPTIZATUS FUIT.

*MISSA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. II. 7.*

℣ Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

**Ps.** *Ibid. 1.* Quare fremuerunt gentes: et populi meditati sunt inania?

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui in glorioso Filii tui Baptismate, naturam nostram a sor-

dibus tersam, ad te mirabiliter elevasti: da nobis ita regenerationis nostræ primordia in Christo venerari; ut divinæ naturæ in illo participes effecti, sublimem hanc dignitatem congruis actibus honoremus. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Cap. V. 5.*

Charissimi: Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

**Graduale.** *Ps. XCV. 6.* Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus. ℣. *Ps. XCVII. 2.* Notum fecit Dominus Salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Alleluja, alleluja. ℣. In columbæ specie Spiritus sanctus visus est; paterna vox audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXVIII. 2.* Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. ℣. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas. ℣. Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in æternum. ℣. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XVII. 14.* Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam. Alleluja. ℣. *Luc. III. 22.* Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. III. 13.*

In illo tempore: Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua; et ecce aperti sunt ei cœli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

**Offertorium.** *Matth. XII. 18.* Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: ponam Spiritum meum super eum.

SECRETA.

Munera, Domine, quæ in memoriam admirabilis Baptismi Filii tui, lætanter offerimus, ille nobis apud clementiam tuam reddat salubria et accepta: quem, immissione Spiritus sancti ac paterna voce, singulariter tibi placuisse monstrasti: Qui tecum... in unitate ejusdem.

*Præfatio de Epiphania.*

**Communio.** *Ps. XLV. 5.* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Concede famulis tuis, Domine Deus, per hujus Sacramenti virtutem, contra omnem hostis incursum fortiores exsistere: ut januam regni cœlestis, quam nobis in Baptismate Filii tui misericorditer reserasti, victores demum introire valeamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Jamdiu ab Apostolica Sede impetratum fuerat Indultum, quo celebrari posset in hoc Sanctuario Missa de Octava Epiphaniæ, cujus testimonia, si Evangelium et Orationum aliquæ excipiantur, ad Magorum potius adorationem quam ad Christi Baptismum sunt referenda. Nova igitur Missa, et mysterio Loci magis accommodata, convenienter apponitur.

2. Plura, quæ in Epistolæ decursu et in Tractu occurrunt, per Patres et Doctores ad Christi Baptismum applicantur.

3. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale e ℟. II. in Festo Epiphaniæ acceptus fuit.

4. In hac Missa, et in altera quæ immediate istam sequitur, posita est Præfatio de Epiphania Domini: in priori quidem, quia Baptismus Christi, in die Epiphaniæ cum aliis duobus mysteriis cultus, talem habet Præfationem; in posteriori autem, quia Missa Præcursoris de mysterio Dominici Baptismatis participat, obque illud inibi celebratur.

5. Quamvis textus Communionis mysterio hujus Loci applicetur in antiphona II. ad Matutinum Epiphaniæ, possent tamen illi hæc testimonia subrogari: «I° Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt a conspectu Domini: quoniam venit judicare terram. *Ps. XCVII. 8.*» II° «Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: et dabo vobis cor novum, et spiritum meum ponam in medio vestri. *Ezech. XXXVI. 25.*»

6. Marcus et Lucas ac Joannes Evangelistæ plures suppeditare possunt textus, iis locis ubi de Christi Baptismate agunt.

7. «Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia. *Job. XXXVII. 5.*»

8. »Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. *Ps. LXXI. 8.*»

9. «Pater enim diligit filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. *Joann. V. 20.*»

10. «Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. *Joann. VIII. 18.*»

## LV.

### IN PEREGRINATIONE AD FLUMEN JORDANIS.

### Quarto. — UBI CHRISTUS A PRÆCURSORE BAPTIZATUS FUIT.

*MISSA IPSIUS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XLIX. 5.*

Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum: et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea.

**Ps.** *IX. 2.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Joanni prophetarum maximo tribuisti et Unigenitum tuum aquis tingere Jordanis, atque illius gloriam cœlitus declaratam agnoscere: da nobis, ut egregia Præcursoris acta imitantes; valeamus in Spiritu sancto venerabilium Jesu mysteriorum intelligentiam assequi, et fructum obtinere. Per eumdem.... in unitate ejusdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. XLV. 1.*

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius, sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israël.

**Graduale.** *Eccli. XLVII. 9.* In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ. ℣. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. X. 41.* Joannes quidem signum fecit nullum: omnia autem quæcumque dixit de Jesu, vera erant. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Eccli. XLVI. 17.* In fide sua probatus est propheta: et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis. ℣. Et intonuit de cœlo Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam. ℣. Et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, et Christi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. III. 20.* Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Alleluja. ℣. *Matth. III. 14.* Joannes autem prohibebat Jesum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. I. 29.*

In illo tempore: Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi:

Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi: et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.

**Offertorium.** *Act. XIX. 4.* Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum.

SECRETA.

Agnus immaculatus, quem Joannes et futurum nuntiavit, et præsentem aqua intinxit baptismatis, quæsumus Pater omnipotens, nostrorum criminum maculas tergat: ut emundati ab omni inquinamento carnis ac spiritus, possimus nostræ salutis mysteria digne frequentare. Per eumdem.

*Præfatio de Epiphania.*

**Communio.** *Ps. LXX. 14.* Ego autem adjiciam super omnem laudem tuam, Domine: os meum annuntiabit justitiam tuam; tota die Salutare tuum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Hujus efficacia Sacramenti, Domine Deus, intercedente beato Joanne Baptista, in mentibus nostris fidei obedientiam operetur: ut documenta dilecti Filii tui promptius exsequentes; divinæ filiationis jura, quæ illi naturaliter sunt propria, fiant servulis participatione communia. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Alter versiculus pro Temp. Pasch. confici bene posset e loco, unde prior; nempe: «Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. *Eccli. III. 21.*»

2. Alter Tractus.—«*Ps. XX. 4.* Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.»

3. Evangelium in Missa positum legitur ab Ecclesia in die octava Epiphaniæ Domini, in qua specialius recolitur Baptisma Christi, quod in die Festo simul cum duobus aliis mysteriis confusim celebratum fuerat.

4. Aliud Evangelium, vel saltem plures textus, mutuari possent e *Cap. I. 15-28.*, aut e *Cap. III. 23-36. Joann.*, locisque parallelis, et ubi agitur de prædicatione Joannis et Baptismo Christi.

5. «De cœlo te fecit audire Deus vocem suam, ut doceret te: et audisti verba illius. *Deut. IV. 36.*»

6. «Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam, plusquam factus sum: et ero humilis in oculis meis, et gloriosior apparebo. *II. Reg. VI. 21.*»

7. «Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, dicit Dominus. *Matth. X. 32.*»

8. «Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. *Luc. XIV. 11.*»

9. «Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. ℣. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. ℣. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. *Joann. I. 6.*»

10. «Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. *Joann. I. 15.*»

# CAPUT DECIMUM.

## LVI.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Primo. — IN LOCO UBI SANCTUS HIERONYMUS VACABAT STUDIIS ET ORATIONIBUS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XV. 5.*

In medio Ecclesiæ aperuit os ejus: et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus: stolam gloriæ induit eum.

**Ps.** *XCI. 2.* Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatum Hieronymum Confesso-

rem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es: præsta, quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXXIX. 6.*

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino: et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

**Graduale.** *Ps. XXXVI. 30.* Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *XLV. 9.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLV. 9.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. Alleluja. ℣. *Os. XIV. 6.* Justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. V. 13.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

**Offertorium.** *Ps. XCI. 13.* Justus, ut palma florebit: sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur.

SECRETA.

Donis cœlestibus da nobis, quæsumus Domine, libera tibi mente servire: ut munera quæ deferimus, interveniente beato Hieronymo Confessore tuo, et medelam nobis operentur et gloriam. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Luc. XII. 42.* Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO.

Repleti alimonia cœlesti, quæsumus Domine: ut interveniente beato Hieronymo Confessore tuo, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa quæ superius apponitur, nihil aliud est, quam Missa de Communi Doctorum, additis Orationibus propriis in Festo ipsius Sancti Hieronymi die XXX. Sept. recitandis.

2. Epistola vero e secundo loco ejusdem Communis accepta fuit, non solum quia illa quæ primo assignatur loco, in Missa supra Sepulchrum Sancti Hieronymi repetenda fuisset, sed et magis quia Epistola *Justus* apte convenit Sanctuario ubi Doctor Maximus in studiis et oratione vigilabat.

3. Dicœcesibus Dalmatiæ facultas data est celebrandi in honorem Sancti Hieronymi earum Patroni Officium proprium, cujus Missa hic posita foret, si editionis tempore præ manibus fuisset.

## LVII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Secundo. — UBI SEPULTUS FUIT SANCTUS HIERONYMUS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Gen. XXV. 8.*

Deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum: et sepelierunt eum filii sui in spelunca.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beati Hieronymi dies, meritis abunde refertos, gloriosa consummatione decorasti: concede nobis illius vestigia sectari; ut tibi fideles usque ad mortem, abs te coronam vitæ suscipere mereamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli
ad Timotheum.
*II. Cap. IV. 1.*

Charissime: Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.

**Graduale.** *Eccli. I. 12.* Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. ℣. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.

Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLIV. 14.* Corpus ipsius in pace sepultum est, et nomen ejus vivit in generationem et generationem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Eccli. XXXIX. 12.* Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur. ℣. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. ℣. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLVIII. 14.* Non superavit illum verbum aliquod, et mortuum prophetavit corpus ejus. Alleluja. ℣. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam.
*Cap. XII. 35.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

**Offertorium.** *Eccli. I. 19.* Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur.

SECRETA.

Deus, qui beati Hieronymi pro nominis tui gloria exantlatos labores, cœlestibus ad Christi Præsepe consolationibus, et pretiosa morte remunerasti: concede propitius: ut omnes, qui propter sectandam justitiam incommodis onerantur, ad Altare tuum solamen atque opem inveniant. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Eccli. XLV. 8.* Beatificavit illum Deus in gloria, et circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, et coronavit eum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beato Hieronymo cœlestem sapientiam et fortitudinem ad hæreses debellandas mirabiliter infudisti: concede nobis per ejus gloriosam intercessionem; ut inæstimabile fidei donum, cœlestis mensæ lumine et subsidio, ab inimicis incolume usque ad mortem servemus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Cum Sanctus Hieronymus jam per aliam Missam honoretur ad locum ubi studiis et orationibus vacabat, conveniens visum fuit novam pro illius monumento Missam componere, in qua de morte ac sepultura illius ageretur.

2. Quod si etiam de meritis et vita Sancti Doctoris agi congruum videatur, ad Commune vel Officium proprium Diœcesibus Dalmatiæ indultum haberi posset recursus, seu pro Missa inducenda, seu pro textuum delectu.

3. Evangelium e Communi Confessoris non Pontificis primo loco desumitur, utpote ad indolem Missæ superiori declaratam numero magis accommodatum.

4. Communio sic etiam absolvi posset: «et coronavit eum in vasis virtutis. Alleluja.»

5. «Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem. *Judic. XII. 10.*»

6. «Et completis annis in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. *Tob. XIV. 16.*»

## LVIII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Tertio. — UBI SEPULTA FUIT SANCTA PAULA VIDUA ROMANA.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Gen. XII. 1.*

Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi.

**Ps.** *LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatam Paulam famulam tuam, spretis mundi deliciis, post insignia virtutum incrementa, ibi voluisti nasci cœlo, ubi Unigenitus tuus natus est mundo: concede propitius; ut ejus exemplo terrena cuncta despicientes, cœlestia consequi mereamur. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

*I. Cap. V. 3.*

Charissime: Viduas honora, Quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus, nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

**Graduale.** *Ps. CXI. 9.* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. *Ps. I. 2.* In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. II. 37.* Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte et die. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXII. 24.* Tenuisti Domine manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. ℣. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? ℣. Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Judith. XV. 11.* Fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod

castitatem amaveris. Alleluja. ℣. Ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XIII. 44.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

**Offertorium.** *Judith. VIII. 8.* Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

SECRETA.

Hostias nomini tuo, Deus, immolandas merita beatæ Paulæ reddant acceptas: cujus viduitatem cum Christo absconditam, fructu bonorum operum abundare fecisti. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Job. XXIX. 11.* Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi: eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in hujus mysterii participatione posuisti initia et incrementa virtutum: da nobis beatæ Paulæ interveniente suffragio; ut per hæc sacrosancta commercia in tua charitate progressi, ad æternas Agni nuptias pervenire valeamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hac Missa, licet supra monumentum Sanctæ Paulæ celebranda, textus respiciunt universam ejusdem Sanctæ vitam; quia cum ipsa unicum habeat Sanctuarium et illud in se spectatum non magni momenti, melius visum fuit personæ meritis, quam Loci qualitati textus accommodari.

2. Introitus sic etiam compleri posset: «monstrabo tibi: et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum.»

3. Si aliqua testimonia in Missæ decursu non placeant, recurratur ad Missam et Officium de Communi non Virginum, unde etiam Epistola et Evangelium sumpta fuere.

4. «Tu scis, Domine, quia mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. ℣. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. *Tob. III. 16.*»

5. «Dilexi, Domine, mandata tua super aurum et topazion. ℣. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. *Ps. CXVIII. 127.*»

6. «Hæc erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat. *Act. IX. 36.*»

## LIX.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

**Quarto.** — UBI SEPULTA FUIT SANCTA EUSTOCHIUM VIRGO ROMANA.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XLIV. 11.*

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: et concupiscet Rex decorem tuum.

**Ps.** *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui etiam in sexu fragili nobis admirandæ fortitudinis exempla relinquis: concede propitius; ut sicut beata Eustochium Virgo pro amore tuo terrena cuncta despexit, ita nos ad ejus exemplum, cœlestia solum appetamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 1.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

**Graduale.** *Ps. XV. 5.* Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. ℣. *Ps. CXVIII. 34.* Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, Domine: et custodiam illam in toto corde meo.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXVI. 4.* Unam petii a Domino, hanc requiram, et inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XLIV. 14.* Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. ℣. Adducentur Regi Virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi. ℣. Afferentur in lætitia, et exsultatione: adducentur in templum Regis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXV. 8.* Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Alleluja. ℣. *Ps. CXXXI. 14.* Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXV. 1.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

**Offertorium.** *Ps. XXXIV. 13.* Ego autem induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

SECRETA.

Accedentes ad Altare tuum, Domine Jesu, cœlesti nos voluptate circumda; qui beatæ Eustochio Virgini tribuisti in abscondito tabernaculi tui jucundam tibi laudationem decantare: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Gen. XLI. 51.* Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei: crescere me fecit in terra paupertatis meæ.

POSTCOMMUNIO.

Fidelium tuorum mentes et corda, Deus omnipotens, intercedente beata Eustochio Virgine, ab omni culparum labe præserva: atque ut noxias delectationes evitare prævaleant, hujus semper dapis fac illos suavitate repleri. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, non secus ac præcedens sub num. LVIII. pag. 83. posita, non sepulturam tantum, sed universam Sanctæ Eustochii vitam considerat.

2. Altera Epistola, quæ in locum jam appositæ subrogari vel etiam pro secundo loco adjici posset, invenitur eodem *Cap. II. 10-14. Cant.;* nempe: «En dilectus meus .... facies tua decora.»

3. Plures textus mutuari possent etiam e Communi Virginum, si proprii jam supra relati non placeant.

4. « Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. ℣. Cor meum, et caro mea, exsultaverunt in Deum vivum. *Ps. LXXXIII. 3.* »

5. « Fiat, Domine, cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. *Ps. CXVIII. 80.* »

6. « Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. *Sap. III. 14.* »

7. « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. ℣. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis. *Isai. LXI. 10.* »

8. « Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore, et spiritu. *I. Cor. VII. 34.* »

## LX.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

**Quarto.** —UBI SEPULTA FUERUNT CORPORA SANCTARUM PAULÆ ET EUSTOCHII.

*MISSA MATRI ET FILIÆ COMMUNIS.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXII. 20.*

Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est: quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.

**Ps.** *Ibid. 1.* Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beatam Paulam et Eustochium a sæculi fastu ad Præsepe tuum dulciter attraxisti: da nobis earum intercessione; ut vanitatem mundi agnoscentes, contemptis omnibus, ad tui sequelam transeamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

*Cap. III. 12.*

Fratres: Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

**Graduale.** *Eph. VI. 24.* Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. ℣. *Ps. XXXV. 9.* Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eas.

Alleluja, alleluja. ℣. *Philip. IV. 7.* Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Eccli. I. 16.* Initium sapientiæ, timor Domini, et cum fidelibus in vulvâ concreatus est. ℣. Cum electis fœminis graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur. ℣. Religiositas custodiet et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Hebr. XIII. 15.* Per Christum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Alleluja. ℣. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XII. 22.*

In illo tempore: Dixit Jesus ad discipulos suos: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. Considerate corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque

quod minimum est, potestis: quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: et nolite in sublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

**Offertorium.** *Judith. IV. 12.* Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini.

SECRETA.

Ad mensam tuam accedentes, quæsumus Domine, cœlesti voluptate lætifica: ut cum beata Paula et Eustochio decorem domus tuæ se delegisse congaudeant. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Col. III. 3.* Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo: cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis mensa, Domine Jesu, ad imitandas virtutes beatarum Paulæ et Eustochii, cor nostrum inflammet: quæ in domo tua, quasi olivæ fructiferæ collocatæ, ingentes meritorum fructus tibi reddiderunt: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Præter singularem Missam Sanctis Paulæ et Eustochio attributam, novam pro utrisque componi necessarium fuit, ut qui nequeunt distinctum honorem singulis impendere, possint communem Missam de ambabus celebrari super illud Sepulchrum, ubi corpora Matris et Filiæ quondam reposita fuerunt.

2. « Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. *Isai. XXVI. 8.* »

3. « Et invocabitis me, et ibitis, dicit Dominus: et orabitis me, et ego exaudiam vos. ℣. Quæretis me, et invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro. *Jer. XXIX. 12.* »

4. « Plorabant, et jejunabant, et orabant in conspectu Domini *Bar. I. 5.* »

5. « Et nunc sequimur te, Domine, in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. *Dan. III. 41.* »

6. « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. *II. Cor. IV. 10.* »

7. « Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. *II. Cor. VI. 10.* »

8. « Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis: et ego recipiam vos. *II. Cor. VI. 17.* »

## LXI.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Quinto. — UBI SEPULTUS FUIT SANCTUS EUSEBIUS ABBAS DISCIPULUS BEATI HIERONYMI.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXVIII. 34.*

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam Domine, et custodiam illam in toto corde meo: deduc me in semitam mandatorum tuorum.

**Ps.** *Ibid. 1.* Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui sanctum Eusebium, apud Nativitatis tuæ loca, virtutum et sapientiæ laude

clarescere fecisti: da, quæsumus; ut viam per quam ille incessit, fideliter ambulantes, ad cœlestem gloriam transire mereamur: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

*II. Cap. III. 10.*

Charissime: Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines, et seductores proficient in pejus; errantes, et in errorem mittentes. Tu vero permane in iis, quæ didicisti, et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris; et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

**Graduale.** *Act. XI. 23.* Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto, et fide. ℣. *Luc. XII. 42.* Fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Tit. II. 7.* In omnibus seipsum præbuit exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Eccli. XXX. 4.* Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. ℣. In vita sua vidit, et lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. ℣. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. LI. 20.* Ambulavit pes meus iter rectum, et juventute mea investigabam sapientiam. Alleluja. ℣. *Ps. LXXXIII. 11.* Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XIX. 27.*

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

**Offertorium.** *Prov. IV. 12.* Cum ingressus fueris semitas æquitatis, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.

SECRETA.

Corda nostra, Deus, per intercessionem beati Eusebii, a visibilium amore divelle: ut superna hujus mensæ dulcedine largius impleri mereantur. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Tob. II. 14.* Immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

POSTCOMMUNIO.

Deus, cujus munere beatus Eusebius usque ad mortem in sanctis operibus perseveravit: concede nobis illius interventu; ut per hujus virtutem Sacramenti mirifice confortati, perfectionis viam alacriori semper gressu curramus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Sanctorum corpora Hieronymi, Paulæ, Eustochii, et Eusebii non amplius jacent in Sepulchris super quæ Missa foret celebranda; attamen ibi fidelium in illos devotio non ideo minuta fuit. Hoc autem contigit, sive quia monumenta adhuc conservantur, sive quia Cœlites illi non sepultura solum, sed et mirabilis vitæ actibus loca illa sanctificarunt. Hinc super illorum tumulos persæpe celebratur Missa, et in quotidiana Processione vespertina, quæ in Sanctuariis Terræ Sanctæ celebrari solet, in honorem eorumdem Sanctorum Hymni, Versiculi et Orationes publice recitantur.

2. Quum Sancti, de quibus hactenus in hoc X. Capite agebatur, apud Ordinem Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis, Officio recolantur et Missa; hinc ad eorum Missale et Breviarium recurri posset, si quædam partes ac testimonia superius electa, non admodum placeant.

3. Nomen Sancti Eusebii Vercellensis non invenitur quidem in Martyrologio Romano, sed tamen illius cultus est ab Ecclesia recognitus. Non solum etenim Fideles in quotidiana Processione et visitatione apud Sanctuaria Bethlehem, illius nomen, ut alia Sanctorum ibi nomina invocantes, Indulgentiam e Summorum Pontificum concessione assequuntur; sed etiam Festum de illo apud Ordinem præfatum Sancti Hieronymi instituitur sub die V. Martii, et pridie sic in ejus Ordinis Martyrologio annuntiatur: « Sancti Eusebii Confessoris, sancti Patris nostri Hieronymi discipuli. » — *Conf. Append. ad Martyrolog. Roman. pro variis Ordinibus Religiosis.*

4. Si textus in superius edita Missa non placeant, recurratur ad Missam de Communi Abbatum, cujus Introitus ut proprius hoc in casu posset adhiberi.

5. « Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et psalmum dicam Domino. *Ps. XXVI. 6.* »

6. « Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius *Sap. X. 10.* »

7. « Nihil melius est, quam timor Dei; et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. ℣. Gloria magna est sequi Dominum; longitudo enim dierum assumetur ab eo. *Eccli. XXIII. 37.* »

8. « Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. *Malach. II. 6.* »

## LXII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

**Sexto.** — UBI PLURES E SANCTIS INNOCENTIBUS SEPULTI FUERUNT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. VIII. 3.*

Ex ore infantium, Deus, et lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos.

**Ps.** *Ibid. 2.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, cujus [hodierna die] præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

℟ *Extra Octavam Sanctorum Innocentium, omittuntur ad parenthesim verba* hodierna die.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

*Cap. XIV. 1.*

In diebus illis: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem tonitrui magni; et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

**Graduale.** *Ps. CXXIII. 7.* Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. ℣. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXII. 1.* Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Alleluja.

℟ *In die Festo extra Dominicam celebrando, ac post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXVIII. 3.* Effuderunt sanguinem Sanctorum, velut aquam, in circuitu Jerusalem. ℣. Et non erat, qui sepeliret. ℣. Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est super terram.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. II. 16.* Innocentes pro Christo Infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt. Alleluja. ℣. Ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper: Gloria tibi, Domine. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. II. 13.*

In illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum;

et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

**Offertorium.** *Ps. CXXIII. 7.* Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

SECRETA.

Sanctorum tuorum, Domine, nobis pia non desit oratio: quæ et munera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Matth. II. 18.* Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

POSTCOMMUNIO.

Votiva, Domine, dona percepimus: quæ Sanctorum nobis precibus, et præsentis quæsumus vitæ, pariter et æternæ tribue conferre subsidium. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita illa est, quam Missale Romanum die XXVIII. Dec. exhibet, et pluribus abhinc annis ex Indulto Apostolico celebratur ut votiva ad Altare ipsorum Innocentium, erectum proxime cavernam, sub qua olim multa illorum corpora jacuisse dicuntur.

2. Omnia quæ ponuntur in Missa, peculiari modo Sanctis Innocentibus conveniunt, neque idcirco, ut Missæ communes de aliis Martyribus, pro Temp. Pasch. sunt varianda.

3. Versiculi pro Temp. Pasch., qui neque in Missali Romano neque in Decreto concessionis assignantur, ex antiphona ad Magnificat in 2. Vesperis ejusdem Festi recitanda, compositi fuerunt.

4. Si prior e versibus illis parum congruere videatur cum voce *Alleluja*, sequentes apponi valent: « Pueri tui tamquam agni exsultaverunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos. *Sap. XIX. 9.* ℣. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. *Apoc. VII. 17.* »

5. Plures etiam textus inveniri possent in Officio eorumdem Sanctorum Innocentium sub die XXVIII. Dec. apposito, et in Communi plurimorum Martyrum.

## LXIII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Septimo. — SUPER ALTARE SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI AD CRYPTAM BETHLEHEMITICAM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XX. 2.*

In virtute tua, Domine, lætabitur Justus: et super Salutare tuum exsultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

**Ps.** *Ibid. 4.* Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beato Joseph præ cunctis Regibus et Prophetis singulariter tribuisti, ut incarnatum Filium tuum oculis cerneret, et ceu pater suavissime amplexaretur: concede propitius; ut qui excelsam ipsius Patriarchæ dignitatem colimus, virtutes quibus illam tenuit, sedulo imitari studeamus. Per eumdem.

Lectio libri **Genesis.**

*Cap. XLIX. 22.*

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum, et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est, lapis Israël. Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deor-

sum, benedictionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

**Graduale.** *Isai. XII. 2.* Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus. ℣. *II. Reg. VII. 14.* Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXIV. 9.* Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super Salutari suo. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 5.* Domine, vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. I. 20.* Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Alleluja. ℣. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

**Offertorium.** *Matth. I. 16.* Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

SECRETA.

Annue, quæsumus Domine, supplicantium tibi votis, et præsta: ut sicut beatus Joseph cœlorum Regem in membris infantilibus contemplans, dulcissimi amoris deliquio languebat; sic nobis ejusdem Christi sub his speciebus occultatio, flammam cœlestis charitatis adaugeat. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Luc. II. 16.* Venerunt pastores festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui justorum vitam adversis rebus et prosperis mirabili varietate contexis: concede propitius; ut sicut priores angustias beati Joseph abunde in Nativitate Filii tui compensasti, ita nobis per hanc cœlestem alimoniam, supernum in tribulatione gaudium largiaris. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Altare Sancti Joseph in Crypta Bethlehemitica erectum fuit ad honorandam ipsius Patriarchæ memoriam, qui cum Immaculata Sponsa et putativo Filio antrum illud sanctificavit.

2. Super ipsum Altare quotidie Sacerdotes ex Indulto Apostolico celebrare possunt Missam votivam de eodem Sancto Joseph, prouti habetur in ipsius Natali sub die XIX. Mart., vel in Festo Patrocinii sub Dom. III. post Pascha. Cum vero ambæ Missæ considerent Sanctum Joseph in genere, et alibi quam in civitate Bethlehem commorantem; nova illis Missa adjicitur vel substituitur, in qua textus et Evangelium præsertim, mysterio Loci convenientius respondeant.

3. In Graduali loco versiculi *Ego ero ei in patrem*, hic posset subrogari: «Fecit me Dominus quasi patrem Regis, et dominum universæ domus ejus. *Gen. XLV. 8.*»

4. Alter Tractus. — «*Luc. II. 30.* Viderunt oculi mei, Domine, Salutare tuum. ℣. Quod parasti ante faciem omnium populorum. ℣. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.»

5. Præfatio, juxta regulam alias declaratam, est de Nativitate Domini, de cujus mysterio Missa Sancti Josephi participat.

6. «Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. ℣. Iste Deus meus, et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum. *Exod. XV. 2.*»

7. «In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israël respicient. *Isai. XVII. 7.*»

8. «Et tu exsultabis in Domino, in Sancto Israël lætaberis. *Isai. XLI. 16.*»

9. «Honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, dicit Dominus: ego dilexi te. *Isai. XLIII. 4.*»

10. «Et Joseph non cognoscebat Mariam, donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen ejus Jesum. *Matth. I. 25.*»

## LXIV.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Octavo. — UBI BEATA VIRGO MARIA CHRISTUM PEPERIT ET RECLINAVIT IN PRÆSEPIO.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XLIV. 13.*

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia, et exsultatione.

**Ps.** *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Titum.

*Cap. III. 4.*

Charissime: Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei: non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, in Christo Jesu Domino nostro.

**Graduale.** *Ps. XLIV. 3.* Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis. ℣. *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

Alleluja, alleluja. ℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. ℣. Dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XI. 1.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob: Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster. Alleluja. ℣. *Luc. I. 28.* Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 15.*

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

**Offertorium.** Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

SECRETA.

Muneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis: et cœlestibus nos munda mysteriis, et clementer exaudi. Per Dominum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Partu immaculato.

**Communio.** Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

POSTCOMMUNIO.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine: et intercedente beata Virgine Dei Genitrice Maria, cœlestis remedii faciat esse consortes. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita nihil aliud est, quam Missa votiva de Beata Maria Virgine, quæ a Nativitate Domini usque ad Purificationem præscribitur recitanda inter alias Votivas in fine Missalis Romani.

2. Ipsa vero introducitur ut multorum votis fiat satis, qui non sine admiratione observabant apud locum Nativitatis Dominicæ suam de Sancto Joseph votivam Missam celebrari, et nullam de Immaculata in partu et post illum Virgine, quæ certe principaliorem partem, quam ejus sponsus, in mysterio Natalis Domini habuisse noscitur.

3. Versiculi pro Temp. Pasch. ex antiphona I. Laudum Circumcisionis, et de Votiva Temporis respective sumuntur.

4. Hæc Missa habere posset Evangelium *Exiit edictum* vel *Pastores loquebantur,* ubique vel prouti ad Nativitatis aut Præsepii locum celebretur. Si duplex desideretur Missa, alterutra posset esse illa, de qua num. 5. harum adnotationum.

5. In Præfatione Sacerdotes dicere jubentur *Et te in Partu immaculato,* juxta exempla Missalis Romani, ubi semper exprimitur nomen Mysteriorum ad Beatam Virginem pertinentium.

6. In Appendice ad Diurnale Romanum Mechliniæ anno Domini 1893 editum, inter Officia Mexicanorum invenitur Festum B. M. V. de Bethlehem sub ritu dup. maj. Dom. III. post Epiphaniam celebrandum. Legitima auctoritas humillime exoratur ut si fieri possit, Missam respondentem Officio antedicto, quæ editionis hujus tempore præ manibus non erat, in locum superius editæ admittat, vel ipsi juxta diversitatem Evangelii adjiciat, utpote mysterio Loci magis accommodatam.

## LXV.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Nono. — UBI CHRISTUS IN LUCEM EDITUS FUIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. IX. 6.*

Puer natus est nobis, et filius datus est nobis: cujus imperium super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, magni consilii Angelus.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Concede, quæsumus omnipotens Deus: ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Titum.

*Cap. II. 11.*

Charissime: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere et exhortare, in Christo Jesu Domino nostro.

**Graduale.** *Ps. XCVII. 3.* Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei nostri: jubilate Deo omnis terra. ℣. *Ibid. 2.* Notum fecit Dominus Salutare suum: ante conspectum Gentium revelavit justitiam suam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXI. 4.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors, et miserator, et justus Dominus. Alleluja.

℟ *A Nativitate Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive, omissis* Alleluja *cum* ℣. *superius apposito, dicitur ut infra:*

Alleluja, alleluja. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite Gentes, et adorate Dominum: quia hodie descendit lux magna super terram. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXIV. 11.* Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: justitia, et pax osculatæ sunt. ℣. Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit. ℣. Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXI. 7.* Orietur in diebus Domini abundantia pacis, et dominabitur. Alleluja. ℣. *Isai. LII. 10.* Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: et videbunt omnes fines terræ Salutare Dei nostri. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Ju-

dæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

**Offertorium.** *Ps. LXXXVIII. 12.* Tui sunt cœli, et tua est terra; orbem terrarum et plenitudinem ejus tu fundasti: justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

SECRETA.

Oblata, Domine, munera, nova Unigeniti tui Nativitate sanctifica: nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. XCVII. 3.* Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei nostri.

POSTCOMMUNIO.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut natus [hodie] Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor; ita et immortalitatis sit ipse largitor: Qui tecum.

℟ *In Postcommunione verbum* hodie *dicitur solummodo a Nativitate Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Plurimis abhinc annis per Sedem Apostolicam benigne concessum fuerat, ut in Locis Natalis et Præsepii, recitari posset ceu votiva Missa de Octava Nativitatis Christi, ante Festum Sancti Silvestri Papæ collocata. Cum vero nunc distincta utrique Sanctuario tribuatur Missa, nova Epistola et Evangelium e prima Nativitatis Missa in concessam transfertur, ne in altera ad Præsepium Dominicum recitanda incommodæ variationes idcirco inducantur. Tractus denique et Versiculi pro Temp. Pasch., qui neque in Missali prostant, neque in Decreto assignabantur concessionis, hic noviter sunt adjecti.

2. De Evangelio sumitur quantum satis est ad mysterium Nativitatis declarandum, ne textus assignatus loco ubi Angeli natum Christum pastoribus nuntiarunt, hic inutiliter occupetur. Sacræ enim Scripturæ testimonia in Officio Ecclesiastico plerumque solis mysteriis applicantur; in præsenti autem libro semper, si fieri possit, etiam Locis in quibus illa contigerunt.

3. Hujusmodi variationes, quæ idcirco fiunt, quia multa primæ et tertiæ Missæ testimonia æternam et non temporalem Christi generationem respiciunt, probantur quodammodo exemplis Missalis Romani, ubi tertia Nativitatis Missa, ante Festum Sancti Silvestri jungitur cum Epistola et Evangelio de secunda, et in die Circumcisionis cum Epistola de prima, diversisque Orationibus ac Versiculo ad *Alleluja* post Graduale.

4. Versiculus autem qui post Graduale ponitur, cum neque per detractionem vocis *hodie* extra Tempus Natalitium possit veraciter adhiberi, in alterum versiculum e tertia antiphona ad 2. Vesperas Nativitatis Domini acceptum commutatur. Verbum autem *hodie*, et proinde etiam versiculus *Dies sanctificatus*, apte recitatur usque ad Vigiliam Epiphaniæ, in qua verba illa jam pro II. ℟. Matutini inserviunt.

5. Alteri e versibus pro Temp. Pasch. sequens valet subrogari: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus. *Joann. I. 14.* »

6. Si nova desiderentur testimonia, abunde suppetunt in Officiis et Missis de Nativitate Domini, Dominica infra ejus Octavam, et ipsa Octava die ejusdem Natalis. Ex antiphona autem V. ad Matutinum diei Festi jam prior versus pro Temp. Pasch. effectus est.

7. « Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël. *Matth. II. 6.* »

## LXVI.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Decimo. — UBI CHRISTUS FUIT IN PRÆSEPIO RECLINATUS.

℟ *Verba* hodie *et* hodiernæ *quæ in Introitu et Secreta respective leguntur, dicenda sunt solummodo a Nativitate Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. IX. 6.*

Lux fulgebit [hodie] super nos, quia natus est nobis Dominus: et vocabitur Admirabilis, Deus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi; cujus regni non erit finis.

**Ps.** *XCII. 1.* Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus:

ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Titum.

*Cap. III. 4.*

Charissime: Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei: non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, in Christo Jesu Domino nostro.

**Graduale.** *Ps. CXVII. 26.* Benedictus, qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis. ℣. *Ibid. 23.* A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Alleluja, alleluja, ℣. *Ps. XCII. 1.* Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XCVII. 2.* Notum fecit Dominus Salutare suum: in conspectu Gentium revelavit justitiam suam. ℣. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël. ℣. Viderunt omnes termini terræ Salutare Dei nostri: jubilate Deo omnis terra.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Mal. IV. 2.* Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, dicit Dominus: et sanitas in pennis ejus. Alleluja. ℣. *Isai. IX. 7.* Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 15.*

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

**Offertorium.** *Ps. XCII. 1.* Deus firmavit orbem terræ, qui non commovebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, a sæculo tu es.

SECRETA.

Munera nostra, quæsumus Domine, Nativitatis [hodiernæ] mysteriis apta proveniant, et pacem nobis semper infundant: ut sicut homo genitus idem refulsit et Deus, sic nobis hæc terrena substantia conferat quod divinum est. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Zach. IX. 9.* Exsulta filia Sion, lauda filia Jerusalem: ecce Rex tuus venit sanctus, et salvator mundi.

POSTCOMMUNIO.

Hujus nos, Domine, sacramenti semper novitas natalis instauret: cujus Nativitas singularis humanam repulit vetustatem. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Præter Missam sub num. LXV. pag. 93. loco Nativitatis D. N. J. C. assignatam, nova hic adjicitur, ut juxta multorum vota, etiam Præsepio Domini quod ex traditione distinguitur a loco Nativitatis, sua tribuatur Missa.

2. Missa igitur hæc ad locum Dominici Præsepii adhibenda, nihil aliud est, quam secunda e tribus Missis in die Nativitatis Domini in Missali Romano appositis, præter Tractum et versiculos pro Temp. Pasch., qui noviter adjecti sunt, ut defectus qui ibi ratione Temporis aderat, suppleatur.

3. Si Missa Sanctuariis Nativitatis et Præsepii Domini jam indulta, integre conservari velit sicuti concessa fuit, tunc antecedens pro Præsepio et præsens pro loco Nativitatis Jesu, saltem Evangeliis invicem mutatis, convenienter assumi possent.

4. Alteruter e versibus pro Temp. Pasch. accipi etiam posset e Missa Circumcisionis Domini; nempe: « Multifarie olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. *Hebr. I. 1.* »

5. Versus alter pro Temp. Pasch. e ℟. VIII. Dom. infra Octavam Nativitatis Domini accipi etiam posset, ex eoque ambo versiculi ejusdem Temporis confici valent, congruam divisionem inducendo. Ipsa autem verba ℟. sunt: « O Regem cœli, cui talia famulantur obsequia: stabulo ponitur, qui continet mundum: jacet in præsepio, et in cœlis regnat! »

6. Plures textus inveniri etiam possent in Missa et Officio respicientibus Nativitatem Christi, Dominicam infra Octavam, atque diem Octavam ipsius Natalis.

7. « Lætentur cœli, et exsultet terra ante faciem Domini: quoniam venit. *Ps. XCV. 11.* »

8. « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. *Isai. I. 3.* »

9. « O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in Præsepio! — *E* ℟. *III. Dom. infra Oct. Nativitatis.* »

10. « Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: jacebat in Præsepio, et fulgebat in cœlo. ℣. Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium. — *E.* ℟. *VI. in Circumcisione Domini et Habac. III. 2.* »

## LXVII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Undecimo. — UBI CHRISTUS A MAGIS FUIT ADORATUS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Mal. III. 1.*

Ecce advenit dominator Dominus: et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium.

**Ps.** *LXXI. 2.* Deus, judicium tuum Regi da: et justitiam tuam Filio Regis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui [hodierna die] Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti: concede propitius; ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem.

℟ *Extra Octavam Epiphaniæ Domini, in Oratione ad parenthesim omittuntur verba* hodierna die.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LX. 1.*

Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo: et Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis et affluues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, et et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

**Graduale.** *Isai. LX. 6.* Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. ℣. *Ibid. 1.* Surge, et illuminare, Jerusalem: quia gloria Domini super te orta est.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. II. 2.* Vidimus stellam ejus in Oriente: et venimus cum muneribus adorare Dominum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXV. 8.* Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua. ℣. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum. ℣. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCVI. 6.* Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: et viderunt omnes populi gloriam ejus. Alleluja. ℣. *Ps. CI. 16.* Timebunt Gentes nomen tuum, Domine: et omnes Reges terræ gloriam tuam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum.

*Cap. II. 1.*

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu, Bethlehem terra Juda: nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero: et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente,

antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, *(hic genuflectitur)* et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

**Offertorium.** *Ps. LXXI. 10.* Reges Tharsis, et insulæ munera offerent; Reges Arabum, et Saba dona adducent: et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei.

SECRETA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, dona propitius intuere: quibus non jam aurum, thus, et myrrha profertur; sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, et sumitur, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum.

*Præfatio de Epiphania.*

**Communio.** *Matth. II. 2.* Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum.

POSTCOMMUNIO.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut quæ [solemni] celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per Dominum.

℣ *Extra Octavam Epiphaniæ Domini in Oratione ad parenthesim omittitur verbum* solemni.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In antro Bethlehemitico Nativitatis Domini, tria memoratu digna, juxta traditionem, indicantur loca: ubi ortus est Christus, ubi repositus in Præsepio, et ubi adoratus fuit a Magis. Ex his autem Sanctuariis, primum per Schismaticos exclusive possidetur; secundum autem et tertium pertinet ad Catholicos, qui tamen ad Christi Præsepium, ob exiguitatem spatii aliasque causas, aram erigere non potuerunt.

2. Cum igitur solummodo ad Altare adorationis Magorum Missa celebrari possit, non immerito plures mirabantur, suam loco proximiori de Nativitate Domini, nullam vero Missam votivam de illo mysterio dici ad locum ubi contigisse traditur.

3. Hæc autem Missa ad locum ubi Magi adoraverunt Christum recitanda, integre sumitur e Missali Romano in Festo Epiphaniæ Domini, exceptis Tractu et versiculis pro Temp. Pasch., qui ex aptis sacræ Scripturæ textibus suppleti sunt.

4. Alter Tractus. — « *Ps. LXXI. 8.* Dominabitur Dominus a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. ℣. Coram illo procident Æthiopes: et inimici ejus terram lingent. ℣. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei. ℣. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes Gentes magnificabunt eum. »

5. Posterior versiculus pro Temp. Pasch. commutari in sequentem posset: « Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus. *Ps. XXVIII. 2.* »

6. In Postcommunione vox *solemni* omitti jubetur extra Octavam Epiphaniæ; sed eidem suffici etiam posset verbum *sancto* vel *pio*. Nullum tamen incommodum ex illa omissione sequitur, cum et in Oratione Sanctæ Cæciliæ Virginis et Martyris sub die XXII. Nov. simili fere modo absolute dicatur: « *da, ut quam veneramur officio.* »

7. Multi alii textus inveniri possunt in Officio ipsius Epiphaniæ, si superius adjecti non placeant.

8. « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël. *Num. XXIV. 17.* »

9. « Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra. *Ps. XLV. 11.* »

10. « Magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in oculis multarum Gentium: et scient quia ego Dominus. *Ezech. XXXVIII. 23.* »

## LXVIII.

APUD BASILICAM NATIVITATIS D. N. J. C.

### Duodecimo. — IN SPELUNCA NATIVITATIS UBI DIU MANSERUNT JOSEPH CUM MARIA ET JESU.

*MISSA DE EADEM SANCTA FAMILIA.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Prov. XXIII. 24.*

Exsultat gaudio pater Justi: gaudeat Pater tuus et Mater tua, et exsultet quæ genuit te.

**Ps.** *LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui nos a vitæ tuæ primordiis humanam proculcare superbiam do-

cuisti: præsta, quæsumus; ut te cum Maria et Joseph ad Præsepium morantem contemplati, justitiæ et castimoniæ atque humilitatis amorem ediscamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Galatas.

*Cap. IV. 1.*

Fratres: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre: ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum.

**Graduale.** *Ps. XXIV. 14.* Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius, ut manifestetur illis. ℣. *Judith. IV. 17.* Ex toto corde suo orabant Deum, ut visitaret populum suum Israël.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. I. 16.* Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Bar. III. 36.* Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. ℣. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. ℣. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. I. 20.* Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Alleluja. ℣. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

**Offertorium.** *Luc. II. 16.* Pastores venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in Præsepio.

SECRETA.

Da nobis, quæsumus Domine, sacrificandæ excellentiam Victimæ rite cognoscere: ut immaculatas illius carnes optemus ea dispositione contingere, qua beata Virgo et Joseph eumdem Christum infantem contrectabant: Qui tecum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Matth. I. 25.* Joseph non cognoscebat Mariam conjugem suam, donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen ejus Jesum.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis alimonia, Domine, absconsam Jesu Christi, Mariæ et Joseph vitam nos imitari concedat: ut eorum pacem in hoc sæculo, et gloriam in futuro consequamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Præter Missas Jesu ac Mariæ et Joseph singillatim jam tributas, communis omnibus Missa, juxta morem alias servatum, hic adjicitur, ut recitari valeat intra speluncam Nativitatis Christi, ubi personæ Sanctam Familiam componentes, a Natali Domini saltem usque ad Purificationem Deiparæ simul incoluerunt.

2. Missa tamen hæc, ut omnia mysterio et Sanctuario congruant, nil habet communis cum altera de Sancta Familia, quæ in Missali Romano-Seraphico Dom. III. post Epiphaniam invenitur, nisi Introitum *Exsultat gaudio* et Præfationem de Nativitate Domini.

3. Epistola vero e Missa Dom. infra Octavam Nativitatis Christi accipitur, utpote mysterio et loco satis accommodata.

4. Communionis antiphona si prouti edebatur, non placeat, ita etiam abbreviari posset: « Peperit Maria filium suum primogenitum: et Joseph vocavit nomen ejus Jesum. *Matth. I. 25.* »

5. Textus alii inveniri possunt in Officio et Missa de Sancta Familia Domini, cujus Festivitas, ut dictum est, Dom. III. post Epiphaniam celebratur.

6. « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ, Domine, potabis eos. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Prætende misericordiam tuam scientibus te: et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. *Ps. XXXV. 9.* »

7. « Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die: et in justitia tua exaltabuntur. ℣. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. *Ps. LXXXVIII. 16.* »

8. « Ego ero vobis in Deum: ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris. *Jer. XI. 4.* »

---

# CAPUT UNDECIMUM.

## LXIX.

### ALIIS PROPE CIVITATEM BETHLEHEM LOCIS.

### **Primo.** — IN CRYPTA UBI FERTUR BEATA VIRGO MARIA CHRISTUM ALIQUANDO LACTASSE.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Cant. VII. 10.*

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus: veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis: ibi dabo tibi ubera mea.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui de immaculatis Mariæ Virginis uberibus enutriri parvulus elegisti: da nobis per materna illius in te jura; ut quodcumque in salutem nostram ejus intercessione deposcimus, abs te efficaciter obtinere valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. I. 1.*

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

**Graduale.** Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. ℣. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum: qui olim pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

Alleluja, alleluja. ℣. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore: Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Cant. IV. 10.* Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. ℣. Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. ℣. Hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuæ paradisus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. VII. 6.* Quam pulchra es, et quam decora charissima, in deliciis. Alleluja. ℣. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XI. 27.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; et ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

**Offertorium.** *Cant. II. 16.* Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

SECRETA.

Admittantur, Domine, in conspectu tuo, preces humilitatis nostræ, quas in veneranda fundimus actione: et per merita illius, quæ te infantem virgineo lacte nutrivit, ab ubere dulcedinis tuæ repleamur: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Veneratione.

**Communio.** *Cant. VIII. 10.* Ego murus: et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

POSTCOMMUNIO.

Ad sacram mensam gustantibus quam suavis es, Domine, adsit nobis beatæ Genitricis tuæ intercessio salutaris: ut deposita per te omni malitia, rationabile sine dolo lac concupiscere, et in eo crescere in salutem valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Sanctuarium, cui nova hæc Missa tribuitur, vulgo *Crypta Lactis* appellatur, eo quod Beata Virgo Maria Puerum Jesum aliquando ibi lactasse ex traditione fertur. Locus iste magna veneratione ab omnibus invisitur, præsertim a mulieribus tum Christianis tum Infidelibus, quæ ad obtinendum vel recuperandum lac, solent pulverem illius specus in potione sumere, Deo sæpius illarum vota mirabiliter exaudiente.

2. Si Introitus et alia quæ in Missa ponuntur, non omnibus placeant, recurratur ad Votivas Beatæ Mariæ Virginis in fine Missalis Romani collocatas.

3. In Epistolæ decursu, ut omnia recto verborum sensui congruant et simul brevitati consulatur, aliqualis interruptio admissa fuit.

4. Gradualis verba e ℟. VII. ad Matutinum Nativitatis Christi recitando, accipiuntur; Versiculus autem, qui Graduale sequitur, e ℟. VIII. ad Matutinum Circumcisionis Domini.

5. In Præfatione, si congruum videatur, dici etiam posset: «Et te in Lactatu.»

6. «Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. *I. Reg. I. 23.*»

7. «Lætamini cum illa, et exsultate in ea omnes, qui diligitis eam. ℣. Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus. ℣. Ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. *Isai LXVI. 10.*»

## LXX.

ALIIS PROPE CIVITATEM BETHLEHEM LOCIS.

### Secundo. — IN DOMO SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Gen. XLVI. 3.*

Dicit Dominus: Descende in Ægyptum: ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem.

**Ps.** *LXXIX. 2.* Qui regis Israël, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui angelica visione beatum Joseph cum Puero ejusque Matre in Ægyptum fugere jussisti: da nobis fidelis viri exempla imitari; ut voluntatem tuam in omnibus exsequentes, e manibus hostium evadere, et securitatis locum tenere valeamus. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Sap. Cap. X. 10.*

Profugum Justum deduxit Sapientia per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est Sapientia.

**Graduale.** *Ps. LXXII. 23.* Domine, ego semper tecum: tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. ℣. *Deut. XXVI. 14.* Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia, sicut præcepisti mihi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Act. XII. 11.* Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, et liberavit me de manu Herodis. Alleluja.

℣. *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XC. 5.* Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno. ℣. Non accedet ad te malum: et flagellum

non appropinquabit tabernaculo tuo. ℣. Quoniam Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XC. 15.* Cum ipso sum in tribulatione, dicit Dominus: eripiam eum, et glorificabo eum. Alleluja. ℣. *Ps. XXXIII. 8.* Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. II. 13.*

In illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum; et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum.

**Offertorium.** *Gen. XII. 1.* Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

SECRETA.

Familiam tuam, Domine Jesu, per intercessionem beati Joseph, benignus illustra et superni muneris largitate confirma: ut inter hostium insidias, te in omnibus ducem, te semper mereatur habere custodem: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Judith. XIII. 20.* Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem.

POSTCOMMUNIO.

Famulos tuos in exsilio gementes, Domine Jesu Christe, per intercessionem beati Joseph, hac semper dape mirabiliter sustenta, dispone: ut qui te gubernatore confidunt, et nullis malis implicentur in via, et bonis omnibus in patria repleantur: Qui vivis.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Apud civitatem Bethlehem invenitur Cappella quædam ædificata super ruinas alterius, quæ a Christianis harum regionum *Domus Sancti Joseph* appellatur, ejusque visitationi Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum adnexa fuit.

2. Quodnam mysterium in illa domo sit operatum, saltem nostro tempore, non omnino clare patet, licet per longum tempus credita olim fuerit sedes, in qua Joseph post Purificationem ab Angelo fugere cum Puero Jesu et Matre in Ægyptum jussus fuit. Quidquid autem sit de mysterii qualitate intra hoc Sanctuarium, cum duo apud Bethlehem Sanctus Patriarcha loca habeat, duoque facta memorabilia ad quæ ipse participavit, nempe Nativitas Domini et jussio fugæ in Ægyptum, Bethlehem contigisse credantur; omnino consentaneum varietati et rationi est, ut postquam iste apud speluncam Dominicæ Nativitatis cultus fuerat ut illius mysterii particeps, in hac ejus domo uti in Ægyptum ab Angelo fugere monitus recolatur.

3. In hoc Sanctuario Domus Sancti Joseph dici etiam posset, vel sola vel secundo loco, Missa quæ sub num. LXIII. pag. 90. assignata fuit Altari ejusdem Sancti Joseph ad Cryptam Bethlehemiticam Dominicæ Nativitatis; et hoc magis, si quod superiori num. in hisce adnotationibus dicitur, non probetur.

4. Verba, quibus Introitus efficitur, leguntur etiam in ℟. I. ad Matutinum Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum, quod in Breviario Romano Ratisbonæ anno 1893. edito invenitur inter Festa pro aliquibus locis, sub die XVII. Februarii.

5. Initium Epistolæ, nempe verba *Profugum Justum,* occurrunt etiam in Capitulo ad Nonam Festi Sancti Joseph sub die XIX. Martii.

6. Altera Epistola efformari posset e *Prov. Cap. III. 21-26.*, vel exinde Offertorium aut alia desumi, uti: « Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. ℣. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. ℣. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris. *Prov. III. 24.* »

7. Multi textus inveniri etiam possent in Officio et Missa ejusdem Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum.

8. « Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo: tunc Deus aperit aures virorum, et erudit eos. *Job. XXXIII. 15.* »

9. « Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum. *Dan. III. 95.* »

10. « Angelus, qui loquebatur in me, suscitavit me, quasi virum qui suscitatur a somno suo. *Zach. IV. 1.* »

## LXXI.

### ALIIS PROPE CIVITATEM BETHLEHEM LOCIS.

### Tertio. — UBI ANGELI PASTORIBUS NUNTIARUNT NATIVITATEM CHRISTI.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLVIII. 2.*

Laudate Dominum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus: confessio ejus super cœlum, et terram: et exaltavit cornu populi sui.

**Ps.** *Ibid. 1.* Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Nativitatem Filii tui per Angelum mirabiliter pastoribus revelasti: concede propitius; ut illorum nos innocentiam æmulati, supernis illustrationibus erudiamur. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

*Cap. I. 1.*

Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.

**Graduale.** *Ps. CII. 21.* Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. ℣. *Ps. XVII. 28.* Quoniam tu, Domine, populum humilem salvum facies: et oculos superborum humiliabis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. IX. 2.* Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XCVI. 7.* Adorate Dominum, omnes Angeli ejus: audivit, et lætata est Sion. ℣. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. ℣. Lætamini justi in Domino: et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. Quem vidistis pastores? dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? Alleluja. ℣. Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 8.*

In illo tempore: Pastores erant in regione Bethlehem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum: pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

**Offertorium.** *Ps. CXI. 4.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors, et miserator, et justus Dominus.

SECRETA.

Sacrificium laudis offerentes, da quæsumus Domine, coram te gratiam per Christum invenire: in cujus Nativitate, Angeli homini-

bus pacem, et tibi Deo gloriam concinebant. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Apoc. VII. 10.* Nato Domino, Angelorum chorus canebat, dicens: Salus Deo nostro, sedenti super thronum, et Agno.

POSTCOMMUNIO.

Hujus operatione mysterii, Domine Jesu Christe, gressus nostros in viam justitiæ conserva: ut pacem, hominibus bonæ voluntatis per Angelos repromissam, jugiter obtinere valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Altera Epistola mysterio hujus Loci satis accommodata, invenitur in Missali Romano-Seraphico sub die XXIV. Mart. in Festo Sancti Gabrielis Archangeli.

2. Duo versiculi pro Temp. Pasch. sumuntur ex antiphona I. Laudum in die Nativitatis Domini.

3. Evangelium bene compleri etiam posset ad *Luc. Cap. II. 14.*, inclusive, omisso textu qui postea sequitur in Missa.

4. Communionis textus e Breviario Romano accipitur, in quo ipse locum antiphonæ IX. ad Matutinum Circumcisionis Domini occupat.

5. Alia testimonia desumi possent e Missa sub num. LIII. pag. 76. ad locum ubi Angeli accedentes ministrabant Christo post illius tentationes; necnon e Missis de Nativitate Domini in Capite X. jam relatis, de quarum mysterio hic Præfatio jubetur.

6. « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et Salutare tuum da nobis. *Ps. LXXXIV. 8.* »

7. « Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. *Prov. III. 32.* »

8. « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap. I. 1.* »

9. « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. *Isai. IX. 7.* »

10. « Abscondisti, Domine, hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth. XI. 25.* »

# CAPUT DUODECIMUM.

## LXXII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

## Primo. — IN LOCO NATIVITATIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

*MISSA DE SANCTO ZACHARIA PRÆCURSORIS PATRE.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XI. 13.*

Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Vigeat, quæsumus Domine, semper in mentibus nostris divinæ tuæ præsentiæ memoria: suffragantibus meritis beati Zachariæ, quem Præcursoris Filii tui Patrem esse voluisti; ut te super omnia diligentes, ad promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, sine offensione curramus. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXXI. 8.*

Beatus vir, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

**Gradnale.** *Ps. CXXXVII. 1.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXV. 20.* Bene-

dictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ỳ. *sequenti, dicitur :*

**Tractus.** *Ps. CXVIII. 166.* Exspectabam Salutare tuum, Domine : et mandata tua dilexi. ỳ. Servavi mandata tua, et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. ỳ. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur :* Alleluia, alleluja. ỳ. *Ps. XX. 3.* Desiderium cordis ejus tribuisti ei, Domine : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Alleluja. ỳ. *Ps. XXIII. 5.* Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo Salutari suo. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 8.*

In illo tempore: Cum Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

**Offertorium.** *IV. Reg. XX. 3.* Obsecro, Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim.

SECRETA.

Ante oculos tuos, Domine, hostiam salutarem offerimus, humiliter deprecantes : ut per beati Zachariæ, sanctissimi Præcursoris tui Patris merita, fiat nobis tuæ dilectionis pignus æternum: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *I. Par. XVII. 26.* Nunc ergo Domine, tu es Deus : et locutus es ad servum tuum tanta beneficia, et cœpisti benedicere domui servi tui. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Perfice, quæsumus Domine, munus in honorem beati Zachariæ, sanctissimi Præcursoris tui Patris, oblatum: ut quod nostra peccata præpediunt, ipso pro nobis intercedente, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Orationes quæ superius admittuntur, sumptæ fuerunt e Missa ejusdem Sancti Zachariæ Prophetæ, cujus Festum a Fratribus Minoribus de Custodia Terræ Sanctæ agitur die V. Novembris.

2. Non solum Orationes, sed etiam reliquas Missæ partes suppeditare posset Festum prædictum ; quæ tamen hic non ponuntur, quia de Communi Confessoris non Pontificis fuerant acceptæ.

3. Evangelium posset integre dici, uti ponitur in Missa Vigiliæ Sancti Joannis Baptistæ sub die XXIII. Jul. apud Missale Romanum.

4. Item Evangelium continuari posset usque ad *Luc. Cap. II. 23.*, vel exinde alii textus desumi : supra ponitur solum quantum legitur in dicta Vigilia Sancti Joannis, quia verba quæ forent adjicienda, in reprehensionem Sancti Zachariæ in Missa honorandi resultarent.

5. Multi alii textus inveniri possunt in Missa de Communi Confessoris non Pontificis primo loco, inter quæ apte sumi possent Introitus et Tractus.

6. « Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. *Gen. XV. 4.* »

7. « Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, Domine, introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. *Ps. V. 8.* »

8. « Ecce enim, Domine, veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Ps. L. 8.* »

9. » Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. *Eccli. I. 29.* »

10. « Electus est offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo. *Eccli. XLV. 20.* »

11. « Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit Zacharias in domum suam : post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus. *Luc. II. 23.* »

## LXXIII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

## Secundo. — IN LOCO NATIVITATIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

*MISSA DE SANCTA ELISABETH PRÆCURSORIS MATRE.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXX. 8.*

Exsultabo, et lætabor in misericordia tua, Domine: quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

**Ps.** *Ibid. 2.* In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in præclara sterilis beatæ Elisabeth fœcunditate mundum lætificasti: præsta quæsumus; ut per quam cœlestis Regis præconem in terris audivimus, ejus quoque precibus, sempiternæ vitæ gaudia in cœlo percipere mereamur. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXVI. 1.*

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius, datum Dei est: mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus: lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

**Graduale.** *Ps. XCI. 5.* Delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exsultabo. ℣. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: et senectus mea in misericordia uberi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Gen. XXX. 23.* Concepit, et peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 16.* Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. ℣. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris. ℣. Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ruth. IV. 13.* Dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium: dixeruntque ad illam. Alleluja. ℣. Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israël. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 57.*

Elisabeth impletum est tempus pariendi et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

**Offertorium.** *Luc. I. 57.* Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam Præcursorem Domini.

SECRETA.

Sacrificiis præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende: ut per intercessionem beatæ Elisabeth, quæ Præcursoris Filii tui mater exstitit, et devotioni nostræ proficiant et saluti. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Ps. CXII. 9.* Dominus habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestibus Sacramentis vegetati, quæsumus Domine Deus noster: ut intercessione beatæ Elisabeth, quam ex sterili matrem Præcursoris Filii tui misericorditer esse voluisti, bonis operibus abundare mereamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Orationes hujus Missæ accipiuntur e Festo ejusdem Sanctæ Elisabeth, de quo apud Fratres Minores Terræ Sanctæ agitur die VI. Novembris; Offertorium vero ex antiphona I. Laudum in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ.

2. Hoc in Sanctuario dici posset Missa Officio antedicto respondens, quæ, si Orationes et Evangelium excipiantur, nihil differt a Missa Sanctæ Annæ Matris B. M. V. sub die XXVI. Jul. in Missali Romano collocata. Hic autem non ponitur, non solum quia fere integra de Communi sumitur non Virginum, sed etiam quia Evangelium ipsius convenit loco, non Nativitatis Sancti Joannis, sed Visitationis B. M. V.

3. Temp. Pasch. dici etiam possent sequentes versiculi: «Visitavit autem Dominus illam, sicut promiserat: et implevit quæ locutus est. ℣. Concepitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. *Gen. XXI. 1.*»

4. Cum Joannis Circumcisio in altero Visitationis B. M. V. Sanctuario credatur acta, Evangelium hujus Missæ et sequentis complendum foret ad verba *et congratulabantur ei.* Hoc ideo non fit, tum quia secus Evangelium brevius quam par est evaderet, tum quia verba deinde apposita mirifice explicant quantus ille fuerit parvulus e tali matre progenitus. Reliqua tamen verba *Et Zacharias pater ejus,* quæ in Missa de Nativitate Sancti Joannis in fine leguntur, in utraque Missa sine ullo incommodo omitti posse videntur, ut suo reservata sint loco ubi mysterium contigisse traditur.

5. «Sterilis es, et absque liberis; sed concipies, et paries filium, cujus non tanget novacula caput. ℣. Erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, et ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ. *Judic. XIII. 3.*»

6. «Domine, si recordatus mei fueris, dederisque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. *I. Reg. I. 11.*»

7. «Concepit Elisabeth uxor Zachariæ, et occultabat se mensibus quinque. ℣. Dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. *Luc. I. 24.*»

8. «Et ecce Elisabeth cognata tua, dixit Gabriel Angelus ad Mariam, et ipsa concepit filium in senectute sua. ℣. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Luc. I. 36.*»

## LXXIV.

### APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Tertio. — IN LOCO NATIVITATIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

*MISSA DE IPSO DOMINI PRÆCURSORE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XLIX. 1.*

De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo: et posuit os meum ut gladium acutum: sub tegumento manus suæ protexit me, et posuit me quasi sagittam electam.

**Ps.** *XCI. 2.* Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui honorabilem nobis beati Joannis Nativitatem fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum; et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum.

℟ *Per totam Octavam Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, præcedens Oratio dicitur ut infra:*

ORATIO.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis Nativitate fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum; et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. XLIX. 1.*

Audite insulæ, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et

posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israël, quia in te gloriabor. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, et sanctum Israël, qui elegit te.

**Graduale.** *Jer. I. 5.* Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te. ℣. Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum: et dixit mihi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 76.* Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis ante Dominum parare vias ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. I. 6.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. ℣. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. ℣. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet Domino plebem perfectam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XI. 9.* Puer, qui natus est nobis, plus quam Propheta est; hic est enim, de quo Salvator ait. Alleluja. ℣. Amen, dico vobis: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 57.*

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

**Offertorium.** *Ps. XCI. 13.* Justus ut palma florebit: sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur.

SECRETA.

Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus: illius Nativitatem honore debito memorantes [*vel* celebrantes]; qui Salvatorem mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

℟ *Per totam Octavam Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, in Secreta loco verbi* memorantes *dicitur* celebrantes.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Luc. I. 76.* Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

POSTCOMMUNIO.

Sumat Ecclesia tua, Deus, beati Joannis Baptistæ [*] commemorata generatione lætitiam: per quem suæ regenerationis cognovit auctorem, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

℟ *Per totam Octavam Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, in Postcommunione ad signum* [*] *omittitur verbum* commemorata.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, quam Sedes Apostolica quotidie in hoc Sanctuario celebrandam jamdiu concessit, sumitur e Missali Romano in Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, sub die XXIV. Junii.

2. Orationes hujus Missæ, si accipiantur uti jacent, ita sunt appropriatæ Festo et Octavæ Nativitatis Sancti Joannis, ut in ejus Votiva aliis temporibus celebranda, auctores Liturgici cum P. Aloysio de Carpo *Comp. Bibl. Liturg. part. I. num. 23.* illas e Missa respectivæ Vigiliæ præscribant. Nihilominus in Decreto concessionis Orationes Festi permittuntur, inibi accommodata, uti supra positum fuit, prima solum Oratione. Secreta tamen et Postcommunio aliquam etiam mutationem

pati debent, quia nimis referuntur ad Octavam illam; idque manifestum fit ex opinione quoque eorumdem auctorum, qui non primam tantum sed omnes Orationes e Vigilia putabant assumendas.

3. Tractus autem et versiculi pro Temp. Pasch., qui desunt in Missali et in Decreto concessionis non assignantur, noviter hic adjecti fuerunt. Tractus quidem in fine adjuncta habet verba *et pararet Domino plebem perfectam*, quæ simul cum aliis leguntur in Graduali ad Missam Vigiliæ, et in ℟. I. ad Matutinum Festi Nativitatis Sancti Joannis; versiculi autem pro Temp. Pasch. ex antiphona ad Magnificat in 2. Vesperis ejusdem Festi et e præcitatis *Matth. XI. 9.* conficiuntur.

4. Licet auctores dissentiant ab his, quæ superiori num. proposita sunt, tamen in assignandis huic Missæ Tractu et Versibus pro Temp. Pasch. non conveniunt. Pater enim Aloysius de Carpo *Comp. Bibl. Liturg. part. I. num. 23.* vult omnia sumenda esse e Communi Confessoris non Pontificis, quin tamen primum aut secundum locum ipse determinet; Meratus autem num. XXII. observationum et additionum ad Gavanti Commentarium *part. I. tit. IV. De Missis votivis S. Mariæ, etc.* dicit adhibendum esse Tractum *Desiderium* e Missa *In virtute*, alterum autem versiculum pro Tempore Pasch. *Justus germinabit* e Missa *Justus* de Communi Confessoris non Pontificis secundo loco. Inter diversas eorumdem sententias, opinio Merati videtur potius amplectenda, eo quod testimonia per eum præscripta aptius Nativitatis Sancti Joannis mysterio respondeant.

5. Ambo versiculi pro Temp. Pasch. e sola antiphona ad 2. Vesperas Nativitatis prædictæ, divisione etiam facta ante verba *hic est enim*, queunt optime confici.

6. Sequentes etiam versiculi dici possent pro Temp. Pasch., si appositi non placeant: « Uxor tua Elisabeth pariet tibi, Zacharia, filium; et vocabis nomen ejus Joannem. ℣. Et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in Nativitate ejus gaudebunt. *Luc. I. 13.* »

7. Evangelium desinere posset ad verba *manus Domini erat cum illo*, ob causas in adnotationibus ad superiorem Missam declaratas.

8. Si alia desiderentur testimonia ad sæpe dictum Festum Nativitatis Sancti Joannis recurratur.

---

## LXXV.

### APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Quarto. — IN LOCO NATIVITATIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

*COMMUNIS MISSA FAMILIÆ PRÆCURSORIS.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Prov. XXIII. 24.*

Exsultat gaudio pater justi; qui sapientem genuit, lætabitur in eo: gaudeat pater tuus, et mater tua; et exsultet, quæ genuit te.

**Ps.** *CXVIII. 1.* Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, humilium consolator, qui præclaram Zachariæ et Elisabeth senectutem in edito Præcursore Filii tui sublimiter exaltasti: eorum meritis et intercessione concede; ut in lege tua fideliter ambulantes, valeamus propitiationem tuam et gratiam promereri. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLIV. 1.*

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua prædíti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in præsenti populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

**Graduale.** *Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui spe-

rant super misericordia ejus. ℣. *Deut. X. 15.* Dominus amavit eos, elegitque semen eorum post eos.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 57.* Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam Præcursorem Domini. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XCI. 14.* Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. ℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et bene patientes erunt, ut annuntient. ℣. Quoniam rectus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXVI. 8.* In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. Alleluja. ℣. *Tob. VIII. 17.* Benedicimus te, Domine Deus Israël, quia non contigit quemadmodum putabamus: fecisti enim nobiscum secundum misericordiam tuam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 5.*

Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini, sine querela; et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

**Offertorium.** *Gen. XVII. 16.* Benedicam uxori tuæ, dicit Dominus: et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum. Alleluja.

SECRETA.

Munera, Domine, fidelis populi per Angelum tuum ante conspectum divinæ Majestatis jube perferri: et beatorum Zachariæ et Elisabeth eorumque filii meritis, vota supplicum propitiatus exaudi. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Isai. LXVI. 14.* Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis ejus.

POSTCOMMUNIO.

Admiranda hujus Sacramenti operatio, misericors Deus, beatorum Zachariæ et Elisabeth eorumque filii gloriosa intercessione, sterilitatem animæ nostræ depellat, et in omni opere bono fructificare concedat. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Postquam Sanctis Zachariæ et Elisabeth eorumque filio Joanni singularis Missa tributa fuit, communis omnibus familiæ membris etiam inducitur, ut unusquisque Sacerdotum pro sua devotione et commoditate, prouti alias dictum est, quamcumque voluerit Missam celebrare possit.

2. Quatuor autem præcedentes Missæ assignantur domui urbanæ Sancti Zachariæ in qua ortus fuit Præcursor Domini, quæque ex traditione alia esse probatur a domo in qua Beata Virgo Maria cognatam suam Elisabeth salutavit.

3. Epistola breviari posset, initium ducendo a verbis *Omnes isti in generationibus gentis suæ*, omissis vel retentis quibusdam e præcedentibus versiculis.

4. Altera Epistola efformari posset e verbis, quæ leguntur *Cap. II. 7–13.* ac *18–21.* in libro Ecclesiastici.

5. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale sumptus fuit ex antiphona I. Laudum in Festo Nativitatis Sancti Joannis.

6. «Diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. *Jos. XXII. 5.*»

7. «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. *Ps. XXX. 20.*»

8. « Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos ℣. Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum. ℣. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. *Ps. XXXIII. 8.* »

9. « Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. ℣. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus. ℣. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea. *Ps. CII. 17.* »

10. « Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. *Prov. IV. 18.* »

## LXXVI.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Quinto. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI DEIPARA SALUTAVIT ELISABETH.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XII. 6.*

Exsultabit cor meum, Deus, in Salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini Altissimi.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in præclara Virginis Mariæ Visitatione multarum nobis exempla virtutum ostendisti: largire precibus nostris; ut cum Illa cœlesti amore succensi, gloriam tuam et proximi salutem in omnibus requiramus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 8.*

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

**Graduale.** *Judith. XIII. 17.* Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se. ℣. Et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israël.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXV. 16.* Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIII. 2.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur. ℣. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. IX. 2.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Alleluja. ℣. Lætabor, et exsultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 39.*

In illo tempore: Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo.

**Offertorium.** *Cant. VI. 8.* Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

SECRETA.

Hostias, quæ tibi in memoriam Visitationis Mariæ Virginis offeruntur, Domine, propitius

intende: ut cum ipsa Genitrice tua, dignas pro acceptis muneribus inde grates persolvere gaudeamus: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Visitatione.

**Communio.** *Ps. XLIV. 3.* Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, et in sæculum sæculi.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui per Genitricem tuam collata hominibus præmia mirabiliter in ejus Visitatione reserasti: da nobis horum memoriam innovantibus; ut acceptam Sacramenti gratiam probe cognoscere, et majora in dies beneficia promereri valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa Visitationis B. M. V., quæ in Missali Romano sub die II. Jul. exhibetur, recitari ex Indulto Apostolico jam poterat ceu votiva ad locum ubi mysterium illud fertur operatum. Nova tamen Missa hic sufficitur, quia testimonia illius quæ concessa fuerat, si Epistola et Evangelium excipiantur, communia sunt Festis Desponsationis, Nativitatis, et olim etiam Immaculatæ Conceptionis ipsius Deiparæ.

2. Psalmus ad Introitum, non e loco unde accepta fuit antiphona, sed aliunde sumitur, ne duo textus inter se nimium repugnare videantur. Hujusmodi exempla, ut Missas tantum universalis Ecclesiæ et Seraphici Ordinis attingamus, in Festis Orationis D. N. J. C., Patrocinii S. Joseph, S. Francisci Caracciolo, S. Aloysii Gonzagæ, Transfigurationis Domini, Decollationis S. Joannis, B. Bernardini de Feltria, S. Jacobi de Marchia, et S. Francisci Xaverii ad rem opportune occurrunt.

3. Si quæ num. superiori disseruntur, non placeant, sequens adhiberi posset Introitus: « *Ps. CIII. 33.* Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum: jucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino. *Ps. Ibid. 1.* Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. »

4. Alia Epistola, vel saltem plures textus accipi possent e *Cap. XXIV. 1-13.* in libro Ecclesiastici, et solos textus etiam a *vers. 13* ad *31.* inclusive.

5. Alter Tractus e verbis ejusdem Virginis posset efformari, nempe: « *Luc. I. 46.* Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo. ℣. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. ℣. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. »

6. Verba quibus Offertorium conficitur, leguntur etiam in ℟. II. ad Matutinum Visitationis ejusdem B. M. Virginis.

7. Antiphona sequens locum Communionis tenere valet, omisso vel in Offertorium mutata quæ superius edita fuit: « Mansit autem Maria cum Elisabeth cognata sua, quasi mensibus tribus: et reversa est in domum suam. *Luc. I. 56.* »

8. « Omne quod est in corde tuo vade, fac: quia Dominus tecum est. *II. Reg. VII. 3.* »

9. « Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. *Job. XXIX. 11.* »

10. « Deus, canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi. *Ps. CXLIII. 9.* »

11. « Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent. *Prov. VIII. 6.* »

## LXXVII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Sexto. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI ELISABETH SALUTATIONEM DEIPARÆ AUDIVIT.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *I. Reg. II. 1.*

℣. Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: quia lætata sum in Salutari tuo.

**Ps.** *XCI. 2.* Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, mirabilium operator, qui beatam Elisabeth Spiritu sancto replere, eique mysterium Incarnationis tuæ revelare dignatus es: ipsius nobis interventu concede; ut per vitæ innocentiam, mereamur habitaculum divinæ Majestatis fieri, et superni amoris abundantiam agnoscere. Qui vivis... in unitate ejusdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 10.*

Surge, propera amica mea, columba mea formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi

faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

**Graduale.** *I. Reg. XXV. 32.* Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu. ℣. *Gen. XXX. 27.* Inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento enim didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. VIII. 16.* Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 14.* Fortitudo mea, et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem. ℣. Vox exsultationis et salutis, in tabernaculis justorum. ℣. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Job. X. 12.* Vitam et misericordiam, Deus, tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. Alleluja. ℣. *Ps. CXVIII. 50.* Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 39.*

In illo tempore: Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

**Offertorium.** *Isai. XLIV. 3.* Effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam.

SECRETA.

Ad mensam tuam, Domine, Ecclesia lætabunda devotos tibi filios repræsentat: et per merita beatæ Elisabeth enixe deprecatur; ut super ipsos Spiritum sanctum et benedictionem tuam benignus effundas: Qui vivis... in unitate ejusdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Visitatione.

**Communio.** *Judith. XIII. 31.* Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui humilitatis nostræ memor, esca potuque cœlesti nos misericorditer allevasti: da, quæsumus per intercessionem beatæ Elisabeth; ut hæc sancta visitatio tua, et cordibus gaudium, et omnium mentibus lumen infundat: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Beata Elisabeth Præcursoris Mater, diversas in locis Nativitatis Sancti Joannis et Visitationis B. M. Virginis Missas habet, prouti omnino alterius utrobique mysterii particeps.

2. Altera Epistola, quæ mysterio hujus Loci et Sanctæ meritis convenire posset, invenitur in Missa Sanctæ Marthæ Virginis, quæ pro domo ipsius sub num. XLIX. pag. 69. assignatur.

3. Alter Tractus: «*Ps. C. 1.* Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. ℣. Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me. ℣. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.»

4. Evangelium hujus Missæ ac sequentis continet solummodo verba ad personam de qua agitur in Missa pertinentia; sed utrobique legi integre illud posset uti in Festo Visitationis.

5. In hac Missa et duabus quæ sequuntur, edicitur Præfatio de Visitatione B. M. V., juxta morem alibi quoque servatum in Missis ad aliud mysterium Præfatione propria donatum, pertinentibus.

6. «Benedicta inter mulieres *Elisabeth*, et benedicatur in tabernaculo suo. *Judic. V. 24.*»

7. «Mansit ergo arca Dei in domo illius tribus mensibus: et benedixit Dominus domui ejus, et omnibus quæ habebat. *I. Par. XIII. 14.*»

8. «Scio, Deus meus, quod simplicitatem diligas, et probes corda. *I. Par. XXIX. 17.*»

9. «Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. *Ps. LXXXIII. 3.*»

10. «Factum est mihi verbum tuum, Domine, in gaudium et in lætitiam cordis mei. *Jer. XV. 16.*»

## LXXVIII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Septimo. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI JOANNES IN SINU ELISABETH EXSULTAVIT.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXX. 5.*

Domine, spes mea a juventute mea: in te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.

**Ps.** *Ibid. 1.* In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me, et eripe me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beatum Joannem ab utero matris suæ coram te in Spiritu sancto exsultare fecisti: eadem nobis miseratione concede; ut a peccatorum maculis abstersi, supernis consolationibus jugiter abundemus: Qui vivis... in unitate ejusdem.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Cap. I. 4.*

In diebus illis: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te. Et dixi: A a a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum: et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes: dicit Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Isai. LXI. 10.* Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. ℣. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. III. 29.* Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Alleluja.

℟. *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 2.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus: et super Salutare tuum exsultabit vehementer. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.

℟. *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXIV. 9.* Anima autem mea exsultabit in Domino: et delectabitur super Salutari suo. Alleluja. ℣. *Ps. XXI. 11.* In te, Domine, projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 39.*

In illo tempore: Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.

**Offertorium.** *Habac. III. 18.* Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea. Alleluja.

SECRETA.

Beatus Joannes, quæsumus Domine, Altaris tui mysteria cognoscere nos faciat et amare: qui te nondum editus agnovit, et ad humanæ salutis adventum prophetica exsultatione gestivit: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Visitatione.

**Communio.** *Luc. I. 15.* Joannes erit ma-

gnus coram Domino: et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

POSTCOMMUNIO.

Sacramentalis tui præsentia, qua hospitium cordis nostri dignanter honorasti, quæsumus Domine: ut intercessione beati Joannis, gratiam Spiritus sancti, ac virtutum nobis plenitudinem infundat: Qui vivis... in unitate ejusdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem Sancti Joannis convenienter inducitur, ut recitari possit in Loco ubi ipse Præcursor Domini ad vocem Virginis Mariæ repletus, ut Angelus promiserat, Spiritu sancto in utero matris exsultavit coram Jesu, postquam fuisset ab originali sorde mundatus.

2. Epistola sumitur e Missali Romano in Vigilia Nativitatis ipsius Sancti Joannis, sub die XXIII. Junii.

3. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale sequens esse valet: « Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. *Isai. XII. 2.* »

4. Evangelium, ut in superiori Missa dictum est, continet solum verba quæ Sanctum Joannem respiciunt.

5. Antiphona etiam sequens locum Offertorii tenere posset: « Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum. *Isai. XLII. 1.* »

6. « Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. ℣. Iste Deus meus, et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum. *Exod. XV. 2.* »

7. « Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. *Isai. XLII. 6.* »

8. « Honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, dicit Dominus: ego dilexi te. *Isai. XLIII. 4.* »

9. « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. ℣. Et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. *Isai. XLIX. 1.* »

10. « Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude. *Soph. III. 17.* »

## LXXIX.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Octavo. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*COMMUNIS MISSA DE PERSONIS IN HOC MYSTERIO COMPREHENSIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CV. 4.*

Visita nos in Salutari tuo, Domine: ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ.

**Ps.** *Ibid. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui Mariæ clausus utero, Elisabeth ejusque filium benedictionibus implevisti: concede propitius; ut qui Visitationis hujus mirabilia recolimus, Spiritus sancti dona feliciter consequamur: Qui vivis... in unitate ejusdem.

Lectio Joëlis Prophetæ.

*Cap. II. 26.*

Hæc dicit Dominus Deus: Laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israël ego sum: et ego Dominus Deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in æternum. Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cœlo, et in terra: dicit Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Bar. IV. 22.* Ego enim speravi in æternum salutem vestram: et venit mihi gaudium a Sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno Salutari nostro. ℣. *Judith. XIII. 23.* Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXIX. 18.* Domine, fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: et super filium hominis, quem confirmasti tibi. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. ℣. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXV. 11.* Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Alleluja. ℣. *Ps. XIX. 6.* Lætabimur in Salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 39.*

In illo tempore: Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

**Offertorium.** *Ps. XXXI. 11.* Lætamini in Domino, et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

SECRETA.

Adesto Ecclesiæ tuæ votis, misericors Deus: et filios adoptionis jugiter in ejus sinu purifica; qui Mariæ ventre inclusus, Joannem in utero Elisabeth sanctificasti: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Visitatione.

**Communio.** *Ps. XXXIX. 17.* Exsultent, Deus, et lætentur in te omnes quærentes te; et dicant semper: Magnificetur Dominus; qui diligunt Salutare tuum.

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut adventus et mansionis tuæ in nobis, propitius dona custodias: qui, Joannem et Elisabeth sanctificaturus, illos pia Visitatione et mora diuturna Genitricis tuæ sinu reclusus honorasti: Qui vivis.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Quatuor præcedentes Missæ in Loco Visitationis B. M. V. dicendæ, juxta morem alibi servatum, personas partem principalem in mysterio habentes primo singillatim, deinde communiter considerant, præter Christum qui cæteroquin jam primas ubique tenet.

2. Quod autem non solum beata Virgo Maria, sed etiam reliquæ personæ in mysterio comprehensæ, duplici illo modo aptissime recolantur, patet e Breviario Romano; ubi licet Festum Visitationis approprietur Deiparæ, Lectiones tamen II. Nocturni ad Matutinum circa Joannem unice versantur.

3. Epistola, quæ in Missa sub num. LXXVI. pag. 110. in honorem B. M. V. recitatur, etiam huic posset adaptari, et præsertim si pro Deipara assumeretur Epistola in adnotationibus posita.

4. Alter Tractus, qui in locum præmissi subrogari valet: « *Ps. CXXV. 2.* Repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. ℣. Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. ℣. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. »

5. Priori e versiculis pro Temp. Pasch. hic alter suffici posset: « Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio. *Ps. CXLVI. 1.* »

6. Sequens antiphona locum Offertorii habere posset: « Dominus posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent. *Eccli. XVII. 7.* »

7. Multa testimonia cujuslibet e quatuor Missis præcedentibus, tum in corpore earumdem tum in subjectis notis et additionibus apposita, ad alias Missas accommodari possunt.

8. « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! *Ps. XXX. 20.* »

9. « Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. *Ps. XXXII. 1.* »

10. « Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major est enim omni laude. *Eccli. XLIII. 33.* »

11. « Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. *Eph. V. 18.* »

## LXXX.

### APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Nono. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI ZACHARIAS LOQUELA RECEPTA PROPHETAVIT.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXIX. 4.*

Dominus immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro: videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.

**Ps.** *Ibid. 2.* Exspectans exspectavi Dominum: et intendit mihi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per linguam beati Zachariæ ab incredulitatis vinculis absolutam, humanæ reparationis mysteria prophetali carmine reserasti: concede nobis per ejus preces et merita; ut divinis eloquiis firmiter adhærentes, valeamus amoris tui sacramenta cognoscere, dignisque prædicationibus celebrare. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XV. 1.*

Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum: et firmabitur in illo, et non flectetur: et continebit illum, et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum, Dominus Deus noster.

**Graduale.** *Ps. L. 10.* Auditui meo dabis gaudium, et lætitiam: et exsultabunt ossa humiliata. ℣. Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXV. 1.* Domine Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXX. 6.* In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis: et tu Domine adjutor fortis. ℣. Ego autem semper sperabo: et adjiciam super omnem laudem tuam. ℣. Os meum annuntiabit justitiam tuam: tota die Salutare tuum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluia, alleluja. ℣. *Ps. LXVIII. 30.* Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me. Alleluja. ℣. Laudabo nomen Dei cum cantico: et magnificabo eum in laude. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam.
*Cap. I. 59.*

Et factum est in die octavo, venerunt vicini et cognati circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

**Offertorium.** *Ps. CVIII. 30.* Confitebor Domino nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum.

SECRETA.

Sacrificium laudis immolantes tibi, Domine Deus, per intercessionem beati Zachariæ, ab omnibus iniquitatis vinculis miseratus absolve: ut puro corde et mundis labiis, dignum pro

acceptis beneficiis tibi gratiarum canticum persolvamus. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *II. Reg. XXIII. 2.* Spiritus Domini locutus est per me: et sermo ejus per linguam meam. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui per hanc sacramentalem visitationem, viscera misericordiæ tuæ in nos ostendere voluisti: da nobis, per gloriosa Zachariæ merita; ut ineffabilem charitatem tuam animo reputantes, in sanctitate et justitia, coram te jugiter servire gaudeamus: Qui vivis

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, in honorem Sancti Zachariæ apud Visitationis locum celebranda, considerat ipsum Dominici Præcursoris Patrem, qui in Circumcisione filii sui recepta loquela sublimiter prophetavit.

2. Cum idem Zacharias apud locum Nativitatis Sancti Joannis cultus jam fuerit in genere ut justus et Præcursoris Genitor, conveniens erat ut apud alterum Sanctuarium Visitationis ceu Propheta recoleretur. Quæ quidem varietatis inducendæ ratio, quamvis per se duplicis Missæ causam reddat, magis tamen confirmatur e vetusta traditione, juxta quam Zacharias in hac posteriori domo loquelam in Circumcisione Joannis recepisse et canticum *Benedictus* traditur efformasse.

3. Altera Epistola apte confici posset e verbis quæ *Cap. XII. 1-2.* in libro Isaiæ Prophetæ leguntur.

4. Evangelium hujus Missæ ac sequentis continet tantummodo verba, quæ respectivum Sanctum de quo in Missa peragitur, respiciunt.

5. « Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. *Ps. XXXIX. 6.* »

6. « Immola Deo sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua. ℣. Et invoca in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. *Ps. XLIX. 14.* »

7. « Redde mihi, Domine, lætitiam Salutaris tui: et spiritu principali confirma me. *Ps. L. 14.* »

8. « Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. ℣. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: et factus es mihi salutem. *Ps. CXVII. 28.* »

9. « Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me. ℣. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas. ℣. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas. *Ps. CXVIII. 170.* »

10. « Dominus spiritu intelligentiæ replebit illum: et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino. *Eccli. XXXIX. 8.* »

## LXXXI.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Decimo. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI ELISABETH PRÆCURSORI NOMEN ASSERUIT.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Judith. XIII. 24.*

Benedictus Dominus, quia nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Præcursori tuo Joanni nomen cœlitus inditum, per illius matrem constanter assertum voluisti: concede nobis, ipsa intercedente; ut voluntatem tuam agnoscere, et sine hominum timore semper implere gaudeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXVI. 16.*

Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius, datum Dei est: mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus: lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

**Graduale.** *Judith. VIII. 28.* Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. ℣. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum.

Alleluja, alleluja. ℣. *II. Esdr. IX. 7.* Tu ipse Domine Deus, elegisti illum, et posuisti nomen ejus; et implesti verba tua, quoniam justus es. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXI. 25.* Dominus non avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me. ℣. Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum. ℣. Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIV. 2.* In ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur. Alleluja. ℣. Et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam.
*Cap. I. 59.*

Et factum est in die octavo, venerunt vicini et cognati circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

**Offertorium.** *Ps. L. 8.* Ecce enim, Domine, veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

SECRETA.

Concede, misericors Deus, ut gratiam tuam muneribus nostris conciliet beata Elisabeth Præcursoris tui mater: per quam filio suo Joanni novum gratiæ nomen divinitus impositum confirmasti: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Luc. I. 13.* Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

POSTCOMMUNIO.

Sacramenta, quæ sumpsimus Domine, per merita beatæ Elisabeth, ab omni dilectione mundi nos penitus exsuant: ut non quæ caro et sanguis suadet eligere, sed quæ majestati tuæ sunt grata perficere studeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa in honorem inseritur Sanctæ Elisabeth, quæ in die, et (communius) etiam loco Circumcisionis filii sui, Joannis nomen nato delegit, quod mulieri, e sententia S. Ambrosii Episcopi, Spiritus sanctus, qui Angelo mandaverat, revelavit. — *Cf. Lect. IX. in Nativitate S. Joannis Baptistæ.*

2. Antiphona sequens perbelle etiam locum Introitus obtinere valet: « *Judith. XIII. 31.* Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob: quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël. »

3. Si ad varietatem inducendam, altera sumi Epistola congruum videatur, recurri posset ad Commune non Virginum nec Martyrum.

4. Ad *Alleluja* post Graduale subjici posset hic versiculus: « Fama nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat. *Esth. IX. 4.* »

5. Multa, quæ in præcedentibus Missis ponuntur, et præsertim in duabus ad eamdem Sanctam Elisabeth pertinentibus, sub num. LXXIII. pag. 105. et sub num. LXXVII. pag. 111. relatis, etiam præsenti Missæ accomodari possent.

6. « Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Judith. VIII. 8.* »

7. « Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tua edoce me. ℣. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die. *Ps. XXIV. 4.* »

8. « In multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. *Eccli. XXIV. 4.* »

9. « Dominus Deus servos suos vocabit nomine alio: in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen. *Is. LXV. 15.* »

## LXXXII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Undecimo. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*UBI FUIT CIRCUMCISO JOANNI NOMEN IMPOSITUM.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. LXII. 2.*

Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit; et eris corona gloriæ in manu Domini: quia complacuit Domino in te.

**Ps.** *XXXII. 1.* Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui in Nativitate Præcursoris tui, ejusque nominis impositione, multos gaudere et admirari fecisti: concede propitius; ut qui illius miram stupemus infantiam, exempla vitæ omnis imitantes, æternam lætitiam assequamur: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. XLIX. 1.*

Audite insulæ, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israël, quia in te gloriabor. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum: et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob: ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et Sanctum Israël qui elegit te.

**Graduale.** *Exod. XXXIII. 12.* Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me, dicit Dominus. ℣. *Gen. XII. 2.* Benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 66.* Iste puer magnus coram Domino: nam et manus ejus cum ipso est. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Luc. I. 76.* Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. ℣. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum. ℣. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos Oriens ex alto.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XLIII. 1.* Noli timere, dicit Dominus, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. Alleluja. ℣. Honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus: ego dilexi te. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 59.*

Et factum est in die octavo, venerunt vicini et cognati circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

**Offertorium.** *Gen. XVII. 12.* Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: dixit Dominus ad Abraham.

SECRETA.

Deus, qui hominibus Solem justitiæ proxime oriturum, beati Joannis gloriosis primordiis annuntiasti: concede famulis tuis; ut per i-

psius Christi sacramentalem in nos adventum, a vitiorum tenebris erepti, pedes nostros in viam pacis dirigamus. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Eccli. XI. 13.* Dominus exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in hac mystica refectione memoriam fecisti mirabilium tuorum: concede beati Præcursoris tui precibus; ut omnia quæ nobis dignatus es elargiri, in corde nostro ponentes, te operibus bonis semper laudare valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In loco Visitationis B. M. V. non solum Præcursor Domini in utero matris sanctificatus, sed etiam octavo die post Nativitatem circumcisus fuisse traditur: hinc pro duplici mysterio, bina eidem statuitur Missa, suis respectivis juxta traditionem locis celebranda.

2. Cum Visitationis locus etiam Sancti Joannis proprius exsistat, etsi traditio illa de Circumcisione in dubium vocetur, tamen bene de hoc mysterio inibi agi potest, uti hucusque apud Bethlehem de Sancto Joseph legebatur Evangelium civitatem Nazareth respiciens; quia in pluribus Sanctuariis non locorum mysteria, sed personarum facta plerumque ad Missam recoluntur.

3. Epistola legi posset uti in Festo Nativitatis Sancti Joannis, ubi Missale Romanum plura verba omittit, quæ in textu Isaiæ Prophetæ leguntur.

4. Altera Epistola, quæ Circumcisionis mysterio optime quadrat, sumi posset ex eo Genesis loco, unde Offertorium acceptum est; nempe: « Lectio libri Genesis. *Cap. XVII. 9-14.* In diebus illis: Dixit Deus ad Abraham: Et tu ergo..... quia pactum meum irritum fecit: ait Dominus omnipotens. »

5. Alii versiculi pro Temp. Pasch. sequentes esse possent: « In medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur. ℣. Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. *Eccli. XXIV. 3.* »

6. « Tu ipse Domine Deus, elegisti illum, et posuisti nomen ejus; et implesti verba tua, quoniam justus es. *II. Esd. IX. 7.* »

7. « Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. *Ps. XX. 4.* »

8. « Ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël, propter servum meum Jacob, et Israël electum meum. *Isai. XLV. 3.* »

9. « Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. *Luc. I. 13.* »

10. « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus *Joannes*, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. *Luc. II. 21.* »

## LXXXIII.

APUD MONTANA JUDÆÆ.

### Duodecimo. — IN LOCO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*COMMUNIS MISSA FAMILIÆ PRÆCURSORIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XXXIX. 19.*

Benedicite Dominum in operibus suis: date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis.

**Ps.** *CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui super famulos tuos Zachariam et Elisabeth eorumque prolem, Jesu salutaris tui lætitiam effudisti: da nobis memoriam ipsorum celebrantibus; ut per vitæ innocentis opera, cœlestia bona abs te consequi valeamus. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

*Cap. III. 12.*

Fratres: Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut

et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

**Graduale.** *Eccli. II. 20.* Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ℣. *Zach. X. 7.* Et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum Domino.

Alleluja, alleluja. ℣. *Eph. V. 18.* Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CII. 17.* Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. ℣. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus. ℣. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. V. 12.* Lætentur omnes, qui sperant in te Domine, in æternum exsultabunt: et habitabis in eis. Alleluja. ℣. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices justo. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam.
*Cap. I. 59.*

Et factum est in die octavo, venerunt vicini et cognati circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

**Offertorium.** *Isai. XXIX. 19.* Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israël exsultabunt.

SECRETA.

Beati Præcursoris tui, Domine, ejusque parentum merita, indignitatem nostram aptius avertant: ut sacrificium, quod in eorum venerationem tibi immolare gaudemus, dignos in nobis effectus operetur: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Act. II. 18.* Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, dicit Dominus, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in hoc venerabili Sacramento nobiscum facere secundum misericordiam tuam voluisti: da nobis beati Joannis ejusque Parentum exemplis; ut sine peccato tibi famulantes, nunc fructum in sanctificationem, finem vero æternam vitam habeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Ut ratio intelligatur cur tot Missæ assignatæ sint loco Visitationis B. M. V., scire oportet Sanctuarium illud duabus constare Ecclesiis, altera alteri superposita, duplicique domus Zachariæ tabulato respondentibus: in Ecclesiam inferiorem traditur Elisabeth descendisse, ut adventanti Deiparæ occurreret; in superiori autem Joannes octavo circumcisus die, ejusque Patri fertur loquela restituta.

2. Cum igitur loca mysteriis Visitationis B. M. V. et Circumcisionis Joannis maneant insignia, juxta normam jugiter in hoc servatam opere, Sanctis omnibus ad duplex mysterium spectantibus, primo singillatim, dein communiter est honor Missæ tributus.

3. Plures autem sunt Missæ, quia multi in mysterio habent principalem partem. In utroque enim respective Sanctuario, Joannes sanctificatur, Elisabeth prophetat, Deipara in Salutari suo exsultat; mater filio nomen asserit, mutus pater

eloquitur, circumciditur Infans. Hinc locus ille vere inter omnia laudandus, qui tot mysteriorum testis, tantarumque fuit personarum exceptor. Nihil additur de Christo, quoniam ad illum semper referenda sunt omnia, quæ in singulis Missis apponuntur.

4. Ad Introitum dici posset: « *Ps. XXXII. 1.* Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. »

5. Altera Epistola confici posset e libro Ecclesiastici *Cap. II. 7–13.* ac *18–21.*, si mutetur in hoc casu Gradualis initium.

6. Alter Tractus: « *Ps. XXXII. 20.* Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te. »

7. Alii textus inveniri possunt in Missa, quæ sub num. LXXV. pag. 108. in loco Nativitatis Sancti Joannis assignatur familiæ Præcursoris; necnon in altera, quæ sub num. LXXIX. pag. 114. in loco Visitationis B. M. V. omnibus personis in mysterio comprehensis statuitur.

8. « Cum timore et tremore confitemini Domino: Regemque sæculorum exaltate in operibus suis. *Tob. XIII. 6.* »

9. « Repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exsultatione. ℣. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. *Ps. CXXV. 2.* »

---

## LXXXIV.

### APUD MONTANA JUDÆÆ.

### **Decimotertio.** — IN DESERTO ILLO UBI PRÆCURSOR DOMINI PUER HABITASSE TRADITUR.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Luc. I. 80.*

Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israël.

**Ps.** *CXVIII. 1.* Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, pro cujus amore beatus Joannes Præcursor Filii tui a primis vitæ annis, hominum frequentiam fugit, et in solitudinem evolavit: tribue nobis ex ejus imitatione, mundi inquinamenta devitare, ac te solum Dominum pura mente requirere. Per eumdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. XL. 1.*

Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.

**Graduale.** *Thr. III. 24.* Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum. ℣. Bonum est præstolari cum silentio Salutare Dei.

Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. III. 28.* Sedebit solitarius, et tacebit: quia levavit super se. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LIV. 7.* Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? ℣. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine: exspectabam eum, qui salvum me fecit. ℣. Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate: et labor in medio ejus, et injustitia.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LI. 3.* Dominus ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Alleluja. ℣. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. III. 1.*

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, et Caipha: factum est verbum Domini super Joannem,

Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus: omnis vallis implebitur: et omnis mons, et collis humiliabitur: et erunt prava in directa: et aspera in vias planas: et videbit omnis carō Salutare Dei.

**Offertorium.** *Gen. XXI. 20.* Fuit Dominus cum puero: qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis, habitavitque in deserto.

SECRETA.

Munda famíliam tuam, misericors Deus, ab omni inquinamento carnis et spiritus: ut beati Joannis monitu, removentes lapidem offensionis et petram scandali, venturo in nos Unigenito tuo viam digne præparemus: Qui tecum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Deut. XXXII. 10.* Invenit eum Dominus in terra desérta, in loco horroris, et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui.

POSTCOMMUNIO.

Quos, Domine, cœlestis ope Sacramenti fideles emundasti, æterna protectione custodi: ut exemplo Præcursoris tui, sæculi tumultum et pericula fugientes; participes non simus delictorum mundi, et de plagis ejus non accipiamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Jam Sedes Apostolica permiserat ut in hoc Sanctuario, quod primum est inter deserta quæ Præcursor incoluit, ceu votiva recitari posset Missa, quam exhibet Missale Romanum in Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, præter Evangelium, cui per Indultum sufficiebatur illud, quod in Dominica IV. Adventus adhibetur.

2. Cum vero Missa, de qua superiori num. dictum est, non admodum Loci mysterio respondeat, nova hic adjicitur, in qua tamen Evangelium, uti prius, e Dominica IV. Adventus congrue desumitur.

3. Epistolæ superius editæ addi possent verba, quæ in eodem *Capite XL.* Isaiæ versiculis *9-10.* continentur.

4. Altera Epistola, vel saltem plurimi textus sumi possent ex integro *Capite XXXV.* in libro Isaiæ Prophetæ.

5. Sequentes etiam versiculi pro Temp. Pasch. inservire possent: « ℣. Ducam eum in solitudinem, dicit Dominus: et loquar ad cor ejus. *Os. II. 14.* ℣. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. *Os. XIII. 5.* »

6. In principio Offertorii additur vox *Dominus,* ut clare perspiciatur cuinam referendum sit verbum *fuit.* Hebræa, Chaldæa, et Septuaginta, uti P. Cornelius a Lapide testatur, supplent vocem *Deus,* quæ in Vulgata Editione non sine detrimento claritatis omittitur. — *Cf. Comment. ejusd. Auctoris in Cap. XXI. 20. Gen.*

7. « Crevitque puer, et benedixit ei Dominus: cœpitque Spiritus Domini esse cum eo. *Judic. XIII. 24.* »

8. « Habitabit in solitudine judicium: et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. *Isai. XXXII. 16.* »

9. « Et facta est super me manus Domini, et dixit ad me: Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum. *Ezech. III. 22.* »

10. « Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus; et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem. *Ezech. XXXIV. 25.* »

## CAPUT DECIMUMTERTIUM.

### LXXXV.

IN VIA AB JEROSOLYMIS IN JOPPEN.

### Primo. — UBI CHRISTUS JUNXIT SE DUOBUS DISCIPULIS EUNTIBUS IN CASTELLUM NOMINE EMMAUS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. IV. 12.*

Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ: et qui illam diligit, diligit vitam.

**Ps.** *XLV. 2.* Deus noster refugium, et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui post Resurre-

ctionem tuam discipulis in via te comitem adjunxisti: da nobis, eorum intercessione; ut tecum jugiter ambulantes, in angustiis nostris lumen et solatium inveniamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Sap. Cap. VI. 12.*

Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est, et quæ numquam marcescit Sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis.

**Graduale.** *Ps. CXVIII. 130.* Declaratio sermonum tuorum, Domine, illuminat: et intellectum dat parvulis. ℣. *Eccli. VII. 38.* Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. XXXI. 13.* Convertam luctum eorum in gaudium, dicit Dominus: et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CIV. 3.* Laudamini in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum. ℣. Quærite Dominum, et confirmamini: quærite faciem ejus semper. ℣. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit: prodigia ejus, et judicia oris ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. XXX. 5.* Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. Alleluja. ℣. *Esth. XVI. 21.* Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIV. 13.*

In illo tempore: Duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo: et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

**Offertorium.** *Jer. XXIII. 29.* Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?

SECRETA.

Deus, qui discipulis in via præsentiam exhibes, et cognitionis tuæ speciem abscondis: concede propitius; ut nunc mysteriis abditum te digne suscipientes, revelata tandem facie jugiter contemplari mereamur: Qui vivis.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *Marc. XVI. 12.* Duobus ex discipulis ambulantibus ostensus est Jesus in alia effigie, euntibus in villam: et illi euntes nutiaverunt cæteris.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestium operatio Sacramentorum, quæsumus Domine, ignorantiam nostram erudiat, et roboret infirmitatem: ut Christi valeamus testimonia cognoscere, et in gloriam ipsius, communicatis passionibus, introire. Per eumdem.

¶ *In Missis votivis Fer. II. infra Octavam Paschatis et in Festo Sancti Cleophæ perque ejus Octavam recitandis præceptive, aliis autem diebus libere, Evangelium integre legitur, ut in sequenti Missa sub num. LXXXVI. pag. 125. ponetur.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Alter Introitus sequens esse valet : « *Prov. I. 23.* Convertimini ad correptionem meam : en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. *Ps. LXXVII. 1.* Attendite, populе meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei. »

2. Nec repugnaret etiam Introitum confici, aut verbis quibus alter Tractus num. 4 inferius proponitur cum eodem Psalmo Missæ, aut etiam hoc modo : « *Luc. XXIV. 32.* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ? *Ps. LXXIV. 2.* Confitebimur tibi Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum. — *Cf. ant. ad Bened. Fer. II. infra Hebd. IV. post Pascha.* »

3. Alterum Graduale, cujus secundus versus a S. Bonav. *Comment. in Evang. Luc. Cap. XXIV.* mysterio applicatur : « **Graduale.** *Jer. XXXI. 13.* Convertam.... suo. ℣. *Job. XIX. 15.* Sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. — Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXVIII. 130.* Declaratio.... parvulis. Alleluja. »

4. Tractus efformari posset etiam e verbis inferius appositis, et iis revera effectus jam fuisset, nisi in decursu Epistolæ ad Missam sub num. LXXXVI. pag. 125. repetendus foret ille textus. « *Prov. II. 6.* Dominus dat sapientiam : et ore ejus prudentia, et scientia. ℣. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter. ℣. Servans semitas justitiæ, et vias Sanctorum custodiens. »

5. Evangelium in hac Missa et in altera sub num. LXXXVII. pag. 127. ordinarie iis tantum continetur verbis, quæ mysterium Loci satis declarent ; sed iis Sacerdotibus, quibus totam facti historiam percurrere libuerit, integra permittitur Evangelii lectio, quæ Feria II. infra Octavam Paschatis assignatur.

6. Alios textus suppeditare possent antiphonæ quæ ad Magnificat aut Benedictus leguntur Fer. II. infra Octavam, Fer. V. et VI. infra Hebdomadam II., cunctis diebus infra Hebdomadam III., et Fer. II. infra Hebdomadam IV. post Pascha. Hic tamen non referuntur, quia ibi et in Evangelio hujus et duarum insequentium Missarum inveniri possunt ; quamvis utile illos sit indicasse, ob varietatem aliquam verborum qua antiphonæ illæ conficiuntur.

7. « In quo enim scire poterimus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram ? *Exod. XXXIII. 16.* »

8. « Extraneus factus sum fratribus meis : et peregrinus filiis matris meæ *Ps. LXVIII. 9.* »

9. « Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. *Prov. III. 32.* »

10. « Exprobravit Jesus incredulitatem eorum et duritiam cordis ; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. *Marc. XVI. 14.* »

## LXXXVI.

IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN.

**Secundo.** — EMMAUNTE UBI COGNITUS EST JESUS IN FRACTIONE PANIS.

*MISSA DE SANCTO CLEOPHA CHRISTI DISCIPULO.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XV. 3.*

Cibavit illum pane vitæ, et intellectus : et aqua sapientiæ salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominm : in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in die Resurrectionis beatum Cleopham divinis eloquiis eruditum, Angelorum pane refecisti : ejus nobis intercessione concede ; ut sermonum tuorum declaratio divinam nos voluntatem edoceat, et ad eam implendam cœlestis mensæ operatio perducat : Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. II. 1.*

Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua : inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ : si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies : quia Dominus dat sapientiam : et ex ore ejus prudentia, et scientia. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et vias Sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam.

**Graduale.** *Sap. VIII. 16.* Intrans in domum

meam, conquiescam cum Sapientia: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius; sed lætitiam, et gaudium. ℣. *Job. XXXI. 32.* Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXIII. 3.* Cor meum, et caro mea, exsultaverunt in Deum vivum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XCIII. 12.* Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malis. ℣. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. ℣. Et factus est mihi Dominus in refugium: et Deus meus in adjutorium spei meæ.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXVIII. 135.* Faciem tuam illumina super servum tuum, Domine: et doce me justificationes tuas. Alleluja. ℣. Ignitum eloquium tuum vehementer: et servus tuus dilexit illud. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIV. 13.*

In illo tempore: Duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo: et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquaverunt castello, quo ibant: et ipse se finxit longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

**Offertorium.** *Jer. XV. 16.* Inventi sunt sermones tui, Domine, et comedi eos: et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei.

SECRETA.

Renovantes in tui memoriam, Domine, cœlestis fractionem panis, illæ nos amoris flammæ succendant: quas in corde beati Cleophæ discipuli tui vehementer excitasti: Qui vivis.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *Apoc. III. 20.* Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum, dicit Dominus.

POSTCOMMUNIO.

Sacra, Domine, mysteria quæ te jubente peregimus, divinæ illustrationis gratiam nobis adaugeant: quæ post Resurrectionem tuam in domo Cleophæ iterum celebrata, ab ejus corde tenebras expulerunt: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc inducitur in honorem « beati Cleophæ Christi discipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius a Judæis occisum, et gloriosa memoria sepultum. » — *Cf. Martyrolog. Roman. sub die 25. Sept.*

2. Cum tamen Sanctus Cleophas in Scripturis solum celebretur, cum agitur de Christo post mortem apparente duobus discipulis euntibus in villam; congruum visum fuit omnes Missæ partes mysterio antedicto potius accommodari, quam illas ad Sancti vitam et mortem extendi.

3. Duo primi versiculi Gradualis e *Sap. VIII. 16.* simul confici possent, secundo a verbis *Non enim habet* inchoato.

4. Priori e versiculis pro Temp. Pasch. substitui posset is, qui sequitur: « Declaratio sermonum tuorum, Domine, illuminat: et intellectum dat parvulis. *Ps. CXVIII. 130.* »

5. Evangelium integre legitur sicut in Fer. II. infra Octavam Paschatis, quia non locum Missa considerat, sed personam, quæ in tota illius facti narratione suas partes habere dignoscitur.

6. « Convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus. *I. Reg. XIV. 27.* »

7. « Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. *III. Reg. XIII. 15.* »

8. « Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. *Prov. XII. 25.* »

9. « Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam. *Eccle. II. 26.* »

10. « Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus. *Cant. V. 6.* »

11. « Loquere, major natu: decet enim te primum verbum diligenti scientia. *Eccli. XXXII. 4.* »

---

## LXXXVII.

IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN.

### Tertio. — EMMAUNTE UBI COGNITUS EST JESUS IN FRACTIONE PANIS.

*MISSA DE IPSO RECOGNITIONIS MYSTERIO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Sap. XVI. 26.*

Scierunt filii tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines; sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.

**Ps.** *LXXII. 1.* Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde!

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui ad confirmandos in fide Resurrectionis discipulos tuos, Cleophæ ejusque socio in via apparere, et in fractione panis ab ipsis cognosci voluisti: mentes etiam nostras illumines, et corda dilates; ut alacriter viam mandatorum inoffenso pede currentes, beatæ resurrectionis gaudia consequamur: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. X. 37.*

In diebus illis: Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

**Graduale.** *Ps. CX. 4.* Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. ℣. *Ps. XXXIII. 19.* Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

Alleluja, alleluja. ℣. *II. Esdr. IX. 25.* Comederunt, et saturati sunt, Domine: et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXV. 9.* Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis

tuæ potabis eos. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Prætende misericordiam tuam scientibus te; et justitiam tuam his, qui recto sunt corde.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XXIV. 35.* Cognoverunt discipuli Dominum Jesum in fractione panis. Alleluja. ℣. *Sap. XVI. 21.* Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIV. 28.*

In illo tempore: Duo ex discipulis cum Jesu appropinquaverunt castello, quo ibant: et ipse se finxit longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

**Offertorium.** *Jos. XXIII. 14.* Toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum.

SECRETA.

Oblationem nostram respice, misericors Deus: et sicut preces discipulorum, ad hospitium domus suæ te invitantium, benignus audisti; ita et devotioni nostræ, te in cordis habitaculum expetenti, visitationis gratiam largiaris: Qui vivis.

*Præfatio Paschalis.*

**Communio.** *IV. Reg. VII. 9.* Dixerunt ad invicem: Hæc dies boni nuntii est! Si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, et nuntiemus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Mentes nostras, Domine, gratia tuæ Resurrectionis illustra: et cujus mysterii veritatem, discipulis in fractione panis comprobasti, ejus in nobis virtutem, divini Sacramenti renovata participatione confirma: Qui vivis.

℟ *In Missis votivis Fer. II. infra Octavam Paschatis, et in Festo ac per Octavam Sancti Cleophæ Discipuli Jesu recitandis præceptive, aliis autem diebus libere, Evangelium integre legitur, uti in Missa præcedenti sub num. LXXXVI. pag. 125. est appositum.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Plura hujus Missæ testimonia respiciunt fractionem illam panis, qua cognitus est Jesus, ceu Sanctissimam ejus Eucharistiam; ac talem revera fuisse, non solum multis Patribus et Doctoribus certum, sed etiam confirmatum manet exemplo Missalis Romani, ubi in Missa votiva de ipso SS. Eucharistiæ Sacramento primus pro Temp. Pasch. versiculus est sequens: «Cognoverunt discipuli Dominum Jesum in fractione panis. *Luc. XXIV. 35.*»

2. De Socio Sancti Cleophæ, cum non certo e Scripturis et traditione constet quisnam ille fuerit, nulla ponitur Missa; nihilque pariter agitur de sancta uxore sanctisque filiis, qui et hujus Cleophæ fuisse, et Sanctuarium hoc ceu propriam domum incoluisse non cum omnimoda certitudine asseruntur.

3. Antiphonæ etiam sequentes locum Introitus habere possent: I° «*Bar. II. 31.* Scient quia ego sum Dominus Deus eorum: et dabo eis cor, et intelligent; aures, et audient: et laudabunt me, et memores erunt nominis mei. II° *Joël II. 26.* Comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum.»

4. Epistola et Evangelium e Missa Fer. II. infra Octavam Paschatis congrue desumuntur; sed Evangelium, extra Fer. antedictam ac Festum et Octavam Sancti Cleophæ, integrum aut breviatum, uti alias dictum fuit, electioni Sacerdotum permittitur.

5. Testimonia hujus Missæ ac duarum immediate præcedentium cum suis notis ita sunt comparata, ut commode ex una in aliam Missam plerumque transferri possint.

6. «Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi. *Ps. XXI. 27.*»

7. «Et justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia. *Ps. LXVII. 4.*»

8. «Abominabile Domino cor pravum: et voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant. *Prov. XI. 20.*»

9. «Dominus invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap. I. 2.*»

## LXXXVIII.

IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN.

### Quarto. — IN DOMO SANCTI NICODEMI DISCIPULI JESU APUD CIVITATEM RAMULAM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XCIII. 12.*

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: et de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malis.

**Ps.** *Ibid. 1.* Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beato Nicodemo, ad audiendam doctrinam tuam nocte ad te venienti, thesauros cœlestis sapientiæ misericorditer reserasti: da nobis, ejus intercessione et exemplo, ita crescere in scientia tua; ut in omni opere bono fructificantes, secundum Evangelii lumen, coram te jugiter ambulemus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

*Cap. III. 7.*

Fratres: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius, configuratus morti ejus: si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.

**Graduale.** *Sap. X. 10.* Justum deduxit Sapientia per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum. ℣. Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXIV. 9.* Diriget Dominus mansuetos in judicio: docebit mites vias suas. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIV. 1.* Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. ℣. Neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. ℣. Vias tuas Domine demonstra mihi: et semitas tuas edoce me. ℣. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLII. 8.* Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Alleluja. ℣. *Eccli. XXXII. 18.* Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. III. 1.*

In illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt hæc

fieri? Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israël, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

**Offertorium.** *Eccli. LI. 23.* Danti mihi sapientiam, dabo gloriam: consiliatus sum enim ut facerem illam: zelatus sum bonum, et non confundar.

SECRETA.

Hostia salutaris, quam tibi Deus in honorem beati Nicodemi sistimus immolandam, e cordibus nostris timorem expellat: ut ad exemplum hujus discipuli, te et justitiam tuam coram hominibus profiteri non vereamur: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Eccli. XXXVIII. 16.* Fili in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui beatum Nicodemum ad unctionem et sepulturam corporis tui benignus elegisti: ipsius meritis et intercessione concede; ut qui te divinis abditum mysteriis in corde receperunt, tuum bonum odorem ubique diffundant, et ad vitam resurgere mereantur æternam: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc votiva, in honorem Sancti Nicodemi recitanda, considerat ipsum Christi discipulum ter in Evangelio Joannis celebratum: cum venit ad Jesum nocte, doctrinam hujus auditurus; cum exprobravit Pontificibus et Pharisæis illegalem ipsorûm procedendi rationem contra Dominum; et denique cum venit aromatibus condire corpus Magistri et tradere sepulturæ. Hæc tres Nicodemi actiones tribus orationibus Missæ suaque præcedenti antiphona recoluntur, quamvis præcipuum teneat locum instructio qua cœlestibus mysteriis fuerat eruditus.

2. De Sancto Joseph ab Arimathæa, qui et in hac civitate dicitur habitasse et domum juxta alteram Nicodemi habuisse, ob sententiarum diversitatem aliasque causas, nihil in præsenti opere ducitur addendum.

3. In Secreta nomini Sancti Nicodemi additur solum qualitas *Discipuli*, cum in Proprio Fratrum Minorum Terræ Sanctæ die III. Aug. ut Confessor, et in Proprio Ecclesiæ Metropolitanæ Taurinensis die XXVI. Mart. ut Martyr consideretur.

4. Altera Epistola, quæ simul utrumque Nicodemi factum *Capite III. et VII.* Joannis comprehensum attingat, invenitur in *Cap. II. 1-15.* de libro Proverbiorum.

5. Evangelium ad omne colloquium Jesu cum Nicodemo extenditur; sed posset etiam breviatum legi, ut pro Festo Inventionis sanctæ Crucis sub die III. Maji assignatur in Missali Romano.

6. Alter Tractus: «*Ps. CXVIII. 10.* In toto corde meo exquisivi te, Domine: ne repellas me a mandatis tuis. ℣. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi. ℣. Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.»

7. «Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Tob. IV. 20.*»

8. «Viam sapientiæ monstrabo tibi; ducam te per semitas æquitatis. ℣. Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. *Prov. IV. 11.*»

9. «Omni tempore diligit, qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur. *Prov. XVII. 17.*»

10. «Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba scientiæ. *Prov. XXIII. 12.*»

11. «Et crudiet illum in judicio: Deus suus docebit illum. *Isai. XXVIII. 26.*»

12. «Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. *Joann. XII. 46.*»

# LXXXIX.

## IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN.

### Quinto. — IN IPSA CIVITATE JOPPE UBI PETRUS APOSTOLUS DEMISSUM E CŒLO LINTEUM VIDIT.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ezech. XL. 4.*

Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi, adductus es huc.

**Ps.** *CIV. 1.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annuntiate inter Gentes opera ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui per Apostolum Petrum divinis revelationibus eruditum, primitias Gentium Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: ipsius nobis intercessione concede; ut justitiam fideliter operantes, in conspectu divinæ majestatis tuæ gratiam inveniamus. Per Dominum.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

ORATIO.

Deus qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. XI. 1.*

In diebus illis: Audierunt Apostoli, et fratres, qui erant in Judæa: quoniam et Gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cœlo, et venit usque ad me. In quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et volatilia cœli. Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, et manduca. Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune aut immundum numquam introivit in os meum. Respondit autem vox secundo de cœlo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter: et recepta sunt omnia rursum in cœlum. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri. Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi: Mitte in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua. Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt: et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

**Graduale.** *Ezech. XLIV. 5.* Dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te. ℣. *Ezech. II. 8.* Audi quæcumque loquor ad te: aperi os tuum, et comede quæcumque ego do tibi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ezech. I. 1.* Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei: et facta est super me ibi manus Domini. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. IX. 2.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. ℣. Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. ℣. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter Gentes studia ejus.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ezech. III. 10.* Dixit Dominus ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi. Alleluja. ℣. *Job. XIII. 1.* Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XVI. 13.*

In illo tempore: Interrogabat Jesus discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

**Offertorium.** *Eccli. IV. 20.* Dominus lætificabit illum, et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ.

SECRETA.

Purifica Deus, beati Petri Apostoli meritis et intercessione, familiam tuam ab omni sorde peccati: ut orationes nostræ cum oblationibus hostiarum ascendentes in memoriam in conspectu tuo, valeant nobis misericordiæ dona conciliare. Per Dominum.

℣ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Act. XV. 7.* Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Munera tua quæ sumpsimus, Deus, intercedente beato Petro Apostolo, et præteritorum pœnitentiam criminum dent nobis ad vitam: et nos in accepta faciant perseverare justitia. Per Dominum.

℣ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hæc Missa pro obiecto habet celebrem Petri Apostoli in civitate Joppe visionem, in qua per linteum e cœlo demissum et animalia cujusque generis a Petro occidenda et manducanda, signabantur Gentiles ab eodem Apostolorum Principe Ecclesiæ primitus aggregandi.

2. In hac Missa ad Sanctum Petrum pertinente, juxta Rubricarum legem, commemoratio agitur de coapostolo ejus Paulo, sumptis orationibus e Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii.

3. In principio Evangelii addi etiam possent verba «*Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi et* interrogabat discipulos», quæ omissa solum fuerunt, quia nullam cum præsenti Loco relationem habent.

4. Communionis textus ita mutari, prolongarique posset: «Deus ab antiquis diebus elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere: et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum. *Act. XV. 7.*»

5. Antiphona etiam sequens locum Communionis habere potest: «Ecce enim, Domine, veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Ps. L. 8.*»

6. Multos textus suppeditare valet integrum *Caput X.* de libro Actuum Apostolorum, ex quo et Epistola efformari posset hoc modo: «Lectio Actuum Apostolorum. *Cap. X. 9-23.* In diebus illis: Ascendit Petrus.... comitati sunt eum.»

7. «Narravitque omnia verba Domini, quibus miserat eum; et signa, quæ mandaverat. *Exod. IV. 28.*»

8. «Auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt. *Num. XXIV. 16.*»

9. «Audivi vocem loquentis, et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. *Ezech. II. 1.*»

10. «Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. *Dan. IX. 23.*»

# CAPUT DECIMUMQUARTUM.

## XC.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Primo. — APUD BASILICAM ANNUNTIATIONIS B. M. V.

*MISSA DE SANCTO GABRIELE ARCHANGELO.*

**AD MISSAM.**

**Introitus.** *Ps. CII. 20.*

Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus: potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

**Ps.** *Ibid. 1.* Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui inter cæteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis Filii tui mysterium, Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Per eumdem.

Lectio Danielis Prophetæ.

*Cap. IX. 21.*

In diebus illis: Ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.

**Graduale.** *Luc. I. 26.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. ℣. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

Alleluja, alleluja. ℣. Ecce completa sunt omnia, quæ dicta sunt per Angelum Gabrielem de Virgine Maria. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. ℣. Dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 26.* Angelus Gabriel nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto. Alleluja. ℣. Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam

virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

**Offertorium.** *Luc. I. 26.* Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum Gabrielem transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem: ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

SECRETA.

Exaudi Domine preces nostras, quas per Archangelum tuum Gabrielem mittimus præsentandas: quibus suppliciter exoramus; ut et hanc hostiam salutarem, et per eam nos tibi sacratos, in odorem suavitatis accipias. Per Dominum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Annuntiatione.

**Communio.** *Matth. I. 20.* Angelus Domini apparuit Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Corporis tui et Sanguinis sumptis mysteriis, tuam, Domine Deus noster, deprecamur clementiam: ut sicut, Gabriele nuntiante, Incarnationem tuam cognovimus; ita ipso adjuvante, Redemptionis beneficia consequamur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missæ saltem tres in honorem Sancti Gabrielis Archangeli concessæ inveniuntur, quæ inter se Evangelium tantum commune habent: prima inter Festa pro aliquibus locis in Appendice Missalis Romani collocatur, secunda in Proprio Fratrum Minorum, ac tertia in Supplemento pro Venetiarum Diœcesi.

2. Quum autem, juxta normam jugiter in hoc servatam opere, quælibet Missa, si fieri possit, propria esse debeat, mysterio Loci accommodata, et textibus in alia Missæ parte absque necessitate maxime per eadem verba haud repetendis; nulla e Missis antedictis integre sumi poterat, quin aliquod incommodum, ex uno aliove capite, foret incurrendum. Omnes enim, vel testimonia sat communia applicant, vel in mysteriis ab Incarnatione Christi diversis Archangelum considerant.

3. Ut igitur hæc devitentur incommoda, meliores partes e tribus Missis in superius editam transferuntur, quædam e Breviario Romano congrue supplentur, et paucæ emendantur in melius. Non videtur autem hic necessarium indicare hujusmodi variationes, non solum quia facile possunt dignosci, sed et magis quia hæc Missa non ex illarum approbatione vim habere debeat, sed e novo examine, cui velut omnino propria noviterque composita subjicitur.

4. Quod si una tantum ex illis integra sumi velit, aptior videtur Missa quæ Venetiarum Diœcesi est indulta: in qua tamen Offertorium convenienter in superius editum posset immutari.

5. Epistola ideo convenientior reputatur, quoniam in ipsa Angelus mysterium illud Vati prænuntiat, quod Virgini plenius dein explicabit; ad quæ tamen sufficit, ut ante verba *Et rursum* compleatur.

6. Graduale conficitur e ℟. VIII. in Festo Sancti Gabrielis, et Offertorium e ℟. III. in Festo Annuntiationis, atque Versiculus ad *Alleluja* post Graduale ex antiphona ad Benedictus ante Vigiliam Nativitatis Domini; addito duobus locis nomine *Gabrielis*, juxta exemplum antiphonæ IX. et I. ad respectivum Matutinum in Officiis ipsius Archangeli et SSmi Rosarii B. M. V.

7. Communionis textus favet opinioni illorum, qui Sanctum Josephum ab eodem Gabriele mysteria Incarnationis edoctum volunt; quod insinuatur etiam ad Lectionem IX. in Officio ejusdem Archangeli Minoritis concesso.

8. Si quæ superiori num. dicta sunt, non placeant, sequens e Proprio Diœcesi Venetiarum Communio substituatur: « Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. *Luc. I. 28.* »

## XCI.

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Secundo. — APUD BASILICAM ANNUNTIATIONIS B. M. V.

*MISSA DE IPSA DEI GENITRICE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XLIV. 13.*

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia, et exsultatione.

**Ps.** *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. VII. 10.*

In diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

**Graduale.** *Ps. XLIV. 3.* Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 28.* Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XLIV. 11.* Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiæ regum in honore tuo. ℣. Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi. ℣. Adducentur in lætitia, et exsultatione: adducentur in templum Regis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 28.* Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Alleluja. ℣. *Num. XVII. 8.* Virga Jesse floruit: Virgo Deum et hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

**Offertorium.** *Luc. I. 28.* Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

SECRETA.

In mentibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei sacramenta confirma: ut, qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur; per ejus salutiferæ Resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per eumdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Annuntiatione.

**Communio.** *Isai. VII. 14.* Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

POSTCOMMUNIO.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, quam plurimis ab annis in Sanctuario ubi Verbum caro factum est, Sacerdotes quotidie de Apostolicæ Sedis venia celebrare possunt, integre sumitur e Missali Romano in Festo Annuntiationis B. M. V. sub die XXV. Martii.

2. Versiculus autem ad *Alleluja* post Graduale, qui inibi ratione Quadragesimæ deesse conspicitur, e Votiva ipsius Dei Genitricis pro Temp. Adventus suppletur; de quo Officium et Missam Annuntiationis participare, non solum ex objecto deducitur mysterii, sed etiam ex antiphona IX. ad Matutinum in Festis ipsius Virginis per annum, apte comprobatur.

3. Prædicti tamen versiculi locum bene tenere posset ipsa antiphona, quæ ad Matutinum illius Temp. recitatur; nempe: «Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto. *Luc. I. 35.*»

4. Alii textus inveniri possunt in Missa cum notis de Sancto Gabriele Archangelo sub num. XC. pag. 133. edita; necnon ex pluribus locis in Officio et Missa de Temp. Adventus, ac de Annuntiatione et Exspectatione Partus B. M. V. ejusque Festis per annum.

5. «Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. *Judith. XIII. 23.*»

6. «Lauda et lætare, filia Sion: quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. *Zach. II. 10.*»

## XCII.

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Tertio. — APUD BASILICAM ANNUNTIATIONIS B. M. V.

*MISSA DE DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XLV. 8.*

Rorate cœli desuper, et nubes pluant Justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

**Ps.** *LXXXIV. 2.* Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui obumbrata majestatis tuæ gloria, servilem formam suscipere dignatus es: confirma tuorum voluntates; ut qui per Incarnationis mysterium, divinæ consortes facti sumus naturæ, nolimus in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. XI. 1.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hœdo accubabit: vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus, et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.

**Graduale.** *Philip. II. 6.* Christus Jesus, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. ℣. Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Alleluja, alleluja. ℣. *Gal. IV. 4.* Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Jer. XXXI. 22.* Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum. ℣. Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus ejus, cum Deus converterit captivitatem eorum. ℣. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus!

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. I. 14.* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Alleluja. ℣. *Ps. XCVII. 3.* Recordatus est Dominus misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

**Offertorium.** *I. Joann. IV. 9.* In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per Eum.

SECRETA.

Deus, qui divinæ participationem naturæ, in Incarnatione tua nobis promeritam, per ista perficis Sacramenta: concede famulis tuis; ut ad hunc divinitatis fontem congruis animæ et corporis dispositionibus accedamus: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Annuntiatione.

**Communio.** *Ephes. I. 10.* Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui per incarnatum Filium tuum, dedisti novam in Ipso creaturam nos esse novumque figmentum: imple, quæsumus, misericordiam tuam; ut vita divina, quam per hæc Sacramenta inchoamus in terris, in cœlis tandem mirabiliter consummetur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc ad honorandum æterni Patris Filium inseritur, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, factus est homo; cujus inde promerita laus et gratiarum actio non tam explicite et directe in Festo Annuntiationis B. M. V. continentur.

2. Quando enim Festum aliquod ad binas simul personas vel duo mysteria æque referendum, solummodo alterutri justis de causis per Ecclesiam applicetur; nil vetat quominus etiam de altera persona aut mysterio distinctus habeatur honor, sive per commemorationem, sive per aliquas partes in Officio et Missa apposite recitandas, sive per diversum Festum alia die celebrandum. Hujusmodi exempla, ut unum cujusque generis referatur ad probandam superius editæ Missæ convenientiam, habentur in Festo Desponsationis B. M. V., Purificationis ipsius Deiparæ, ac Fer. V. in Cœna Domini et Festo Corporis Christi; aliisque passim in Breviario et Missali Romano Locis inveniuntur.

3. Alter Tractus: «*Jer. XXIII. 5.* Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum. ℣. Et regnabit Rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. ℣. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster.»

4. Multos exhibere valent textus, præsertim si omnes prophetici desiderentur, Officium ac Missa de Tempore a Dom. I. Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Christi, ac Festa Exspectationis Partus, Annuntiationis et Maternitatis B. M. Virginis.

5. «Domine, quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? *Ps. VIII. 5.*»

6. «Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. ℣. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis. ℣. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei. *Ps. LXXI. 6.*»

7. «Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: justitia, et pax osculatæ sunt. ℣. Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit. ℣. Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum. ℣. Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos. *Ps. LXXXIV. 11.*»

8. «In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. *I. Joann. IV. 10.*»

## XCIII.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Quarto. — APUD BASILICAM ANNUNTIATIONIS B. M. V.

*MISSA DE SANCTO PATRIARCHA JOSEPH.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LIV. 23.*

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem Justo.

**Ps.** *Ibid. 2.* Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui per Angelum tuum beato Joseph divini conceptus arcanum revelare, eumque de angustia cordis eripere voluisti: da, quæsumus, ipso intercedente; ut omnes qui tua virtute confidimus, cœlestium Spirituum ope, in tribulationibus nostris allevemur. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. IV. 12.*

Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ. Et qui illam diligit, diligit vitam: et qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: et quo introibit, benedicet Deus. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto: et eos qui diligunt illam, diligit Deus. Qui audit illam, judicabit gentes: et qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illius: quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum. Timorem et metum, et probationem inducet super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum, et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ.

**Graduale.** *Ps. XXXVI. 5.* Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet. ℣. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXVI. 31.* Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIII. 6.* Accedite ad Dominum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur. ℣. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. ℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. *Ps. XVII. 21.* Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum puritatem manum mearum retribuet mihi. Alleluja. ℣. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: et justitias ejus non repuli a me. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. I. 18.*

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit a Angelus Domini, et accepit conjugem suam.

**Offertorium.** *III. Reg. III. 6.* Ambulavit servus tuus in conspectu tuo, Domine, in ve-

ritate, et justitia, et recto corde tecum : custodisti ei misericordiam tuam grandem. Alleluja.

SECRETA.

Orationes nostræ et munera ascendant in memoriam in conspectu tuo, Domine : et ut fideles in tentatione inveniamur ; fac nos, intercessione beati Joseph, apud thronum gratiæ tuæ misericordiam consequi et gratiam invenire in auxilio opportuno. Per Dominum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Annuntiatione.

**Communio.** *Prov. II. 7.* Dominus custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et vias Sanctorum custodiens.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in conspectu nostro mensam cœlestem adversus omnes qui tribulant nos, præparásti : concede nobis, beati Joseph interveniente suffragio ; ut ab hostium furore et insidiis per hæc Sacramenta liberati, in tua securi protectione vivamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem apponitur Sancti Joseph, qui per Angelum in somnis apparentem a suspicione liberatus est, atque Sponsæ virgineum de Spiritu sancto conceptum edoctus ; quæ omnia, e multorum opinione, in domo Annuntiationis evenisse creduntur. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 622.*

2. Quæ omnia magis approbantur ex Altari in honorem ipsius Mysterii apud Basilicam Annuntiationis B. M. V. erecto, cujus visitationi, uti dicitur in Processionali ejusdem Sanctuarii, adnexa est Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum. Quapropter etsi traditio de loco ubi Angelus apparuit Joseph, non omnino extra dubium ponatur, Missa tamen bene adhuc dici potest de eodem Patriarcha, in domo ad Sanctum quomodocumque pertinenti ; uti etiam, ex concessione Sanctæ Sedis, apud Basilicam Nativitatis Domini fuit in casu simili peractum.

3. Antiphona sequens locum Communionis jam positæ bene posset obtinere : « Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. *Eccli. XXXIII. 1.* »

4. « Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, dicit Dominus. *Num. XII. 6.* »

5. « Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, Domine, quem probasti in tentatione. *Deut. XXXIII. 8.* »

6. « Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos. *Deut. XXXIII. 16.* »

7. « Custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo, dicit Dominus. *III. Reg. XIV. 8.* »

8. « Ecce enim Deus adjuvat me : et Dominus susceptor est animæ meæ. *Ps. LIII. 6.* »

9. « Justitia custodit innocentis viam : impietas autem peccatorem supplantat. *Prov. XIII. 6.* »

10. « Ego multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me : verbum autem in corde meo conservavi. *Dan. VII. 28.* »

## XCIV.

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Quinto. — APUD BASILICAM ANNUNTIATIONIS B. M. V.

*MISSA DE SANCTA DOMINI FAMILIA.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Act. III. 25.*

Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui redempturus humanum genus e Virgine desponsata Joseph carnem suscepisti : da, quæsumus, eorum intercessione ; ut qui virtutem ac sapientiam tuam in hoc mysterio stupescimus, et misericordiam in nos ostensam celebremus : Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

*Cap. III. 12.*

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si

quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

**Graduale.** *II. Mach. I. 2.* Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutum est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium. ℣. *Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. I. 26.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians illi verbum Dei. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Luc. I. 68.* Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. ℣. Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui. ℣. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. ℣. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos, Oriens ex alto.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Judith. IV. 17.* Ex toto corde suo orabant Deum, ut visitaret populum suum Israël. Alleluja. ℣. *Mich. VII. 20.* Dabis Deus veritatem Jacob, misericordiam Abraham: quæ jurasti patribus nostris, a diebus antiquis. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. I. 18.*

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.

**Offertorium.** *Luc. II. 4.* Ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

SECRETA.

Familiam tuam, Domine Jesu, ad cœleste munus habendum rite dispone: qui, vel antequam mundo nascereris, in Maria et Joseph omnium exempla virtutum præmonstrasti: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Annuntiatione.

**Communio.** *Matth. I. 16.* Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

POSTCOMMUNIO.

Muneribus sacris, quæsumus Domine, castimoniam mentis et corporis in nobis semper adauge: qui Mariæ et Joseph integerrimam puritatem, per incarnatum Filium tuum, ineffabiliter consecrasti: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In domo Annuntiationis B. M. V., juxta morem alibi servatum, quinque apponuntur Missæ celebrandæ: quatuor singillatim pro omnibus, qui habent in mysterio illo partem suam, et de quibus jam peculiare agitur Festum; atque una pro membris familiam Domini simul componentibus.

2. Missa tamen hæc in honorem Sanctæ Familiæ recitanda, considerat personas non generice in omni vita, sed solum in earumdem factis ante Nativitatem Christi, quo præsertim tempore domum Annuntiationis incoluisse feruntur.

3. Epistola sumitur ex altera Missa, quæ in honorem ipsius Sanctæ Familiæ habetur in Missali Romano-Seraphico sub Dom. III. post Epiphaniam.

4. Secundus Gradualis versiculus accipi etiam posset e loco, unde primus; nempe: «Et det vobis cor, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem, corde magno et animo volenti. *II. Mach. I. 3.*»

5. Alter Tractus: «*Ps. XXXII. 20.* Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.»

6. Si Evangelium ad verba *accepit conjugem suam* compleatur, sequens adhiberi posset Offertorium: «Et non cognoscebat Joseph Mariam conjugem suam, donec peperit filium suum primogenitum. *Matth. I. 25.*»

7. Præfatio in hac Missa et quatuor antecedentibus, est de Annuntiatione, ad cujus mysterium omnes aliquo modo referuntur Missæ, obque illud ritu votivo apud ipsum Dominicæ Incarnationis locum celebrantur.

8. Plura requiri possunt testimonia in altera ipsius Sanctæ Familiæ Missa, quæ sub num. LXVIII. pag. 97. proponitur apud Basilicam Nativitatis Domini in oppido Bethlehem celebranda.

9. «Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram. *Ps. CXIII. 15.*»

10. «Et ego ero vobis in Deum: ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris, dicit Dominus. *Jer. XI. 4.*»

---

## XCV.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Sexto. — IN DOMO SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

*MISSA DE IPSO PATRIARCHA.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XV. 8.*

Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear: propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea.

**Ps.** *Ibid. 1.* Conserva me, Domine: quoniam speravi in te.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui beatum Joseph tam mirabiliter sublimasti, ut Unigenitum tuum sibi subjectum viderit secumque laboribus insudantem: concede famulis tuis; ut Patriarchæ illius virtutes in terra æmulati, ad cœlestem gloriam cum ipso exaltari mereamur. Per eumdem.

Lectio libri Genesis.

*Cap. XXXIX. 2.*

Fuit Dominus cum Joseph, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei: a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam: nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

**Graduale.** *Ps. CIV. 21.* Constituit eum dominum domus suæ: et principem omnis possessionis suæ. ℣. *Gen. XXXIX. 23.* Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

℣. Alleluja, alleluja. ℣. *Gen. XLV. 8.* Fecit me Dominus quasi patrem Regis, et dominum universæ domus ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus. ℣. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. IX. 10.* Mitte Sapientiam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, Domine: ut mecum sit, et mecum laboret. Alleluja. ℣. Et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia: et erunt accepta opera mea. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. II. 19.*

In illo tempore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël: de-

functi sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israël. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

**Offertorium.** *Ps. VIII. 6.* Gloria et honore coronasti eum, Domine: et constituisti eum super opera manuum tuarum.

SECRETA.

Respice Domine munus oblatum, ac nos misericordiam tuam per merita beati Joseph humiliter implorantes: et concede propitius: ut quem in terris ceu Patrem honorasti, in cœlis ut nostrum intercessorem habeamus: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Sap. X. 10.* Dedit illi Dominus scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beati Joseph paupertatem et laborem præsentia et alloquio Unigeniti tui sanctificare dignatus es: concede invocationibus nostris; ut sicut ipse conversatione divina, in virtutibus est progressus, ita nos per hæc sacrosancta commercia in tua dilectione crescamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, geminis de Natali ac Patrocinio Sancti Joseph jam per Indultum Apostolicum permissis adjicienda aut subroganda, aptius considerat ipsum Patriarcham fabrilibus laboribus cum Christo insudantem apud hoc Sanctuarium domus suæ, cui propterea nomen *Officina Sancti Joseph* per incolas regionis attribuitur.

2. Convenienter autem, postquam Sanctus Joseph ut mysteria incarnationis Dominicæ per Angelum edoctus apud Annuntiationis Basilicam cultus est, in hac ejus domo ut cum Jesu laboribus addictus et conversatus recolitur.

3. Post Introitum legi etiam posset Psalmi textus, quantus in Breviario Romano pro versiculo primo apponitur; etsi, ceu supra breviatus est, apte etiam valeat recitari, quemadmodum fit ad Introitum Missæ votivæ de Passione Domini.

4. Epistola sumi etiam convenienter valet e Missa ipsius Patriarchæ, quæ sub die XIX. Martii in Missali Romano apponitur.

5. Huic Missæ Evangelium in Vigilia Epiphaniæ positum idcirco assignatur, non solum quia aptius, sed etiam quia juxta traditionem in hac domo Sanctus Joseph cum familia traditur habitasse, et fabrilem exercuisse artem, postquam ex Ægypto fuerat reversus. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 631.*

6. Evangelium confici etiam posset verbis, quæ *Cap. XIII. 54-58.* in libro Sancti Matthæi leguntur; vel saltem sequens assumi textus: « Mirabantur Judæi et dicebant de Jesu: Unde huic sapientia hæc, et virtutes? nonne hic est fabri filius? *Matth. XIII. 54.* »

7. « Magna est gloria ejus in Salutari tuo, Domine: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. *Ps. XX. 6.* »

8. « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. *Luc. XII. 42.* »

9. « Et dicebant Judæi: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? *Joann. VI. 42.* »

## XCVI.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Septimo. — IN DOMO SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

*MISSA DE IPSA DEI GENITRICE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Sap. VIII. 3.*

Generositatem illius glorificat contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam; doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui hominibus vivendi formam ostensurus, beatæ Genitrici

tuæ in terra esse subditus elegisti: da nobis, ita gloriam ejus admirari; ut humilitatem et obedientiam tuam imitantes, ipsius Virginis intercessione, æterna præmia consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXIV.* **23.**

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

**Graduale.** *Ps. LXXII. 28.* Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. ℣. *Cant. VII. 10.* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. VIII. 32.* Nunc ergo, filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Luc. I. 46.* Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo. ℣. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. ℣. Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:*

Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIV. 12.* Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi. Alleluja. ℣. *Cant. II. 14.* Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 48.*

In illo tempore: Dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.

**Offertorium.** *Ps. LXXVI. 12.* Memor ero ab initio mirabilium tuorum, Domine, et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.

SECRETA.

Munera humilitatis nostræ, Domine Jesu, per intercessionem beatæ Mariæ Virginis, propitius intende: qui in terris conversatus, filialibus semper obsequiis ipsam Genitricem tuam coluisti: Qui vivis.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Veneratione.

**Communio.** *Cant. VI. 2.* Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui Genitricem Filii tui assidua conversatione innumerisque gratiis mirabiliter ipsi conformem reddidisti: concede, quæsumus, illius meritis et imitatione; ut cœleste convivium digne frequentantes, Christum in nobis exprimere valeamus: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in laudem additur beatæ Dei Genitricis, qui cum sanctissimo filio suo, usque ad publicam ejus prædicationem, in hac præsertim domo conversata fuisse, juxta traditionem a P. Quaresmio aliisque auctoribus relatam, verius comprobatur.

2. Alter Introitus, cui nomen *Virgo Maria,* juxta exemplum antiphonæ IV. ad Laudes Immaculatæ Conceptionis ipsius Deiparæ, merito adjungitur: «*Judith. XIII. 23.* Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: quia nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. *Ps. XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.»

3. Epistola altera, quæ mysterio Loci convenienter appropriatur, edita fuit in Missa de Sancta Eustochio Virgine supra ejus sepulchrum apud Bethlehem celebranda, et sub num. LIX. pag. 84. reperiri potest.

4. Sensus prioris versiculi pro Temp. Pasch. completur ad vocem *Alleluja,* uti in pluribus Missalis et Breviarii Romani locis fieri, in notis ad Missam sub num. XIII. pag. 18. indicatur.

5. Evangelium, uti supra fuit abbreviatum, legitur etiam in Festo Purissimi Cordis ipsius Virginis, cui celebrando Dom. post Octavam Assumptionis in Breviario Romano-Seraphico assignatur.

6. « Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël. *Judith. XIII. 31.* »

7. « Anima autem mea exsultabit in Domino: et delectabitur super Salutari suo. *Ps. XXXIV. 9.* »

8. « Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Ps. CXLI. 6.* »

9. « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. *Cant. II. 3.* »

10. « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. *Cant. II. 16.* »

11. « Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. *Habac. III. 18.* »

---

## XCVII.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Octavo. — IN DOMO SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

*MISSA DE DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXXVII. 16.*

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

**Ps.** *Ibid. 2.* Domine Deus salutis meæ: in die clamavi, et nocte coram te.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in nostram eruditionem et salutem, Joseph et Mariæ subditus, in labore manuum juventutis annos transegisti: da nobis, ut tantæ humilitatis exemplis congrue insistentes; post mortalis vitæ defatigationem, æterna requie perfruamur: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

*Cap. II. 1.*

Fratres: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitato superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.

**Graduale.** *II. Cor. VIII. 9.* Christus propter nos egenus factus est, cum esset dives: ut illius inopia nos divites essemus. ℣. *Hebr. II. 17.* Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. II. 3.* Docebit nos Dominus vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Bar. III. 36.* Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. ℣. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. ℣. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XI. 28.* Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Alleluja. ℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. VI. 1.*

In illo tempore: Abiit Jesus in patriam suam: et sequebantur eum discipuli sui: et facto sabbato cœpit in synagoga docere: et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia, quæ data est illi; et virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. Et dicebat illis Jesus: Quia non est

Propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens.

**Offertorium.** *Ps. XXXIX. 18.* Ego autem mendicus sum, et pauper: Dominus sollicitus est mei.

SECRETA.

Respice, misericors Deus, munera tuo præsentata conspectui: et nos, qui laboramus et onerati sumus, ad te venientes cœlesti dape restaura: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CXXVII. 2.* Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

POSTCOMMUNIO.

Visita, quæsumus Domine Jesu, per hæc Sacramenta quæ sumpsimus, humilitatem et laborem nostrum: ut vitæ ærumnas patienter tolerantes, nostrorum scelerum maculas diluamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hæc Missa absconsam Jesu Christi vitam celebrat, qua usque ad trigesimum ætatis annum in hac Officina putativi Patris sui Joseph, parentibus subjectus fabrilibusque victum quæritans laboribus, omnium Magister virtutum permansit.

2. Alter Tractus in Missa Sanctæ Familiæ sub num. XCVIII. pag. 145. inveniri potest.

3. Evangelium, quod in Missa præcedenti sub num. XCVI. pag. 142. apponitur, etiam in hac posset usurpari; vel saltem sequens inde textus assumi: «Descendit Jesus cum Maria et Joseph, et venit Nazareth: et erat subditus illis. ℣. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines. *Luc. II. 51.*»

4. Communio et plurima hujus Missæ testimonia ex Officio Sanctæ Familiæ Dom. III. post Epiphaniam recitando, sunt accepta.

5. «Libera me, Domine, quia egenus et pauper ego sum: et cor meum conturbatum est intra me. *Ps. CVIII. 21.*»

6. «Adolescentulus sum ego, et contemptus: justificationes tuas, Domine, non sum oblitus. *Ps. CXVIII. 141.*» — *Cf. etiam Lect. VI. in Officio Sanctæ Familiæ.*

7. «Conserva fili præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. *Prov. VI. 20.*»

8. «Et te adorabunt, teque deprecabuntur; tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. ℣. Vere tu es Rex absconditus, Deus Israël Salvator. *Isai. XLV. 14*»

9. «Mirabantur Judæi de Jesu, et dicebant: Unde huic sapientia hæc, et virtutes? nonne hic est fabri filius? *Matth. XIII. 54.*»

10. «Et mirabantur Judæi super Jesu, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? *Joann. VII. 15.*»

11. «Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis, dicit Dominus. *Joann. XIII. 15.*»

## XCVIII.

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

## Nono. — IN DOMO SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI.

*MISSA DE SANCTA DOMINI FAMILIA.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Prov. XXIII. 24.*

Exsultat gaudio pater Justi: gaudeat Pater tuus et Mater tua, et exsultet quæ genuit te.

**Ps.** *LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Mariæ et Joseph subditus, domesticam vitam ineffabilibus virtutibus consecrasti: fac nos, utriusque auxilio, Familiæ sanctæ tuæ exemplis instrui, et consortium consequi sempiternum: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

*Cap. III. 12.*

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est

vinculum perfectionis. Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore : et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

**Graduale.** *Ps. XXVI. 4.* Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. ℣. *Ps. LXXXIII. 5.* Beati, qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XLV. 15.* Vere tu es Rex absconditus, Deus Israël Salvator. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Hebr. X. 5. et Ps. XXXIX. 7.* Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. ℣. Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio. ℣. In capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. VIII. 34.* Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Alleluja. ℣. *Col. III. 3.* Vita nostra est abscondita cum Christo in Deo. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. II. 42.*

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic ? ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos : Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse ? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.

**Offertorium.** *Matth. II. 23.* Veniens ex Ægypto Joseph cum puero et matre ejus habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

SECRETA.

Placationis hostiam offerimus tibi Domine, suppliciter deprecantes: ut, per intercessionem Deiparæ Virginis cum beato Joseph, familias nostras in pace et gratia tua firmiter constituas. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Luc. II. 51.* Descendit Jesus cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis.

POSTCOMMUNIO.

Quos cœlestibus reficis Sacramentis, fac Domine Jesu, sanctæ Familiæ tuæ exempla jugiter imitari: ut in hora mortis nostræ, occurrente gloriosa Virgine Matre tua cum beato Joseph; per te in æterna tabernacula recipi mereamur: Qui vivis.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Novem Missæ in hoc XIV. Capite jam positæ, partim in domo Annuntiationis, partim in domo Sancti Joseph celebrandæ assignantur. Super utramque domum ædificata creduntur duo templa illa, de quibus Sanctus Hieronymus, ante Venerabilem Bedam aliosque, loquitur: « Habetque [Nazareth] ecclesiam in loco quo Angelus ad beatam Mariam evangelizaturus intravit, sed et aliam ubi Dominus est nutritus. » — *Cf. libr. de Locis Hebraicis ipsius divi Hieronymi.*

2. Ad explicandam vero rationem, cur Jesus in una credatur domo conceptus et in altera nutritus, duæ inter alias ineuntur viæ, seu duplex præcipue assignatur sententia: prima, et forsan e *Matth. I. 18-24.* probabilior, vult beatam Virginem Mariam, cum simpliciter Josepho esset desponsata, in domo paterna concepisse filium, eumque nutrisse sive educasse in ædibus Sponsi, quas post Visitationem contracto solemniter matrimonio fuerit ingressa; altera autem vult ambas domos ad Conjuges solemniter copulatos pertinuisse, ad quemcumque demum e Sponsis ante nuptiarum solemnitatem spectassent,

ita tamen ut in secunda etiam domo præsertim post reditum ex Ægypto habitaverint. Opportunum non est hic sententias ad trutinam revocare, sed sufficit illas tantum indicasse; eo vel magis quoniam Missæ in utraque opinione rite maneant assignatæ.

3. Quatuor autem Missæ, cum textibus qui ex una in aliam transferri valent, statuuntur in domo Sancti Joseph celebrandæ: una singillatim pro qualibet e personis, et una pro omnibus simul membris sanctam Domini familiam efficientibus.

4. Missa porro hæc, quæ integra exhibetur in Missali Romano-Seraphico sub Dom. III. post Epiphaniam inter Festa mobilia, assignatur domui, in qua juxta traditiones majorum, Nazareni « arbitrantur Sanctum Josephum una cum Deipara et Filio Jesu habitasse, et fabrilem artem in ea exercuisse, post reditum præsertim ex Ægypto in suam civitatem Nazareth. » *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 631.*

5. Oratio Secreta, ob verbum *Deiparæ* inibi occurrens, videtur potius concludenda vocibus *Per eumdem*, quam *Per Dominum;* sed legitimæ auctoritati, ut par est, mutatio subjicitur approbanda.

6. Ipsa vero Missa Mysterio Loci illius, ubi Jesus cum Maria et Joseph domesticam vitam ineffabilibus virtutibus consecrarunt, aptissime applicatur; quamvis Offertorii textus, utpote locum alium factumque diversum respiciens, in alterum magis accommodatum debuerit immutari. Offertorium autem illud erat sequens: « Tulerunt Jesum parentes ejus in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. *Luc. II. 22.* »

7. « Et ut parentes Jesu perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. ℣. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo. *Luc. II. 39.* »

---

## XCIX.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

## Decimo. — IN LOCO MENSÆ CHRISTI UBI FERTUR IPSE CUM DISCIPULIS ETIAM POST RESURRECTIONEM COMEDISSE.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXVII. 29.*

Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis Dominus: non sunt fraudati a desiderio suo.

**Ps.** *Ibid. 1.* Attendite, populo meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ante et post Resurrectionem, non solum discipulos alloqui, sed etiam manducare cum eis et bibere dignatus es: fac et nobiscum secundum misericordiam tuam; ut cibum potumque vitæ salubriter gustantes, dulcedinem quam in filios habes, cognoscere et laudare valeamus: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. X. 37.*

In diebus illis: Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

**Graduale.** *Ps. XXI. 27.* Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum. ℣. *Ps. CV. 15.* Et dedit eis Dominus petitionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Act. II. 46.* Sumebant cibum cum exsultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIII. 9.* Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. ℣. Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum. ℣. Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. IX. 2.* Sapientia miscuit vinum, et proposuit mensam suam, et locuta est. Alleluja. ℣. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXII. 25.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in nobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.

**Offertorium.** *Cant. V. 1.* Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.

SECRETA.

Mensam tuam, Domine, filii tui læti circumdant, sperantque in te oculi omnium: ut accipiant escam in tempore opportuno, atque aperiente te manum tuam, benedictionibus impleantur. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CXXVII. 3.* Filii tui, Domine, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Quos, Domine, tuis bonis implevisti esurientes: fac mundi pabula fastidire, et cœlesti alimoniæ semper avidius inhiare. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Sanctuarium istud cui nova Missa tribuitur, juxta traditionem « appellatur a terrigenis *Mensa Christi,* quod credatur Christum cum discipulis suis in ea comedisse, etiam post suam Resurrectionem. » — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 633.*

2. Quæ in Loco evenisse creduntur, licet in sacris Scripturis non inveniantur expresse, non ideo tamen hac *solum* de causa rejici possunt, nisi et plurima vitæ Christi facta, et inter hæc illius post Resurrectionem Virgini Matri apparitio simul denegentur.

3. Verba, quibus Introitus efficitur, etiam ad Communionem Missæ in Dom. Quinquagesimæ recurrunt.

4. Epistola e Fer. II. infra Octavam Paschatis accipitur, convenitque præsertim Sanctuario, quatenus ut locus reputatur, ubi Christus etiam post Resurrectionem suam comedisse traditur.

5. Ad *Alleluja* post Graduale subdi alius versiculus posset, et maxime sequens: « Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia. *Ps. LXVII. 4.* »

6. Evangelium Missæ in pluribus accipitur solum accommodate; quod fit in aliis quoque Officiis, et præsertim in Festo Sancti Joannis Damasceni sub die XXVII. Martii recolendo.

7. Præfatio de Temp. Pasch. juberi posset ob mysterium Resurrectionis Dominicæ, ad quam Loci factum reducitur; vel etiam Communis assignari.

8. In Communione additur vox *Domine,* ad exemplum antiphonæ IV. in Vesperis de Solemnitate SSmi Corporis Christi.

9. Alia testimonia inveniri possunt in Missa sub num. LXXXVII. pag. 127. jam apposita, necnon in Missis infra edendis pro Locis ubi Christus in vita panes multiplicavit, et ubi post Resurrectionem assum piscem cum discipulis comedit.

10. « In voce exsultationis resonent epulantes in mensa Domini. *Ps. XLI. 5.* » — *Cf. ant. VI. ad Matut. Corp. Christi.*

---

## C.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Undecimo. — IN SYNAGOGA NAZARENA UBI CHRISTUS DECLARAVIT VATICINIUM CAPITE LXI. ISAIÆ CONTENTUM.

**AD MISSAM.**

**Introitus.** *Prov. I. 23.*

Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

**Ps.** *LVII. 2.* Si vere utique justitiam loquimini: recta judicate, filii hominum.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui olim in patriæ synagoga

docens, a civibus honorem non habuisti, sed persecutionem: concede propitius; ut nos ab illorum incredulitate alieni, virtutis tuæ abundantiam experiri valeamus: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LXI. 1.*

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion; et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem.

**Graduale.** *Mich. III. 8.* Verumtamen ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio, et virtute; ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israël peccatum suum. ℣. *Job. XIII. 6.* Audite ergo correptionem meam, et judicium labiorum meorum attendite.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. VIII. 11.* In conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Prov. VIII. 6.* Audite, quoniam de rebus magnis locuturus sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent. ℣. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. ℣. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. ℣. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XXIX. 21.* Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Alleluja. ℣. *Ps. LV. 5.* In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi homo. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IV. 16.*

In illo tempore: Venit Jesus Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph? Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

**Offertorium.** *Joann. IV. 44.* Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

SECRETA.

Auge, Domine Jesu, omnium nostrum in te amorem ac fidem: ut per sacrosancta mysteria te in animi habitaculum advenientem, congrua mentis et cordis devotione suscipiamus: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Amos. V. 10.* Odio habuerunt corripientem: et loquentem perfecte abominati sunt.

POSTCOMMUNIO.

Ad hanc amoris scholam eruditis, Domine Jesu, da immotam nobis in divino obsequio constantiam: ut vel ipsas correptiones tuas ad charitatis profectum venire credamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc considerat Dominum Jesum, qui in Synagoga Nazareth vaticinium Isaiæ Prophetæ cum auditorum admiratione explicavit, civibus tamen erga illum in incredulitate manentibus, imo ob Christi reprehensionem dein in furorem actis.

2. In fine Introitus addi possent verba *quia despexistis omne consilium, et increpationes meas neglexistis;* et e contrario in primo Gradualis versiculo omitti omnia, quæ post vocem *virtute* sequuntur.

3. Epistola conficitur e verbis Isaiæ Prophetæ, quæ Dominus in patria Synagoga docens interpretatus est, et compleri valet ante verba *Et ædificabunt;* quinimmo accipi convenienter etiam posset e *Cap. XLII. 1-7.* in libro ejusdem Vatis.

4. Alter Tractus: «*Job. VI. 25.* Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me? ℣. Respondete obsecro absque contentione: et loquentes id quod justum est, judicate. ℣. Et non invenietis in labia mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.»

5. Testimonium sequens in locum Communionis jam positæ licet subrogari: «In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant: dicit Dominus. *Joann. IX. 39.*»

6. «Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, et non intelligetur. *Eccli. III. 30.*»

7. «Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? *Joann. VIII. 45.*»

## CI.

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Duodecimo. — SUPER COLLEM TREMORIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LIV. 5.*

Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me: timor, et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ.

**Ps.** *Ibid. 2.* Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Genitricem tuam, dum ab hostibus ducebaris ad præcipitandum, metu magno et tremore corripi tulisti: per ejus ineffabilem in te dilectionem, concede; ut ab inimicorum manibus erepti, in sanctitate et justitia secure tibi serviamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. V. 6.*

Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi. Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.

**Graduale.** *Thr. I. 20.* Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. ℣. *Job. IV. 14.* Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.

Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. I. 12.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXVII. 10.* Domine, ante

te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. ℣. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. ℣. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et qui juxta me erant, de longe steterunt.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Thr. I. 16.* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Alleluja. ℣. *Ps. XIX. 7.* Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IV. 16.*

In illo tempore: Venit Jesus Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph? Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

**Offertorium.** *Jer. XLIX. 23.* Præ sollicitudine quiescere non potuit, tremor apprehendit eam: angustia et dolores tenuerunt eam.

SECRETA.

Da, quæsumus Domine, cordibus nostris intimum veræ pietatis affectum: ut Virginem pro vita Filii sui contremiscentem nos digne venerati; salutaris mysterii fructum, ejusdem Matris intercessione, suscipere mereamur. Per eumdem.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Transfixione.

**Communio.** *Isai. XXI. 3.* Angustia possedit me, sicut angustia parturientis: corrui cum audirem, conturbata sum cum viderem: emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.

POSTCOMMUNIO.

Celeste donum gustantibus, spiritum timoris tui Domine benignus infunde: ut a judiciis tuis salubriter timentes, beatæ Virginis ope, sempiternis delectationibus repleantur. Per Dominum.

℟ *In Missis votivis extra Fer. II. post Dom. III. Quadragesimæ celebrandis, Evangelium pro Sacerdotum lubitu legi potest, ut in sequenti Missa sub num. CII. pag. 152. apponetur.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Locus ille cui nova hæc Missa destinatur, *Sancta Maria de Tremore* vel *Timore* nomen habet, quia Mater amantissima ad eum perveniens, intellexit « Nazaræos Filii sui concives ipsum duxisse supra montis supercilium, unde præcipitare voluerunt, quod scribit sanctus Lucas Cap. IV. 39.; cujus casum multum illa timuit. » — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 633.*

2. Mysterium Loci confirmant, et antiqua fidelium traditio qui super collem ipsum Cappellam in Deiparæ honorem ædificarunt, et largitas Romanorum Pontificum qui Sanctuarium visitantibus partialem Indulgentiam concessere. Timoris autem tremorisque effectus, quos Redemptor ante sui capturam in horto Gethsemani pertulerat, quique ad Introitum Missæ de Oratione D. N. J. C. in Monte Oliveti memorantur; nil ambo in se habent, quod Immaculatam Redimentis Matrem dedeceat.

3. In Introitu atque Orationibus expresse agitur memoria, et bono equidem jure, de timore ac tremore qui super collem ipsum creduntur Virginem tenuisse, quamvis in Scriptura taceantur. Si enim tantummodo exprimi in Missa factum posset, quod in vetere aut novo legatur Testamento; maxima Orationum pars in Breviario et Missali Romano positarum reprobanda foret, utpote virtutes et miracula continens humanis solum traditionibus, quantumvis fide dignis, plerumque testificata.

4. Verba *et contexerunt me tenebræ,* atque alia *et qui juxta me erant, de longe steterunt,* quæ in fine Introitus et Tractus respective leguntur, omitti possunt, si difficultatibus sint abnoxia.

5. Ambo versiculi pro Temp. Pasch. efformari possent ex eodem Psalmo: « Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. ℣. Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus. *Ps. XIX. 7.* »

6. Præfatio habet ad parenthesim verba *Et te in Transfixione,* eo quod Missa hæc ad Festum Septem Dolorum B. M. V. aliquatenus refertur.

7. Multa testimonia inveniri fas est in Missis sub num. XVII. pag. 24. et sub num. XXVI. pag. 34. jam positis; et quidem e priori Evangelium, atque ex ambabus Epistola etiam valet in præsentem Missam transferri.

8. « Et ego pertimesco, et concutit carnem meam tremor. *Job. XXI. 6.* »

9. « Audivi, et conturbatus est venter meus: a voce contremuerunt labia mea. *Habac. III. 16.* »

---

## CII.

### INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

### Decimotertio. — AD SUPERCILIUM MONTIS UNDE CIVES NAZARENI JESUM PRÆCIPITARE VOLUERANT.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXXV. 14.*

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

**Ps.** *Ibid. 1.* Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops, et pauper sum ego.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ductus ad præcipitandum, ex inimicorum manibus mirabiliter evasisti: da omnibus, qui in tua virtute confidunt; ut inter hostium insidias, tecum salutis tramitem securo pede percurrant: Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

*Cap. XX. 7.*

Factus sum, Domine, in derisum tota die, omnes subsannant me. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito: et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu: Persequimini, et persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum: si quo modo decipiatur, et prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo. Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. Et tu Domine exercituum, probator justi, qui vides renes et cor: videam quæso ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum.

**Graduale.** *Ps. XVII. 48.* Deus, liberator meus de inimicis meis iracundis: et ab insurgentibus in me exaltabis me. ℣. *Ps. XIII. 3.* Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. III. 7.* Non timebo millia populi circumdantis me: exsurge Domine, salvum me fac Deus meus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LIII. 5.* Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. ℣. Ecce enim Deus adjuvat me: et Dominus susceptor est animæ meæ. ℣. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, Domine: et super inimicos meos dexpexit oculus meus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XVII. 18.* Dominus eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me. Alleluja. ℣. Et eduxit me

in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IV. 23.*

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

**Offertorium.** *Ps. XXIX. 2.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Alleluja.

SECRETA.

Respice propitius, Domine Jesu, munera quæ in memoriam tuæ de inimicis evasionis offeruntur: et præsta; ut omnes, qui eminentiam divinam, humanamque in te dispensationem agnoscimus, in nobis virtutis et bonitatis tuæ sentiamus effectus: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CXXXVII. 7.* Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; et super iram inimicorum meorum extendisti Domine manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus, qui fidelibus tuis contra inimicorum furorem, cœleste in hac mensa tutamen providisti: concede quæsumus; ut qui per sacra mysteria in nobis excepimus Salvatorem, nulla hostium vi et fraude, valeamus ab auctore salutis elongari: Qui tecum.

¶ *In Missis votivis Fer. II. post Dom. III. Quadragesimæ præceptive, aliis autem diebus libere, Evangelium integre legitur, ut in Missa præcedenti sub num. CI. pag. 150. est appositum.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Locus ille cui nova tribuitur Missa, appellatur *Saltus* vel *Præcipitium* Domini, in quo et videtur absis unius Cappellæ ad recolendum mysterium olim ædificatæ, ad quam nunc annuales et etiam frequentiores peregrinationes instituuntur.

2. Introitus qui ad Missam Fer. II. post Dom. III. Quadragesimæ apponitur, ac textus qui in Missa sub num. C. pag. 148. adhibentur, etiam in hac possent inservire.

3. Evangelium hujus Missæ sumitur e Feria II. post Dom. III. Quadragesimæ, in qua, uti superius abbreviatum fuit, assignatur.

4. In hac Missa et in præcedenti sub num. CI. pag. 150. Evangelium integrum legi vel breviatum Sacerdotibus permittitur, præterquam eadem Fer. II. post III. Quadragesimæ ubi totum congrue assignatur recitandum.

5. Si in Tractu difficultates excitet verbum *alieni*, advertatur cum cl. Antonio Martini, *in notis ad Ps. LIII. 3.*, vocem illam persæpe in Scripturis significare adversarium, hominem inimicum, licet is alterius gentis non exsistat.

6. Alter Tractus: «*Thr. III. 58.* Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. ℣. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. ℣. Vidisti Domine omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. ℣. Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me.»

7. Textus insequens locum Offertorii aut Communionis habere posset: «Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt: et vos implete mensuram patrum vestrorum. *Matth. XXIII. 31.*»

8. «Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? ℣. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. *Ps. XXVI. 1.*»

9. «In hoc cognovi, Domine, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. *Ps. XL. 12.*»

10. «Eripe me de inimicis meis, Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me. ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salva me. ℣. Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. ℣. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi. *Ps. LVIII. 2.*»

11. «Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum, cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. *Isai. LIX. 7.*»

# CAPUT DECIMUMQUINTUM.

## CIII.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Primo. — JAPHIÆ IN PATRIA DOMO APOSTOLORUM JACOBI ET JOANNIS.

*MISSA DE SANCTA MARIA SALOME EORUMDEM MATRE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ruth. II. 12.*

Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israël, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui cum hominibus conversatus, beatam Mariam Salome in omnibus viis tuis ambulare, tibique in necessitatibus servire tribuisti: concede nobis per ejus merita gloriosa; ut obsequiis tuis incumbentes, omnia quæ a Patre in salutem nostram exposcimus, efficaciter obtinere valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. XXXI. 10.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ: et lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.

**Graduale.** *Deut. X. 20.* Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies: ipsi adhærebis. ℣. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi magnalia, quæ viderunt oculi tui.

Alleluja, alleluja. ℣. *Deut. VIII. 5.* Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXII. 26.* Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. ℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. ℣. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XXIII. 11.* Vestigia Domini secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. Alleluja. ℣. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XX. 20.*

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad

dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

**Offertorium.** *II. Reg. XV. 20.* Dominus faciet tecum misericordiam, et veritatem; quia ostendisti gratiam, et fidem.

SECRETA.

Sacrificium corporis et sanguinis tui, Domine Jesu, quod super Altare hoc innovamus, per merita beatæ Mariæ Salomc nobis salutiferum redde: quæ tibi, in ara Crucis redemptionem nostram consummanti, immota semper adhæsit: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Ps. XXXIII. 5.* Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, te diligentium amator, qui beatæ Mariæ Salome fidem muneraturus, post Resurrectionem Eidem apparere dignatus es: concede propitius; ut per hæc Sacramenta in tui charitate progressi, mereamur cum ipsa gloriam tuam in cœlis contemplari: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens in laudem Sanctæ Mariæ Salome adjungitur, quæ in hac ipsius domo vel Apostolos Jacobum et Joannem peperit, vel saltem aliquando hic cum eisdem habitavit.

2. Mariam autem Salome et matrem esse filiorum Zebedæi, recteque hoc nomen *Salome* in Orationibus adjungi, inter alia argumenta, evincit exemplum Missalis Romani in Festo ejusdem sub die XXII. Octobris inter Officia pro aliquibus locis. Oratio prima siquidem hujus Missæ ita inchoatur: «Concede, quæsumus omnipotens Deus: ut intercessio beatæ Mariæ *Salome*»; et dein Secreta his incipit verbis: «Hostiam, quam in honorem beatæ Mariæ, *matris Apostolorum Joannis et Jacobi.*»

3. In orationibus maxime et in aliis etiam Missæ partibus, trinæ celebrantur laudes hujus mulieris, quæ Christum sequens facultatibus suis inopiam ejus levabat, ipsique Jesu e Cruce pendenti constanter adhæsit, atque illum a mortuis resurgentem aliis sociata fœminis aspexit.

4. Orationes autem illius Missæ pro aliquibus locis approbatæ, etiam in superius editam introduci convenienter possent.

5. Altera Epistola diversique textus inveniri possent in Missa Sanctæ Annæ sub num. CVIII. pag. 162. inferius apponenda.

6. Antiphona sequens pro Communione assumi posset: «Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam: rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. *Job. XXII. 26.*»

7. Alii textus inveniri possunt in Officio et Missa de Communi nec Virginum nec Martyrum.

8. «Audies vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui. *Deut. XIII. 18.*»

9. «Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ. *Ruth. II. 13.*»

10. «Tenuisti, Domine, manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. ℣. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? *Ps. LXXII. 24.*»

11. «Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum. *Ps. CXVIII. 169.*»

## CIV.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

**Secundo.** — JAPHIÆ IN PATRIA DOMO APOSTOLORUM JACOBI ET JOANNIS.

*MISSA DE EODEM SANCTO JACOBO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XLV. 3.*

Glorificavit illum Dominus in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator et

custos: ut Apostoli tui Jacobi munita præsidiis; et conversatione tibi placeat, et secura mente deserviat. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*I. Cor. Cap. IV. 9.*

Fratres: Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

**Graduale.** *Eccli. XXIII. 38.* Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo. ℣. *Ps. XXIII. 5.* Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo Salutari suo.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXIII. 11.* Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 2.* Domine, in virtute tua lætabitur Justus: et super Salutare tuum exsultabit vehementer. ℣. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXI. 8.* In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Alleluja. ℣. *Apoc. I. 9.* Ego particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. X. 35.*

In illo tempore: Accesserunt ad Jesum Jacobus et Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua. Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

**Offertorium.** *Apoc. II. 26.* Qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dicit Dominus: dabo illi potestatem super Gentes, sicut et ego accepi a Patre meo.

SECRETA.

Oblationes populi tui, quæsumus Domine, beati Jacobi Apostoli passio beata conciliet: et quæ nostris non aptæ sunt meritis, fiant tibi placitæ ejus deprecatione. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Joann. XIV. 21.* Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Beati Apostoli tui Jacobi, quæsumus Domine, intercessione nos adjuva: pro cujus [*] commemoratione suscepimus tua sancta lætantes. Per Dominum.

℣ *In Festo ejusdem Sancti Jacobi Apostoli et per illius Octavam, Evangelium legitur ut in Missa præcedenti sub num. CIII. pag. 154., et in Postcommunione ad signum* [*] *loco verbi* commemoratione *dicitur* festivitate.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa propriis textibus efficitur, non solum ut solemnius recolatur memoria ipsius Sancti Jacobi Apostoli, cui nominatim est Cappella dedicata; sed etiam ut vitetur incommodum recurrendi Temp. Pasch. ad Festum Sancti Marci Evangelistæ pro antiphonis Introitus et Offertorii atque Communionis, necnon pro Versiculis post Epistolam, uti secus e Liturgicorum sententia esset in casu faciendum. — *Cf. Comp. Bibl. Liturg. P. Aloysii de Carpo, part. I. num. 23.*

2. Epistola et Orationes, quæ in hac Missa leguntur, e Missali Romano sumebantur in Festo ejusdem Sancti Jacobi sub die XXV. Julii.

3. Tractus, juxta regulas ab auctoribus Liturgicis traditas, sumi etiam posset e Missa Sancti Matthiæ Apostoli sub die XXIV. Februarii, aut e Votiva Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum in fine Missalis Romani collocata. — *Cf. Op. citat. ibid.*

4. Versiculi autem sequentes pro Temp. Pasch. e Festo prædicto Sancti Marci etiam convenienter transferri in hanc Missam valent: « Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. *Ps. LXXXVIII. 6.* ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. *Ps. XX. 4.* »

5. Evangelii textus, extra diem Festum et ejus Octavam, e libro Sancti Marci Evangelistæ seligitur, in quo idem factum iisdemque fere verbis enarratur; sicque, ut in aliis factum est casibus, et Evangelium in Missa præcedenti sub num. CIII. pag. 154. appositum inutiliter haud repetitur, et factum idem ex ore duorum Evangelistarum narrantium jucunde auditum plenius agnoscitur.

6. « Dominum Deum tuum elegisti, ut ambules in viis ejus, et obedias ejus imperio. *Deut. XXVI. 17.* »

7. « Assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos. *Matth. XVII. 1.* »

8. « Vocavit Jesus Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est: Filii tonitrui. *Marc. III. 17.* »

9. « Venit Jesus in domum Archisynagogi, et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi. *Marc. V. 37.* »

10. « Assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem secum: et cœpit pavere, et tædere. *Marc. XIV. 33.* »

11. « Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam. *Philip. II. 30.* »

---

## CV.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Tertio. — JAPHIÆ IN PATRIA DOMO APOSTOLORUM JACOBI ET JOANNIS.

*MISSA DE EODEM SANCTO JOANNE.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XV. 5.*

In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, et intellectus: stolam gloriæ induit eum.

**Ps.** *XCI. 2.* Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra: ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XV. 1.*

Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum: et firmabitur in illo, et non flectetur: et continebit illum, et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum, Dominus Deus noster.

**Graduale.** *Joann. XXI. 23.* Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur; et non dixit Jesus, Non moritur. ℣. Sed, Sic eum volo manere donec veniam: tu me sequere.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XXI. 24.* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: et scimus quia verum est testimonium ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 5.* Domine, vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Prov. XXII. 11.* Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Alleluja. ℣. *Deut. XXXIII. 12.* Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XXI. 19.*

In illo tempore: Dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit, Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia verum est testimonium ejus.

**Offertorium.** *Ps. XCI. 13.* Justus ut palma florebit: sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur.

SECRETA.

Suscipe Domine munera, quæ in ejus tibi [*] commemoratione deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

℣ *Per totam Octavam ejusdem Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ, in Secreta ad signum* [*] *loco verbi* commemoratione *dicitur* solemnitate.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Joann. XXI. 23.* Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur: et non dixit Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere, donec veniam.

POSTCOMMUNIO.

Refecti cibo, potuque cœlesti, Deus noster, te supplices deprecamur: ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem Sancti Joannis apposita, bene sumitur e Festo ipsius Apostoli et Evangelistæ, quod sub die XXVII. Decembris celebratur; quia cum omnino propria sit, nullam in partibus mutationem pro Temp. Pasch. ipsa requirit.

2. Tractus non e Missa Sancti Matthiæ Apostoli sub die XXIV. Februarii, aut e votiva Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in fine Missalis accipitur, sed propriis textibus efformatur; itemque versiculi pro Temp. Pasch. apponuntur proprii, et non e Missa Sancti Marci Evangelistæ sub die XXV. Aprilis accepti.

3. In altero versiculo pro Temp. Pasch. omitti possent verba *quasi in thalamo tota die morabitur.*

4. Textus quamplures, qui in Missa præcedenti sub num. CIV. pag. 155. assumuntur, aptissime etiam Missæ huic, et vicissim appropriantur.

5. Numerosiores autem textus hic non apponuntur, non solum quia paucæ supplendæ sunt partes, sed etiam quia pluribus in locis Novi Testamenti facile inveniri testimonia possunt.

6. «Dominus scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. ℣. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. ℣. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. ℣. Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus: et anima ejus, quodcumque voluit, hoc fecit. *Job. XXIII. 10.*»

7. «Honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, dicit Dominus: ego dilexi te, noli timere. *Isai. XLIII. 4.*»

8. «Joannes testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. *Apoc. I. 2.*»

9. «Ego Joannes particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu. *Apoc. I. 9.*»

10. «Dixit mihi Angelus: Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis. *Apoc. X. 11.*»

## CVI.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

**Quarto.** — JAPHIÆ IN PATRIA DOMO APOSTOLORUM JACOBI ET JOANNIS.

*MISSA DE FAMILIA SANCTÆ MARIÆ SALOME.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Tob. XIII. 17.*

Tunc autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum.

**Ps.** *CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui vivens inter ho-

mines, beatam Mariam ejusque filios Jacobum et Joannem tuis obsequiis fideliter inhærere voluisti: concede postulationibus nostris; ut quos ampliori charitate in terris honorasti, eorum apud clementiam tuam sit pro nobis efficacior interventus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Cap. I. 1.*

Charissimi: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

**Graduale.** *Joann. XV. 15.* Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. ℣. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XV. 16.* Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. XV. 7.* Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. ℣. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. ℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Philip. I. 29.* Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Alleluja. ℣. *Sap. V. 5.* Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XX. 20.*

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis.

**Offertorium.** *Joann. XVII. 24.* Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

SECRETA.

Merita beatæ Mariæ et filiorum illius Jacobi et Joannis, Domine Deus, hoc nobis impetrent apud clementiam tuam; ut Calicem Salutaris digne accipere, tibique laudis Hostiam lætanter sacrificare valeamus. Per eumdem.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Joann. XVI. 22.* Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui beatam Mariam ejusque filios Jacobum et Joannem, tribulationi tuæ testes et gloriæ spectatores adesse voluisti: concede nobis, eorum interventu; ut in hoc cœlesti convivio et vim ad perferendas tribulationes, et jus ad gloriam illas consequentem obtinere valeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hac domo Zebedæi, in qua e Salome Jacobus et Joannes nati creduntur, quatuor juxta morem consuetum apponuntur Missæ: primæ quidem tres singillatim matrem filiosque considerant, quarta omnes ut unam familiam simul efficientes. De ipso autem Zebedæo patre, cujus neque nomen in Martyrologio Romano invenitur, neque sanctitas aliunde authentice dignoscitur, nulla Missa fuit assignata.

2. Quoniam Missa hæc circa duos Apostolos versatur, nil mirum si Præfatio et plures in ea partes dignitatem apostolicam maxime respiciant, quam tamen et illorum mater ut Christi discipula aliquatenus participat.

3. Alter Tractus: « *Ps. XXXII. 20.* Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te. »

4. Sequentes pro Temp. Pasch. versiculi apponi possent: « Dominus posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent. ℣. Et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. *Eccli. XVII. 7.* »

5. Alii textus inveniri possunt in Missis sub num. L. pag. 70., num. LXXIX. pag. 114., ac num. LXXXIII. pag. 120. jam appositis.

6. « Observa et audi omnia, quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. *Deut. XII. 28.* »

7. « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus *Isai. VIII. 18.* »

8. « Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. ℣. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. *Luc. XXII. 28.* »

9. « Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis, dicit Dominus. *Joann. XV. 27.* »

10. « Ego dedi eis sermonem tuum, Pater, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. *Joann. XVII. 14.* »

## CVII.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Quinto. — DIOCÆSAREÆ IN DOMO SANCTORUM PARENTUM DEIPARÆ.

*MISSA DE SANCTO JOACHIM EJUS PATRE.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXI. 9.*

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

**Ps.** *Ibid. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui præ omnibus Sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti: concede, quæsumus; ut cujus [*] memoriam veneramur, ejus quoque perpetuo patrocinia sentiamus. Per eumdem.

℟ *In Festo et per Octavam ipsius Sancti Joachim Patris B. M. V., in Oratione ad signum* [*] *loco verbi* memoriam *dicitur* festa.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXXI. 8.*

Beatus vir, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

**Graduale.** *Ps. CXI. 9.* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. *Ibid. 2.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Alleluja, alleluja. ℣. O Joachim, sanctæ conjux Annæ, Pater almæ Virginis, hic famulis confer salutis opem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. O Joachim, sanctæ conjux Annæ, Pater almæ Virginis, hic famulis confer salutis opem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXI. 2.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. Alleluja. ℣. *Os. XIV. 6.* Justus germinabit sicut lilium: et florebit in æternum ante Dominum. Alleluja.

℣ Initium sancti Evangelii
secundum Matthæum.

*Cap. I. 1.*

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

**Offertorium.** *Ps. VIII. 6.* Gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

SECRETA.

Suscipe, clementissime Deus, sacrificium in honorem sancti patriarchæ Joachim Patris Mariæ Virginis, majestati tuæ oblatum: ut, ipso cum conjuge sua et beatissima prole intercedente; perfectam consequi mereamur remissionem peccatorum, et gloriam sempiternam. Per Dominum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Luc. XII. 42.* Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc Sacramenta, quæ sumpsimus: intercedentibus meritis et precibus beati Joachim, Patris Genitricis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi; tuæ gratiæ in præsenti, et æternæ gloriæ in futuro particeps esse mereamur. Per eumdem.

℣ *Extra Octavam Sancti Joachim, legi potest Evangelium de Communi Confessoris non Pontificis primo loco.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem Sancti Joachim recitanda, integre ipsa est, quæ pro Festo ejusdem Patriarchæ Dom. infra Octavam Assumptionis Deiparæ in Missali Romano designatur.

2. Tractus autem et versiculi pro Temp. Pasch. sumuntur ex antiquis Missalibus Romanis sub die XX. Martii, qua Festum Sancti Joachim olim agebatur, antequam Clemens XII. Romanus Pontifex anno 1738 Festivitatem illam e prisca sede in Dom. infra Octavam Assumptionis transtulisset.

3. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: «Inveni filium Jesse, virum juxta cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, dicit Dominus. ℣. Hujus Deus ex semine, secundum promissionem, eduxit Israël Salvatorem Jesum. *Act. XIII. 22.*»

4. Tractus demum etiam e Missa *In virtute* de Communi unius Martyris, aut e Missis sub num. CIV. pag. 155. et num. CV. pag. 157. jam appositis eligi posset; si editus non placeat ob adjunctionem versiculi *O Joachim.* Hic versus, qui rectius in veteri Missali legitur *O Joachim, sanctæ conjux Annæ,* ibi adjunctus idcirco fuerat, quia alius versus *Potens in terra,* jam in Graduali positus, debuisset omitti in Tractu: cui tamen substitui poterat *Jucundus,* aut *In memoria,* aut *Paratum.*

5. Evangelium in Missali Romano huic Sancto designatum, si die Festi necessarium et aptum est, ut perlegi ad Matutinum possit Homilia Sancti Joannis Damasceni; aliis tamen diebus per annum in Missa votiva, ob nudam genealogiam qua totum continetur, non admodum placere aut prodesse legentibus et audientibus valet. Hinc novum Evangelium, de Communi Confessoris non Pontificis I. loco sumptum, convenientius adjicitur.

6. Quo autem melius perspiciatur non esse nimis arbitrariam mutationem, quæ suis de rationibus num. superiori consulitur, præ oculis habeantur exempla Missalis Romani, ubi Missæ votivæ in pluribus differunt a festivis, licet ambæ ad idem misterium reducantur. Enimvero, ut quædam afferantur exempla, Missæ votivæ de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Cruce, non eædem sunt ac festivæ quæ in die Pentecostes, Trinitatis, et Sanctæ Crucis adhibentur; et quod magis est, mutatio persæpe nulla cogente necessitate inducitur.

# CVIII.

## ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

## Sexto. — DIOCÆSAREÆ IN DOMO SANCTORUM PARENTUM DEIPARÆ.

*MISSA DE SANCTA ANNA EJUS MATRE.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Judith. XIII. 31.*

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

**Ps.** *XLIV. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur: concede propitius; ut cujus [*] memoriam celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eumdem.

℟ *Per totam Octavam ipsius Sanctæ Annæ Matris B. M. V., in Oratione ad signum* [*] *loco verbi* memoriam *dicitur* solemnia.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXVI. 1.*

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius, datum Dei est: mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus: lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

**Graduale.** *I. Reg. II. 1.* Oravit Anna, et ait: Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. ℣. *Ibid. I. 27.* Oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.

Alleluja, alleluja. ℣. Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperi: ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram, nutrio. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXI. 25.* Dominus non avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me. ℣. Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum. ℣. Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIV. 3.* In medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur. Alleluja. ℣. Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XIII. 44.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

**Offertorium.** *Ps. XX. 6.* Magna est gloria ejus in Salutari tuo, Domine: gloriam et magnum decorem impones super eam.

SECRETA.

Sacrificiis præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende: ut per intercessionem beatæ Annæ, quæ Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu Christi Mater exstitit, et devotioni nostræ proficiant et saluti. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Sap. IV. 1.* Immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestibus Sacramentis vegetati, quæsumus Domine Deus noster: ut intercessione beatæ Annæ, quam Genitricis Filii tui Matrem esse voluisti, ad æternam salutem pervenire mereamur. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc propriis textibus noviterque delectis in honorem Sanctæ Annæ conficitur, retentis solummodo Orationibus et Evangelio, quæ in Festo ejusdem Sanctæ sub die XXVI. Julii leguntur in Missali Romano.

2. Hæc agendi ratio in hoc jugiter servata opere, qua communibus Missarum testimoniis propria sufficiantur, si in casu præsenti non placeat, assumi integre potest Missa in eodem Festo apposita, suppletis Tractu et versibus pro Temp. Pasch. e Communi nec Virginum nec Martyrum, indidemque etiam Introitu desumpto.

3. Epistola inchoari posset a verbis *Gratia mulieris sedulæ*, ut sic incipiat lectio per verba, quæ significatu suo hebraicum *Annæ* nomen repræsentant.

4. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale e verbis Sancti Joannis Damasceni in Lect. IV. Matutini incurrentibus efficitur, assimilaturque ℣. II. ad Matutinum in Festo S. Mariæ Magdalenæ sub die XXII. Julii celebrando.

5. Versiculi pro Temp. Pasch. sequentes esse possunt: « Dominus nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. *Judith. XIII. 25.* ℣. Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se: et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam. *Judith. XIII. 17.* »

6. Aliis textibus propriis augeri hæc Missa potest per recursum ad Missas Sanctæ Elisabeth Præcursoris Matris, jam sub num. LXXIII., LXXVII., et LXXXI. pag. 105., 111., et 117. respective positas; necnon ad Missam Sancti Joachim sub num. CVII. pag. 160. editam.

7. « Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit. *I. Reg. I. 10.* »

8. « Vade in pace: et Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. *I. Reg. I. 17.* »

9. « Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, ut glorietur super te Jerusalem, et sit nomen tuum in numero Sanctorum et justorum. *Judith. X. 8.* »

10. « Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. *Eccli. XLIV. 25.* »

11. « Egressum est nomen tuum in Gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus. *Ezech. XVI. 14.* »

## CIX.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

**Septimo.** — DIOCÆSAREÆ IN DOMO SANCTORUM PARENTUM DEIPARÆ.

*MISSA UTRIQUE PARENTI COMMUNIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Deut. VII. 9.*

Dominus Deus vester, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus.

**Ps.** *XXXII. 1.* Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatis Joachimo et Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut ex eis unigeniti Filii tui Mater nasceretur: concede propitius; ut quorum memoriam agimus, eorum precibus, promissam in Christo salutem consequamur. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. II. 7.*

Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi: et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis

Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite filii nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius.

**Graduale.** *Tob. III. 24.* Exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei. ℣. *Deut. X. 15.* Dominus amavit eos, elegitque semen eorum post eos.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XI. 1.* Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XCI. 14.* Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. ℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et bene patientes erunt. ℣. Ut annuntient quoniam rectus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Judith. IV. 12.* Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini. Alleluja. ℣. *Deut. VII. 8.* Dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. VII. 7.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim Lex, et Prophetæ. Intrate per angustam portam: quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam? Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

**Offertorium.** *Luc. I. 6.* Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini, sine querela.

SECRETA.

Famulis tuis, Domine, qui in conspectu divinæ majestatis offerimus hostiam, benignus intende: et meritis Parentum Genitricis tuæ, ab omni nos perturbatione mentis ereptos, in lætitia cordis Altaribus tuis deservire concede: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Dan. XIII. 3.* Parentes illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus noster, quo Sacramentalis tui adventus uberiores valeat fructus afferre: concede propitius; ut quæ dispositio ad hanc recipiendam gratiam in nobis defuit, meritis Parentum Genitricis tuæ abunde suppleatur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Diocæsarea civitas, alio nomine *Sephoris*, « celebris est, et digna ut visitetur, quod credatur patria Joachim et Annæ, sanctorum Dei Genitricis parentum. » — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 640.*

2. In domo eorumdem Sanctorum, in qua et alteruter ex ipsis ortum habuisse traditur, et quæ olim in nobilem Ecclesiam conversa fuerat, tres de more statuuntur Missæ: prima et secunda singillatim, et tertia communiter felices Deiparæ Parentes considerat.

3. Duæ sequentes antiphonæ, retento Psalmo qui superius in Missa edebatur, ad conficiendum Introitum assumi possent: « I°. *II. Mach. I. 2.* Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutum est ad Abraham, et Isaac, et Jacob servorum suorum fidelium: et exaudiat orationes vestras. II°. *Act. III. 25.* Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. »

4. Alter Tractus: « *Ps. CXXV. 2.* Repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exsultatione. ℣. Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. ℣. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. »

5. Evangelii textus, inter alias rationes quibus Missæ congruere videtur, ex parte citatus est etiam in Lect. VI. ad Matutinum Sancti Joachim, sub Dom. infra Octavam Assumptionis.

6. Plures textus, et maxime Epistola, desumi possunt e duabus Missis in honorem parentum Dominici Præcursoris sub num. LXXV. pag. 108. et num. LXXXIII. pag. 120. jam editis.

7. « Ex toto corde suo orabant Deum, ut visitaret populum suum Israël. *Judith. IV. 17.* »

8. « Lætati sumus, Domine, pro diebus quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala. *Ps. LXXXIX. 15.* »

9. « Dabis Deus veritatem Jacob, misericordiam Abraham: quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. *Mich. VII. 20.* »

10. « Dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terræ. *Soph. III. 20.* »

11. « Semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes. *Gal. III. 29.* »

## CX.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Octavo. — APUD CANAM GALILÆÆ UBI JESUS FECIT INITIUM SIGNORUM.

*MISSA DE IPSO DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLIV. 4.*

Generatio et generatio laudabit opera tua, Domine, et potentiam tuam pronuntiabunt: magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.

**Ps.** *Ibid. 1.* Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ad revelandam mortalibus gloriam tuam nuptiali convivio interesse, et aquam in vinum convertere voluisti: corda nostra, quæsumus, igne tuæ charitatis immuta; ut in novitate vitæ ambulantes, ad æternas mereamur nuptias pervenire: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLIII. 29.*

Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, Deus est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.

**Graduale.** *Ps. XLV. 9.* Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. ℣. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. II. 3.* Deficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CIV. 1.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annuntiate inter Gen-

tes opera ejus. ℣. Cantate ei, et psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus. ℣. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit: prodigia ejus, et judicia oris ejus.

℟. *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Zach. X. 6.* Ego Dominus Deus eorum, et exaudiam eos: et lætabitur cor eorum quasi a vino. Alleluja. ℣. Et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

**Offertorium.** *Tob. IX. 12.* Accesserunt ad convivium: sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

SECRETA.

Suscipe Domine munera, quæ divino conspectui præsentantur, et concede: ut sicut Unigenitus tuus ad manifestandam omnibus gloriam suam, aquam convertit in vinum; ita de his muneribus, ad nostræ infirmitatis auxilium, præstet nobis venerabile Sacramentum: Qui tecum.

*Præfatio de Epiphania.*

**Communio.** *Ps. CV. 8.* Dominus notam fecit potentiam suam: et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Concede, misericors Deus, ut sicut admirabilis signi operatio, credentium in te fidem solidavit: ita cœlestis hæc mensa supernam in nobis tui dilectionem obfirmet: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem Christi Domini cedit, qui in Cana Galilææ suorum initium fecit signorum; ipsaque celebranda assignatur Loco, ubi ex traditione indultisque per Ecclesiam indulgentiis factum illud mirabile probatur evenisse.

2. In Orationibus duplex solum exprimitur finis, quem in Joannis Evangelio *Cap. II. 11.* dicitur Christus in miraculo patrando exspectasse, ut scilicet gloriam suam declararet et discipulorum in se fidem redderet firmiorem.

3. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale sequentibus Joannis verbis confici posset: «Venit ergo Jesus in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. *Joann. IV. 46.*»

4. Versiculi pro Temp. Pasch. si minus placeant, sic etiam immutari possunt: «Ecce ego addam, dicit Dominus, ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo. *Isai. XXIX. 14.* ℣. Quia ego Dominus loquar; et quodcumque locutus fuero verbum, fiet. *Ezech. XII. 25.*»

5. In hac Missa Præfatio de Epiphania jubetur, eo quod primum hoc Jesu miraculum simul cum ejus per Magos adoratione et cum Baptismate recultum sub die VI. Januarii, Præfationem illam jam obtineat.

6. Plurima alia ad rem testimonia ex Officio Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, quod noviter editum fuit, commode sumi valent.

7. Neque impropria omnino sunt, quæ ad Missam Dom. II. post Epiphaniam in Missali Romano, et quæ in duabus Missis sequentibus sub num. CXI. pag. 167. et CXII. pag. 168. apponuntur testimonia.

8. «Deus in sancto via tua: quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia. *Ps. LXXVI. 14.*»

9. «Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus. *Ps. CXLVI. 5.*»

10. «Dominus omne, quod voluerit, faciet: et sermo illius potestate plenus est. *Eccle. VIII. 3.*»

11. «Verbum meum, quod egredietur de ore meo, dicit Dominus, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. *Isai. LV. 11.*»

## CXI.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Nono. — APUD CANAM GALILÆÆ UBI JESUS FECIT INITIUM SIGNORUM.

*MISSA DE BEATA MARIA VIRGINE.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLIV. 18.*

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.

**Ps.** *Ibid. 1.* Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in honorem Genitricis almæ, signum mirabile ante horam tuam operari voluisti: concede propitius; ut quæ pro nostra indignitate obtinere non possumus, ejusdem Virginis suffragio, consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXIV. 23.*

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

**Graduale.** *Eccli. XXXVI. 6.* Domine, innova signa, et immuta mirabilia: glorifica manum, et brachium dexterum. ℣. Festina tempus, et memento finis; ut enarrent mirabilia tua.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXVII. 6.* Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXV. 5.* Tu Domine suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. ℣. Auribus percipe Domine orationem meam: et intende voci deprecationis meæ. ℣. Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua. ℣. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *III. Reg. II. 20.* Petitionem unam, fili, ego deprecor a te: ne confundas faciem meam. Alleluja. ℣. Pete, mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

**Offertorium.** *Eccli. XXXVI. 3.* Videant, Domine, potentiam tuam: ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua.

SECRETA.

Famulos tuos, Deus, ad nuptiale Christi convivium accedentes, oculis misericordiæ respice, et præsta: ut recumbentium defectus, per ipsum Unigenitum tuum Matris precibus exoratum, abunde suppleantur: Qui tecum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Intercessione.

**Communio.** *Ps. VI. 10.* Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Repleti divinorum largitate munerum, quæsumus omnipotens Deus, ut superni amoris igne corda nostra succendas: intercedente beatissima Virgine Maria; quæ ad nuptias in Cana Galilææ, pro invitatis vinum abs te fidenter postulavit, et efficaciter obtinuit: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In hoc Sanctuario peculiaris omnino cultus negari haud poterat per Missæ specialis appositionem Virgini Deiparæ, ubi et Christus, ajente Sancto Cyrillo Alexandrino, maximum illi amorem ostendit, « dum reverentia Matris id faciendum suscipit, quod facere nolebat. » — *Cf. Comment. ipsius Sancti Doctoris in Joann. Evang. Cap. II.*

2. Alter Introitus: « *Ps. LXXII. 28.* Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion. *Ps. Ibid. 1.* Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde! »

3. Sequentes versiculi optime etiam introduci valent pro Temp. Pasch., quamvis et appositi non displiceant: « Intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus. ℣. Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam. *Ps. V. 3.* »

4. Neque etiam repugnaret, immo ob verba præsertim *mane exaudies vocem meam* quæ factum in mentem apte revocant, duobus versiculis in unum conjunctis, pro antiphona Introitus verba superiori num. posita coaptari, ac dein subdi pro Psalmo: « *Ibid. 2.* Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. »

5. Præfatio ad asteriscos congruenter habet verba *Et te in Intercessione,* quoniam uti dictum fuit, manifestius in hoc miraculo efficacia materni pro nobis Interventus ejusdem Virginis patuit; et cæterum additio nullam in verbis et significatu repugnantiam importare videtur.

6. « Si inveni in conspectu Regis gratiam, et si Regi placet, det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem. *Esth. V. 8.* »

7. « Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. *Ps. XXIV. 1.* »

8. « Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus. *Ps. CXI. 7.* »

9. « Attende Domine, et fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus. *Dan. IX. 19.* »

## CXII.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Decimo. — APUD CANAM GALILÆÆ UBI JESUS FECIT INITIUM SIGNORUM.

*MISSA DE DISCIPULIS CHRISTI DOMINI.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *I. Reg. XII. 24.*

Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro; vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui discipulis tuis in Cana Galilææ teipsum per signa Deum revelasti: da nobis eorum intercessione; ut nunc immota fide in te credentes, gloriam tuam cum ipsis in cœlo videamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XVII. 5.*

Dominus aures, et cor dedit illis excogitandi: et disciplina intellectus replevit illos. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. Addidit illis disciplinam, et legem vitæ

hæreditavit illos. Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicia sua ostendit illis. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.

**Graduale.** *Luc. V. 26.* Stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. ℣. *Ps. CV. 12.* Et crediderunt verbis ejus: et laudaverunt laudem ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCV. 3.* Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus: quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXLIV. 10.* Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: et Sancti tui benedicant tibi. ℣. Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur. ℣. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiæ regni tui.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CVI. 24.* Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus. Alleluja. ℣. *Ps. LXXVII. 7.* Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata ejus exquirant. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

**Offertorium.** *Isai. XXIX. 14.* Ecce ego addam, dicit Dominus, ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo.

SECRETA.

Nuptiale Filii tui convivium, ad quod amantissime Pater invitare famulos non dedignaris: quæsumus, intercedentibus Christi discipulis; ut a terrena vetustate expeditos, novo ac cœlesti sapore nos impleat. Per eumdem.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Mal. I. 5.* Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israël. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui primi operatione signi, voluisti discipulorum in te fidem auctam proficere: eorumdem nobis interventu concede; ut de hisce frequentatis digne mysteriis, ad æterna repromissa credendo et amando transeamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Apud Canam Galilææ tres Missæ assignantur Sanctuario domus, in qua Christus aquam in vinum commutavit: prima de ipso Domino nostro Jesu Christo, qui miraculum effecit; secunda de beatissima Virgine Maria, quæ sua deprecatione signum illud invitatis impetravit; tertia de omnibus simul Christi discipulis, qui viso prodigio in Magistrum firmius crediderunt.

2. Singularis autem Missa pro unoquoque discipulorum, qui gloriam Magistri primo signo manifestatam tum agnoverunt, hic non apponitur, quoniam non aperte constat quot et quinam Apostoli seu discipuli ad nuptias illas recubuerint.

3. Epistola non continuate sumitur, et si ideo non probetur apposita, accipi etiam posset e Missa de Familia Sanctæ Mariæ Salome sub num. CVI. pag. 158.

4. Secundus in Graduali versiculus hoc altero textu suffici valet: « Crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat. *Joann. II. 23.* »

5. Præfatio, uti jam Missale facit pro Festo Sancti Joannis Apostoli infra Octavam Dominici Natalis, posset similiter in præsenti casu dici de Epiphania ut in Missa Domini sub num. CX. pag. 165., aut etiam de Nativitate recitari.

6. Missa hæc et duæ præcedentes sub num. CX. pag. 165. ac num. CXI. pag. 167. ita comparatæ sunt, ut earum testimonia plerumque ex una in aliam valeant transferri.

7. « Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, ut custodiatis universa mandata illius. *Deut. XI. 7.* »

8. « Narrate laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit. *Ps. LXXVII. 4.* »

9. « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? *Ps. CV. 2.* »

10. « Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. *Isai. XLIII. 21.* »

11. « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. *Joann. I. 14.* »

---

## CXIII.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Undecimo. — APUD CANAM GALILÆÆ IN DOMO SANCTI NATHANAËLIS.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXI. 2.*

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

**Ps.** *Ibid. 1.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in beato Nathanaële virtutes et animi candorem eximia laude commendasti: tribue nobis illius meritis atque imitatione; ut omnem dolum ac malitiam deponentes, in simplicitate cordis vitæque innocentia tibi placere valeamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

*Cap. III. 7.*

Fratres: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius, configuratus morti ejus: si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

**Graduale.** *Ps. LXXXIII. 12.* Misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dominus. ℣. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. VIII. 12.* Ego sum lux mundi, dicit Dominus: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXXXVIII. 3.* Domine, intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, et funiculum meum investigasti. ℣. Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea. ℣. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLVII. 9.* In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ. Alleluja. ℣. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. I. 45.*

In illo tempore: Invenit Philippus Nathanaël, et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, et vide. Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit ei: Prius-

quam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanaël, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. Respondit Jesus, et dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

**Offertorium.** *Malach. II. 6.* Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace et in æquitate ambulavit mecum, dicit Dominus.

SECRETA.

Ad mensam vitæ accedentium, misericors Deus, per merita beati Nathanaëlis Apostoli tui, mentes et corda purifica: ut et præsentis dignitatem muneris intelligere, et futurorum cautionem valeant possidere. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Sap. X. 10.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum.

POSTCOMMUNIO.

Hujus Domine Sacramenti virtus, intercedente beato Nathanaële Apostolo tuo, contra fidei pericula nos firmos efficiat: ut cum ipso divinitatem tuam confitentes in terris; eam, ablato carnis velamine, simul contemplari valeamus in cœlis: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Super Nathanaëlis domum, olim ædificatum fuerat Oratorium, quod postea dirutum et in Mesquitam conversum, novissime a Patribus Franciscanis Terræ Sanctæ redemptum est atque reparatum. — *Cf. ex parte P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 642.*

2. Cum ergo Sanctus hic Nathanaël et Apostolus fuisse et non alius a Bartholomæo, fere communi et certa sententia reputetur, idcirco et in duabus ultimis Missæ Orationibus apostolica dignitas illi attributa fuit, et Præfatio quoque de Apostolis assignata; quamvis ad evitandas penitus controversias, et ut omnia Evangelio congruant, solum Nathanaëlis nomen fuerit expressum. — *Cf. Bolland.* Acta Sanctorum, *Aug. Tom. V. pag. 7-17. edit. Palmé.*

3. Si vero Nathanaël ut simplex Jesu discipulus habeatur, et quæ superiori dicta sunt numero, etsi jam in casu ferme simili pro Sancto Barnaba fuerint peracta, in præsenti tamen haud placeant; expungi ab Orationibus posset *Apostoli* qualitas, et Præfatio communis assignari.

4. Tractus sic efformari etiam valet: « *Ps. CXXXVIII. 4.* Domine, omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea. ℣. Proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas. ℣. Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via æterna. »

5. Præter Tractum, textus insequens in duabus primis partibus suppeditare posset versiculos pro Temp. Pasch.: « *Ps. CXVII. 25.* O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. ℣. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. »

6. Locum Offertorii aut Communionis tenere posset hic etiam textus: « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. *II. Cor. I. 12.* »

7. « Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *I. Reg. XVI. 7.* »

8. « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. *Eccli. XXIII. 28.* »

9. « Hæc dicit Dominus: Noli timere serve meus, et rectissime, quem elegi. *Isai. XLIV. 2.* »

10. « Pater enim diligit filium, et omnia demonstrat ei opera, quæ ipse facit: et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. *Joann. V. 20.* »

## CXIV.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

## Duodecimo. — SUPER MONTEM THABOR IN LOCO TRANSFIGURATIONIS.

*MISSA DE DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXVI. 19.* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, et contremuit terra.

**Ps.** *LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui fidei sacramenta, in Unigeniti tui gloriosa Transfiguratione, patrum testimonio roborasti, et adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter præsignasti: concede propitius; ut ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, et ejusdem gloriæ tribuas esse consortes. Per eumdem.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*II. Petr. Cap. I. 16.*

Charissimi: Non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, et præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem, et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.

**Graduale.** *Ps. XLIV. 3.* Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis. ℣. *Ibid. 2.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. VII. 26.* Candor est lucis æternæ, speculum sine macula, et imago bonitatis illius. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXVIII. 6.* Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. ℣. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei? ℣. Deus, qui glorificatur in consilio Sanctorum: magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CIII. 1.* Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Alleluja. ℣. Confessionem et decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XVII. 1.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

**Offertorium.** *Ps. CXI. 3.* Gloria, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi. Alleluja.

SECRETA.

Oblata, quæsumus Domine, munera, gloriosa Unigeniti tui Transfiguratione sanctifica: nosque a peccatorum maculis, splendoribus ipsius illustrationis emunda. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Matth. XVII. 9.* Visionem quam vidistis, nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat Filius hominis.

POSTCOMMUNIO.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut sacrosancta Filii tui Transfigurationis mysteria, quæ [solemni] celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per eumdem.

℟ *Extra Octavam Transfigurationis Domini, in Postcommunione ad parenthesim omittitur verbum* solemni.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, quam Apostolica Sedes votivam Sanctuario jam indulserat, integra sumitur e Missali Romano in Festo Dominicæ Transfigurationis, quod die VI. Augusti celebratur.

2. Tractus post Septuagesimam, ac versiculi pro Temp. Pasch., qui ob ordinariam Festi occurrentiam in Missali Romano desiderabantur, ex accommodatis Scripturæ textibus fuerunt suppleti.

3. Quum *Alleluja* adjungatur solum Offertorio, retinendum est in Votiva, uti fieret in Suffragiis Sanctorum; quia ratione vocum, et non Temporis aut Solemnitatis, additum inde patet. — *Cf. P. Aloysii de Carpo* Comp. Bibl. Liturg., *part. I. num. 23. et part. II. num. 92.*

4. In Postcommunione extra Octavam Transfigurationis Domini, omitti jubetur vox *solemni;* quamvis ei suffici posset verbum *sancto* vel *pio,* uti dictum est in num. 6. notationum ad Missam Epiphaniæ sub num. LXVII. pag. 96.

5. Alii textus in Officio ipsius Transfigurationis atque in Missis quatuor sequentibus inveniri possunt.

6. « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Ps. II. 7.* »

7. « Ecce dabit Dominus voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israël: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. *Ps. LXVII. 34.* »

8. « Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua. *Ps. LXXXV. 8.* »

9. « Confundetur sol, cum regnaverit Dominus in monte, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. *Isai. XXIV. 23.* »

10. « Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra: splendor ejus ut lux erit. *Habac. III. 3.* »

11. « Facies filii hominis sicut sol lucet in virtute sua. *Apoc. I. 16.* »

---

## CXV.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### **Decimotertio.** — SUPER MONTEM THABOR IN LOCO TRANSFIGURATIONIS.

*MISSA DE SANCTO MOYSE LEGISLATORE.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Deut. XXXIV. 10.*

Non surrexit ultra Propheta in Israël, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum ut faceret.

**Ps.** *CII. 7.* Notas fecit Dominus vias suas Moysi: filiis Israël voluntates suas.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui famulum tuum Moysen gloriosæ Unigeniti tui Transfigurationi ceu Legis testem adesse fecisti: concede; ut eximias viri fidelissimi virtutes æmulantes, æternæ exaltationis dona consequamur. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLV. 1.*

Dilectus Deo et hominibus Moyses: cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius, sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israël.

**Graduale.** *Exod. XXIV. 15.* Cum ascendisset Moyses, operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini super illum. ℣. *Eccli. XLV. 9.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum.

Alleluja, alleluja. ℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini: propterea decorem induit te Dominus. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 2.* Domine, in virtute tua lætabitur Justus: et super Salutare tuum exsultabit vehementer. ℣. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XL. 5.* Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus. Alleluja. ℣. *Bar. V. 1.* Et indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IX. 28.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: et vestitus ejus albus et refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, visi in majestate: et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno.

Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ: nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos: et timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

**Offertorium.** *Exod. XXXIII. 11.* Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Allelujā.

SECRETA.

Amoris tui excessus, Domine Jesu Christe, quem in Jerusalem complere et in hoc Sacramento voluisti jugiter innovare: per intercessionem beati Moysis, nos illius reddat gloriæ participes, cujus specimen in monte transfiguratus coram illo præmonstrasti: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Act. VII. 37.* Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui credentium fidem adversus Crucis scandalum, gloriosa Unigeniti tui Transfiguratione et Moysis testimonio solidasti: concede propitius; ut hujus virtute Sacramenti roborati, nullis tentationibus a Christi charitate separemur: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa superius edita in laudem conficitur Sancti Moysis Legislatoris, qui tamquam Legis testimonium Transfigurationi Christi Domini visus fuit adesse.

2. Post Introitum, peculiari de causa, non Psalmi initium adhibitum fuit, sed alius ejusdem Versiculus. Hujusmodi exempla, ut Missale tantum Romano-Seraphicum inspiciamus, occurrunt in Festo Spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum, et Sanctissimi Sepulchri D. N. J. C., necnon Sancti Felicis a Cantalicio, Sancti Alexii, Sancti Ignatii de Loyola, ac Sanctæ Helenæ Imperatricis. Si tamen hoc non placeat, initium adhibeatur *Ps. CXI.*, ut in Missa sequenti.

3. Aliæ Epistolæ: «I°. Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. *Cap. III. 1-6.* Fratres sancti... retineamus. II°. Lectio libri Deuteronomii. *Cap. XVIII. 15.* In diebus illis: Vocavit Moyses omnem Israëlem, et dixit ad eum: Prophetam de gente... ultor exsistam.»

4. Secundus Gradualis versiculus posset esse: «Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israël. *Exod. XXIV. 17.*»

5. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale sequens valet adhiberi: «Erumpet quasi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. *Isai. LVIII. 8.*»

6. Versiculus autem ad *Alleluja* post Graduale jam editus, licet in Officio Transfigurationis applicetur Domino, tamen ceu VI. antiphona Matutini inservit in Festo Dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli sub die XXIX. Septembris.

7. Tractus etiam verbis insequentibus, vel et Introitus duobus ultimis versiculis apte accommodatis, efformari licet: «*Num. XII. 6.* Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, dicit Dominus. ℣. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. ℣. Ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.»

8. «Ait Moysi Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. *Exod. XIX. 9.*»

9. «Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. *Ps. LXXXIV. 9.*»

## CXVI.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

## Decimoquarto. — SUPER MONTEM THABOR IN LOCO TRANSFIGURATIONIS.

*MISSA DE SANCTO ELIA PROPHETA.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XLVI. 18.*

Agnitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis: et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, et Christi.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatum Eliam, inter cætera retributionis præmia, in gloriosa Unigeniti tui Transfiguratione ceu Prophetarum testem apparere voluisti: concede propitius; ut immotam ipsius in te fidem æmulantes, gratiam coram oculis tuis et gloriam inveniamus. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLVIII. 1.*

Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter: sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. Qui audis in Sina judicium, et in Horeb judicia defensionis. Qui ungis reges ad pœnitentiam, et Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob. Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt: nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

**Graduale.** *Eccli. XLV. 3.* Glorificavit illum Dominus in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. ℣. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem.

Alleluja, alleluja. ℣. *II. Mach. XV. 13.* Apparuit et alius vir, ætate et gloria mirabilis, et magni decoris habitudine circa illum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XX. 5.* Domine, vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XV. 11.* Notas mihi fecisti Domine vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Alleluja. ℣. *Ps. XVI. 15.* Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii
secundum Marcum.

*Cap. IX. 1.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem: et duxit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse: et erant loquentes cum Jesu. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus: audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi et Scribæ, quia Eliam oportet venire primum? Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia: et quo modo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. Sed dico vobis quia et Elias jam venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

**Offertorium.** *Isai. XLIII. 4.* Honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus, dicit Dominus: ego dilexi te.

SECRETA.

Beatus Elias, Domine, gloriosæ tuæ Transfigurationis testis et particeps, gratiam nostris conciliet muneribus: ut cum Ipso inebriari ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis potari mereamur: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joann. I. 7.* Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui beatum Eliam gloriosæ Transfigurationi tuæ circumdatum majestate assistere facis: da nobis ita illius æmulari zelum; ut in superna cibi hujus et potus fortitudine, usque ad montem tuum, lætificam visuri lucem ambulemus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa ad recolendam Eliæ Prophetæ memoriam introducitur, qui sicut jam Moyses Legis, ita ipse Prophetarum testimonium in Christi gloriosa Transfiguratione præbuit.

2. Aptissime autem Moyses et Elias peculiari Missa decorantur super montem, in quo testimonium Christo reddiderunt; ubi et Fideles olim tres Ecclesias, quasi votum Petri adimplentes, in honorem Domini et amborum Prophetarum erexerant. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 637.*

3. Introitus sequenti etiam modo disponi valet: « *Eccli. XLVI. 17.* In fide sua probatus est Propheta, et cognitus est in verbis suis fidelis: quia vidit Deum lucis. »

4. Epistola ad verba *tribus Jacob* absolvi posset, et Evangelium ad vocem *contemnatur.*

5. In Missali Romano inter Festa pro aliquibus locis invenitur sub die XX. Julii altera Missa pro Sancto Elia Propheta, quæ tamen hic non apponitur, utpote aliis Personæ actionibus quam hujus mysterio Loci accommodatior.

6. Tribus Missis jam editis non solum Domino suisque Prophetis debitus honor tribuitur, sed etiam apte efficitur ut idem Transfigurationis mysterium ex ore omnium Evangelistarum audiatur.

7. Plura testimonia, quæ in Missa præcedenti sub num. CXV. pag. 173. apponuntur, etiam Missæ huic convenire possunt, et vicissim.

8. « Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *I. Reg. II. 30.* »

9. « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. *Ps. LXXXIV. 9.* »

10. « Et tu exsultabis in Domino, in Sancto Israël lætaberis. *Isai. XLI. 16.* »

11. « Exsultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. *Joann. VIII. 56.* »

## CXVII.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

## Decimoquinto. — SUPER MONTEM THABOR IN LOCO TRANSFIGURATIONIS.

*MISSA DE QUOLIBET E TRIBUS APOSTOLIS.*

℣ *In Orationibus ad litteram* N. *exprimitur nomen Apostoli, de quo Missa celebretur; nempe aut Petri, aut Jacobi, aut Joannis.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXII. 28.*

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes prædicatiônes tuas, in portis filiæ Sion.

**Ps.** *Ibid. 1.* Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde!

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beato *N.* Apostolo gloriam claritatis tuæ super montem ostendere dignatus es: concede nobis illius meritis et imitatione; ut qui Deum videre cupimus, de terrenis voluptatibus, ad cœlestia semper erigamur: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Joann. Cap. V. 9.*

Charissimi: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

**Graduale.** *Ps. LXXII. 26.* Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. ℣. *Sap. VIII. 16.* Non enim habet amaritudinem conversatio illius,

nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XXXVI. 33.* Dominus annuntiat de luce amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXIII. 10.* Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui. ℣. Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia. ℣. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. LX. 19.* Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Alleluja. ℣. *Isai. LX. 5.* Tunc videbis et affluues, mirabitur et dilatabitur cor tuum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XVII. 1.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

**Offertorium.** *Isai. XXXIII. 17.* Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. Alleluja.

SECRETA.

Revela oculos mentis nostræ, Domine Jesu, ad mirabilia sacrificii hujus rite capienda: ut in agnitione gloriæ tuæ cum beato *N.* suaviter illecti, æternum tibi habitaculum in cordibus nostris efficere cupiamus: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. XLII. 3.* Emitte Domine lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

POSTCOMMUNIO.

Accepta salutis nostræ pignora, quæsumus Pater omnipotens, nos ad participandas Christi passiones inflammet: ut ineffabilem ipsius gloriam, quam beato *N.* transfiguratus aperuit, in æterna visione contemplari valeamus. Per eumdem.

℟ *Si Missa in honorem dicatur Sancti Petri, agitur commemoratio de coapostolo ejus Paulo, ut in Missa sub num. CXXII. pag. 184.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Congruenter hæc Missa in honorem trium Apostolorum assignatur celebranda in loco Dominicæ Transfigurationis, ubi eisdem Christus suam ipsius gloriam revelavit, et per illos universam docuit Ecclesiam.

2. Quoniam vero unusquisque e tribus Apostolis non dissimilem partem in mysterio habet, idcirco unica tantum Missa pro omnibus singillatim sumptis assignatur, in qua nomen solummodo satis erit immutasse, vel potius addidisse.

3. Altera Epistola, dempto nomine proprio *Moyses*, e Missa sub num. CXV. pag. 173. sumi valet, præsertim si pro Sancto Legislatore accipiatur una ex Epistolis in num. 3. notarum et additionum ad Missam illam indicatis.

4. Initium Gradualis sequentibus verbis confici valet: «Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea, super excelsa deducet me. *Habac. III. 18.*»

5. Alter Tractus: «*Ps. LXXXIII. 2.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. ℣. Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. ℣. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.»

6. Versus alter pro Temp. Pasch.: «Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. *Ps. XXXVI. 4.*»

7. Locum Communionis sequens antiphona posset obtinere: «Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Joann. XIV. 21.*»

8. «Quam desiderabilia omnia opera Domini: et quis satiabitur videns gloriam ejus? *Eccli. XLII. 23.*»

9. «Ego sum lux mundi, dicit Dominus: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Joann. VIII. 12.*»

10. «Ego lux in mundum veni, dicit Dominus: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. *Joann. XII. 46.*»

## CXVIII.

### ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

### Decimosexto. — SUPER MONTEM THABOR IN LOCO TRANSFIGURATIONIS.

*COMMUNIS MISSA DE PERSONIS IN HOC MYSTERIO COMPREHENSIS.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Deut. XI. 7.*

Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego præcipio vobis.

**Ps.** *LXXVII. 1.* Attendite, populo meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatis Apostolis Petro, Jacobo et Joanni gloriam Unigeniti tui in testimonio Moysis et Eliæ confirmatam revelasti: da nobis eorum intercessione; ut ipsum fideliter audiamus, qui viam nobis aperuit ad cœlum, et a servitute Legis ad promissam Gratiæ libertatem venire concessit: Qui tecum.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Cap. I. 1.*

Charissimi: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

**Graduale.** *Deut. V. 24.* Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam: vocem ejus audivimus. ℣. *Joann. I. 14.* Et vidimus gloriam Christi, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXXV. 2.* Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXXVIII. 15.* Domine, misericordia et veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur. ℣. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXV. 9.* Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, Domine: et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Alleluja. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. IX. 1.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem: et duxit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse: et erant loquentes cum Jesu. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus: audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vi-

dissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset, Cum a mortuis resurrexerit.

**Offertorium.** *Isai. XLIII. 12.* Ego annuntiavi, et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus.

SECRETA.

Hostia laudis, quæ tibi Deus omnipotens immolatur, intercedentibus Prophetis et Apostolis tuis, ad intelligenda Transfigurationis mysteria, fidelium corda purificet: ut per amoris Sacramentum Christo ceu membra conjuncti, ejus consortium exspectent honoris, quem in capite præfulsisse mirantur: Qui tecum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Deut. XIII. 4.* Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in tui gloriosa ante Moysen et Eliam Transfiguratione, per Apostolos Petrum, Jacobum et Joannem universam Ecclesiam erudisti: da nobis e superno hujus mensæ lumine sic documenta ipsa intelligere; ut nec pro justitia pati recusemus, neque de veritate promissionum diffidamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In vertice Montis Thabor, ad locum ubi Christus traditur olim transfiguratus esse, quinque juxta morem alibi servatum celebrandæ apponuntur Missæ; videlicet de ipso Domino, de Moyse, de Elia, de quolibet e tribus Apostolis, et communis de omnibus personis in mysterio comprehensis.

2. Alteram Epistolam Missa sub num. CXII. pag. 168. suppeditare potest, necnon diversos textus præsenti casui satis accommodatos.

3. Offertorium sequentibus etiam verbis congruenter efformatur: «Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi: ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum. *Isai. XLIII. 10.*»

4. Præfatio hujus Missæ et immediate præcedentis, nedum Sanctorum Moysis et Eliæ, edicitur de Nativitate Domini, juxta exemplum quod Missale Romanum in Festo Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ sub die XXVII. Decembris exhibere cernitur. Quæ assignatio, licet congra videatur maxime si Præfationis voces in ore Apostolorum positæ reputentur, tamen rejici posset, sumpta utrobique Præfatione de Apostolis.

5. Testimonia hujus Missæ et quatuor immediate præcedentium, ex una in aliam plerumque transferri possunt.

6. «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! ℣. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. *Ps. XXX. 20.*»

7. «Accedite ad Dominum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur. *Ps. XXXIII. 6.*»

8. «A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te. *Isai. LXIV. 4.*»

9. «Filii Sion exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem justitiæ. *Joël. II. 23.*»

10. «Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. *Luc. IX. 27.*»

11. «Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Joann. XVII. 24.*»

## CXIX.

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

**Decimoseptimo.** — SUPER MONTEM THABOR UBI POST RESURRECTIONEM CHRISTUS UNDECIM DISCIPULIS APPARUISSE FERTUR.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Sap. VI. 13.*

Dominus facile videtur ab his qui diligunt eum, et invenitur ab his qui quærunt illum: præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

**Ps.** *CIV. 1.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annuntiate inter Gentes opera ejus: ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui te discipulis ob mortem tuam anxiis, in monte Galilææ vivum et

adorandum præbuisti: largire nobis eorum interveniente suffragio; ut qui celsitudinem tuæ Resurrectionis videre petimus, ab imis cupiditatibus ad superna quæramus desideria pertransire: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. XIII. 26.*

In diebus illis: Surgens Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, ignorantes Jesum, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum Christum Dominum nostrum.

**Graduale.** *Sap. I. 1.* Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. ℣. Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXVIII. 10.* Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, dicit Dominus: ibi me videbunt. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *I. Par. XVI. 8.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus. ℣. Laudate nomen sanctum ejus: lætetur cor quærentium Dominum. ℣. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit: signorum illius, et judiciorum oris ejus. ℣. Recordamini in sempiternum pacti ejus: sermonis, quem præcepit in mille generationes.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXVI. 32.* Postquam autem resurrexero, dicit Dominus, præcedam vos in Galilæam. Alleluja. ℣. *Joann. XVI. 22.* Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XXVIII. 16.*

In illo tempore: Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

**Offertorium.** *Ps. XCVIII. 9.* Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

SECRETA.

Munera cultus et servitutis nostræ, te Domine jubente, cum discipulis offerimus Unigenito Filio tuo, cui omnem donasti in cœlo et in terra potestatem: ut per amoris Sacramenta nostris ille regnet in cordibus, quem omnium mentibus jam per fidem imperare fecisti: Qui tecum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Agg. II. 5.* Ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum, et Spiritus meus erit in medio vestrum: nolite timere. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu Christe, qui te nobiscum esse usque ad consummationem sæculi futurum, benignus repromittis: da quæsumus, Apostolorum prece testium; ut nunc per ista Sacramenta ad patientiam roborati, tandem in aperta visione tui simul ad gloriam admittamur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem undecim Christi Apostolorum inseritur, qui in Thabor Galilææ monte creduntur Magistrum a mortuis resurgentem vidisse; quin tamen attendatur eorum sententia, qui volunt hanc apparitionem prorsus eamdem esse ac illam, de qua loquitur Apostolus *Cap. XV. 6.* in Epistola prima ad Corinthios. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 636.*

2. Introitus, potius quam verbis «*Sapientia* facile... eam... illam», inchoatur vocibus «*Dominus* facile... eum... illum», juxta exemplum Breviarii Romani, ubi ad Capitulum Nonæ de Communi Confessoris non Pontificis ponitur nomen *Dominus*, quamvis in eodem Capitulo ad Nonam Festi S. Joseph sub die XIX. Martii vox *Sapientia* admittatur.

3. Altera Epistola, quæ jam editæ aut subrogari aut adjungi posset, invenitur in Missa sub num. XCIX. pag. 147.

4. Alter Tractus: «*Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. ℣. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est. ℣. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus.»

5. «Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo: si quæsieritis eum, invenietis. *II. Par. XV. 2.*»

6. «Accedite ad Dominum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur. ℣. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. *Ps. XXXIII. 6.*»

7. «Dominus dedit filio hominis potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. *Dan. VII. 14.*»

8. «Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Cito euntes dicite discipulis Jesu quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis; ecce prædixi vobis. *Matth. XXVIII. 7.*»

9. «Dominus Apostolis præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. *Act. I. 3.*»

10. «Stans autem Petrus cum undecim, locutus est: Viri Judæi, Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. *Act. II. 32.*»

---

# CXX.

## ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

## **Decimooctavo.** — APUD CIVITATEM NAIM UBI CHRISTUS SUSCITAVIT FILIUM UNICUM MATRIS VIDUÆ.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XLV. 11.*

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra. **Ps.** *Ibid. 2.* Deus noster, refugium et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui nobis exemplum pietatis tuæque fidem virtutis in excitando filio matris viduæ simul ostendisti: animas fidelium tuorum, quæsumus, a morte præserva; ut tibi in lumine viventium semper placere mereantur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLIII. 29.*

Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, Deus est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam.

**Graduale.** *Ps. CVI. 21.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. ℣. *Joann. V. 21.* Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. XVI. 13.* Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem; et deducis ad portas mortis, et reducis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXV. 8.* Benedicite Gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus. ℣. Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos. ℣. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Job. XXIX. 13.* Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Alleluja. ℣. *Ibid. 11.* Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. VII. 11.*

In illo tempore: Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim: et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: et hæc vidua erat: et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: et magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: et quia Deus visitavit plebem suam.

**Offertorium.** *Job. XXXIII. 28.* Dominus liberavit animam ejus, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

SECRETA.

Moveant pietatem tuam, misericors Deus, Christi Sponsæ suspiria, quibus impetrationis sacrificium comitatur: et ejus filios in morte jacentes, ad vitam revocare digneris. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Matth. IX. 8.* Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Qua Domine virtute filium unicum matris viduæ resuscitasti, fideles tuos in salvationis gratia conserva: ut omnes, quibus hic remedia vitandæ mortis indulges, per hujus Sacramenti participationem æternæ vitæ jura consequantur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in laudem adjungitur Christi Domini, qui ad portam civitatis Naim, filium unicum matris viduæ resuscitavit. — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 640.*

2. Cum vero non authentice constet quisnam ille fuerit adolescens, qui ad vitam a Domino revocatus est, neque idcirco an ecclesiastico dignus sit cultu; Missæ testimonia, excepto aliquantulum Tractu, solum referuntur ad Christum Dominum qui miraculum patravit, et consequenter Præfatio de Nativitate Domini assignatur.

3. Si tamen quæ dicta sunt numero antecedenti, non tam rigorose attendantur, plures textus inveniri possent in duabus Missis notisque respectivis de Sancto Lazaro sub num. XLVII. pag. 66. et num. LI. pag. 72. jam relati.

4. Sequens antiphona ad conficiendam aliquam Missæ partem, et maxime Introitum adhiberi posset: « *Joann. V. 25.* Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent. »

5. Epistolæ textus ex parte citatur etiam a Sancto Bonaventura in Commentariis super *Cap. VII. 16.* e Lucæ Evangelio. Ipsi tamen subrogari vel secundo loco adjici posset alia Epistola, quæ in Missali Romano Fer. VI. post Dom. IV. Quadragesimæ designatur, ubi de mortuo per Eliam Prophetam resuscitato agitur.

6. Tractus, præsertim ubi secundus Gradualis versiculus immutetur, sic etiam efformari posset: « *Joann. V. 20.* Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei opera, quæ ipse facit. ℣. Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. ℣. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat. »

7. « Tulit puerum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus. *III. Reg. XVII. 23.* »

8. « Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. *Ps. XLVIII. 16.* »

9. « Ecce dabit Dominus voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israël. *Ps. LXVII. 34.* »

10. « Dominus non despiciet viduam, si effundat loquelam gemitus. *Eccli. XXXV. 17.* »

## CAPUT DECIMUMSEXTUM.

### CXXI.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

**Primo.** — AD ORAS STAGNI UBI CHRISTUS DOMINUS SEDAVIT DISCIPULIS FLUCTUANTIBUS PROCELLAM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXXVIII. 9.*

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

**Ps.** *Ibid. 2.* Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem.

Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, cujus imperio venti

obediunt et mare: adesto inter procellas tentationum fluctuantibus; et voce virtutis tuæ optatam illis reduc tranquillitatem: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLIII.* **25.**

In sermone Domini siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus: et audientes auribus nostris admirabimur. Propter ipsum confirmatus est itineris finis, et in sermone ejus composita sunt omnia. Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.

**Graduale.** *Ps. CVI. 25.* Dixit Dominus, et stetit spiritus procellæ: et exaltati sunt fluctus ejus. ℣. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos: anima virorum in malis tabescebat.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CVI. 28.* Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CVI. 29.* Dominus statuit procellam maris in auram: et siluerunt fluctus ejus. ℣. Et lætati sunt, quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *CVI. 23.* Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. Alleluja. ℣. *Tob. III. 22.* Non enim delectaris, Domine, in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. IV. 35.*

In illo tempore: Ait Jesus discipulis suis, cum sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: et aliæ naves erant cum illo. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: et excitant eum, et dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: et facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

**Offertorium.** *Ps. LXXVI. 17.* Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui discipulos inter maris æstum laborantes præsentia tua protexisti: auge quæsumus fidem nostram; ut tibi per hæc Sacramenta intime conjuncti, nulla pericula timeamus: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Jon. I. 15.* Stetit mare a fervore suo: et timuerunt viri timore magno Dominum, et voverunt vota Domino. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Sumamus de hoc altari, misericors Domine, firmam in tua potentia et bonitate fiduciam: ut merito hujus fidei nostræ, ab omnibus vitæ tempestatibus erepti, ad æternæ pacis portum pervenire mereamur. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem additur Christi Domini, qui Deum in sedanda procella se discipulis ostendit. Ipsa autem Missa, sicut et aliquæ in isto XVI. Capite comprehensæ, idcirco hic apponuntur, ut recitari a Sacerdotibus coram Peregrinis possint ad Ecclesias et oras Lacus illius, ubi fuit signum operatum.

2. Altera et quidem non brevis Epistola, confici posset verbis, quæ in libro Jonæ Prophetæ leguntur, præsertim si mutetur Communionis antiphona; nempe: « Lectio Jonæ Prophetæ. *Cap. I. 4-16.* In diebus illis: Dominus misit... et voverunt vota. »

3. Alter Tractus: « *Ps. XLIII. 23.* Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge, et ne repellas in finem. ℣. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ? ℣. Exsurge Domine, adjuva nos: et libera nos propter nomen tuum. »

4. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: « In verbo Domini stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum. ℣. Quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. *Eccli. XXXIX. 22.* »

5. Plures inveniri possent textus etiam in Evangelio Sancti Matthæi *Cap. VIII. 23-27.*, necnon in altero Sancti Lucæ *Cap. VIII. 22-25.*; ubi et idem Jesu prodigium in Missa cultum diversis parum verbis enarratur.

6. « Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus: ut eruat a morte animas eorum. *Ps. XXXII. 18.* »

7. « Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. ℣. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. *Ps. XXXIII. 16.* »

8. « Laudate Dominum de terra: nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. *Ps. CXLVIII. 7.* »

9. « Mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. *Eccli. XI. 13.* »

10. « Domine, salva nos, perimus: impera, et fac Deus tranquillitatem. » *Ex ant. ad Magnif. in Vesp. Dom. IV. post Epiph.*

---

# CXXII.

## APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

## Secundo. — UBI JESUS POST RESURRECTIONEM SUAM APPARUIT SEPTEM DISCIPULIS E NAVI PISCANTIBUS.

*MISSA DE SANCTO PETRO APOSTOLO.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ezech. XXXIV. 23.*

Suscitabo super oves meas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem; ego autem Dominus ero eis in Deum.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui iturus de hoc mundo ad Patrem, agnos tuos et oves Apostolo Petro pascendos reliquisti: da gregi illius tradito curis; ut pastoris vocem in omnibus audientes, et a periculis defendi, et ad vitæ pascua perduci mereatur: Qui vivis.

℣ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

ORATIO.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*I. Petr. Cap. V. 1.*

Charissimi: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum: qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide: scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

**Graduale.** *Eccli. XLVII. 9.* In omni opere dedit confessionem Sancto: de omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum. ℣. *Ps. LXXVII. 70.* Et elegit eum Dominus pascere Jacob servum suum, et Israël hæreditatem suam.

Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XLVII. 13.* Dominus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ in Israël. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXXXVIII. 4.* Domine, omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea. ℣. Proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas. ℣. Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via æterna.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, Alleluja. ℣. *I. Par. XI. 2.* Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israël, et tu eris princeps super eum. Alleluja. ℣. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XXI. 15.*

In illo tempore: Dixit Jesus Simoni Petro: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi: Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

**Offertorium.** *Mich. V. 4.* Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.

SECRETA.

Bone animarum pastor, Domine Jesu, qui oves tuas propria carne pascis et sanguine: da omnibus, qui Petri vocem fideliter audiunt; ut per sumendam alimoniam, vitam habere et abundantius habere mereantur: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Eccli. XLV. 29.* In bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israël: ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum et gentis **suæ.**

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui cœlestem hunc panem inter Fideles tuos unitatis symbolum et medium reliquisti: concede, beati Petri gloriosa intercessione; ut omnes qui mensæ Christi sunt participes, erroribus et schismate depulsis, unum ovile sub uno visibili pastore constituant. Per eumdem.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Jam Sedes Apostolica privilegium tribuerat, quo in honorem Sancti Petri dici posset: « Ad Lacum Tiberiadis, Missa uti in Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die 28 Junii; oratio tamen ut in die Cathedræ Sancti Petri « *Deus qui beato Petro,* cum Commemoratione Sancti Pauli *Deus qui multitudinem gentium.* » Ita legitur in Indulto S. R. C. pro Missis votivis in Sanctuariis Terræ Sanctæ, die 31 Augusti 1865 edito.

2. Concessa autem Missa, si Introitus cum Evangelio et Communione excipiantur, convenit potius Loco apud Cæsaream Philippi, ubi promissas sibi claves regni cœlorum Petrus audivit, quam Sanctuario ad Lacum Tiberiadis, ubi agnos Christi et oves pascendos accepit. Hinc nova jam indultæ subrogatur, in qua textus omnes mysterio apte respondeant.

3. Locus autem aptior, quo suffecta Missa et sequentes duæ celebrentur, quamvis in Indulto generico «*ad Lacum Tiberiadis*» suis de rationibus edicatur, est Ecclesia Sancti Petri ad urbem Tiberiadis, in qua et jam indulta interim recitatur.

4. Post Introitum, nisi attentio nimium a Petro distrahatur, subdi posset: « *Ps. CXLIX. 1.* Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum. »

5. Quoniam Missa ad Sanctum Petrum refertur, in ipsa de Coapostolo ejus Paulo commemoratio juxta Rubricas peragenda est, adhibitis Orationibus quæ apud Missale in Festo Cathedræ Romanæ leguntur sub die XVIII. Januarii.

6. Plures textus ex Officiis et Missis in Festis et Vigilia Sancti Petri accipi possent, uti et posterior versiculus pro Temp. Pasch. ex antiphona ad Magnificat in II. Vesperis pro Festo Cathedræ Romanæ est assumptus.

7. « Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. *I. Reg. X. 24.* »

8. « Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, et tu eris dux super Israël. *II. Reg. V. 2.* »

9. « Domine, locutus es in visione Sanctis tuis, et dixisti: Posui adjutorium in potente: et exaltavi electum de plebe mea. *Ps. LXXXVIII. 20.* »

10. « Hæc dicit Dominus Deus: Pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea. *Ezech. XXXVII. 24.* »

11. « Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ. *Mich. VII. 14.* »

## CXXIII.

### APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

### Tertio. — UBI JESUS POST RESURRECTIONEM SUAM APPARUIT SEPTEM DISCIPULIS E NAVI PISCANTIBUS.

*MISSA DE SANCTO JOANNE APOSTOLO.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Exod. XXXIII. 13.*

Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos.

**Ps.** *IX. 2.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui ante alios Apostolos a beato Joanne voluisti in mira piscium captura recognosci: mentes et ora nostra, quæsumus, ejus interventione sanctifica; ut magnitudinem operum tuorum et ipsi intelligere, atque aliis annuntiare valeamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Cap. IV. 6.*

Charissimi: Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

**Graduale.** *Joann. XXI. 4.* Stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. ℣. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XXX. 20.* Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum: et aures tuæ audient verbum ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXX. 6.* In te Domine cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis. ℣. Deus docuisti me a juventute mea: et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. ℣. Et usque in senectam et senium: Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XXI. 22.* Hic est discipulus meus: sic eum volo manere, donec veniam. Alleluja. ℣. *Ps. XC. 15.* Glorificabo eum, dicit Dominus: longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XXI. 19.*

In illo tempore: Dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ipsius et dixit, Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo

manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia verum est testimonium ejus.

**Offertorium.** *Agg. II. 24.* In illa die suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo: quoniam ego elegi te, dicit Dominus.

SECRETA.

Ad mensam Angelorum convocatos, quæsumus Domine, intercedente beato Joanne, fac puritatis et amoris decor exornet: qui eidem virgini discipulo tribuisti, et super pectus tuum in ultima cœna recumbere, et faciem tuam in apparitione ante alios agnoscere: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Joann. XIV. 21.* Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beatum Joannem usque ad mortem fidele Verbo tuo testimonium perhibere jussisti: da nobis cœlesti pane refectis; ut in confessione et sequela Christi constanter maneamus, donec sempiterna veniat ipse bona redditurus: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in honorem additur Sancti Joannis ad locum illum recitanda, ubi discipulus virgo virginem Magistrum agnovit, et dixit Petro, *Dominus est;* atque ubi Christum ipse Apostolus de se mira cum Petro loquentem audivit.

2. Altera Epistola confici posset hac etiam ratione: «Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. Cap. III. 19–25.* Fili, in mansuetudine.... ostensa sunt tibi.» Quæ tamen hic non fuit apposita, tum ut appropriatæ voces ejusdem Sancti Joannis admittantur, tum etiam quia verba Ecclesiastici ad retundendam Petri curiositatem aptius inserviunt.

3. Ad *Alleluja* post Graduale subjungi posset hic versiculus: «Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. *Prov. XXII. 11.*»

4. Alter Tractus: «*Ps. XX. 5.* Domine, vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Magna est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. ℣. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.»

5. Prior pro Temp. Pasch. versiculus ex antiphona III. Laudum, et Offertorium e ℟. VII. Matutini in Officio ejusdem Sancti Joannis sub die XXVII. Decembris accipiuntur.

6. Locum Communionis antiphona etiam insequens obtinere posset: «Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, dicit Dominus: ego dilexi te, noli timere. *Isai. XLIII. 4.*»

7. Plures textus, et maxime integrum Graduale atque antiphona Communionis, accipi quoque valent ex altera ipsius Sancti Joannis Missa, quæ sub num. CV. pag. 157. edita fuit.

8. «Dominus Deus te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et audisti verba illius. *Deut. IV. 36.*»

9. «Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov. VIII. 17.*»

10. «Sapientia facile videtur ab his, qui diligunt eam: præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. *Sap. VI. 13.*»

11. «Sapientia non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. *Eccli. VI. 23.*»

## CXXIV.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

**Quarto.** — UBI JESUS POST RESURRECTIONEM SUAM APPARUIT SEPTEM DISCIPULIS E NAVI PISCANTIBUS.

*MISSA DE OMNIBUS PERSONIS IN MYSTERIO COMPREHENSIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Deut. XII. 7.*

Comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui post Resurrectionem discipulis apparens, uberem illis piscium

capturam, et cibum amanter præparasti: concede mentibus nostris; ut ex magna in illos dignatione, cognoscamus quam bonum nobis et jucundum sit, obsequiis tuis constanter inhæsisse: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. X. 37.*

In diebus illis: Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

**Graduale.** *Sap. VI. 14.* Dominus præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. ℣. *I. Par. XXIX. 22.* Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXVII. 4.* Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CVI. 21.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. ℣. Et sacrificent sacrificium laudis: et annuntient opera ejus in exsultatione. ℣. Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joël. II. 26.* Comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum. Alleluja. ℣. Et scietis quia in medio Israël ego sum: et ego Dominus Deus vester, et non est amplius. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XXI. 1.*

In illo tempore: Manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanaël qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim: et illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete; et invenietis. Miserunt ergo; et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.

**Offertorium.** *Sap. I. 2.* Dominus invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Alleluja.

SECRETA.

Domine Jesu, qui post Resurrectionem tuam discipulis appareus, illos ad prandium amabiliter invitasti: concede propitius; ut omnes ad hanc divinissimam cœnam advocati, curis temporalium postpositis, ad eam tota cordis alacritate properemus: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Bar. II. 31.* Et scient quia

ego sum Dominus Deus eorum, et dabo eis cor, et intelligent; aures, et audient: et laudabunt me, et memores erunt nominis mei.

POSTCOMMUNIO.

Domine Jesu, qui discipulis in mari piscationem exercentibus stans in littore apparuisti: concede nobis per omnipotentiam tuam et bonitatem in hisce mysteriis ineffabiliter ostensas; ut e præsentis vitæ laboribus erepti, tecum in æterna quietis sede collocemur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In loco ad mare Tiberiadis ubi Christus, ajente Evangelista Joanne, tertio manifestatus est discipulis suis cum resurrexisset a mortuis, tres de more assignantur Missæ: prima de Apostolorum Principe, qui inibi jussus est a Domino pascere agnos et oves; secunda de Sancto Joanne, qui illic Magistrum primus agnovit, et divinum cum Petro colloquium de se ipse discipulus audivit; tertia de omnibus simul septem discipulis, qui post apparitionem Jesu et capturam piscium, amanter ab eodem Christo fuerunt ad prandium invitati.

2. Tres Missæ, de quibus est num. superiore dictum, apte inserviunt, et ad debitum honorem Sanctis omnibus impendendum, qui partem notabilem in mysterio habuerunt, atque ad tollendum defectum, quem in unius tantum concessione Missæ plures lamentabantur. Hucusque enim solum interrogatio Petri et ei collatio primatus colebatur, non autem et apparitio septem facta discipulis, et colloquium de Joanne; quæ tamen omnia in uno eodemque loco contigisse ex Evangelio manifeste colligitur.

3. Aliud Offertorium: « Dilectio Dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione et in agnitione magnalium suorum. *Eccli. I. 14.* »

4. Alia Communionis antiphona: « Dominus Apostolis præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. *Act. I. 3.* »

5. Alia testimonia, et præsertim Tractus, inveniri possent in Missis sub num. et pag. LXXXVI. 125., LXXXVII. 127., XCIX. 147., CXIX. 179., necnon ad Missam pro Loco ubi Christus panes multiplicavit dein apponendam.

6. « Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, ut custodiatis universa mandata illius. *Deut. XI. 7.* »

7. « Confitebimur tibi Deus; confitebimur, et invocabimus nomen tuum: narrabimus mirabilia tua. *Ps. LXXIV. 2.* »

8. « Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov. VIII. 17.* »

9. « Stupor enim circumdederat Petrum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. *Luc. V. 9.* »

## CXXV.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

## Quinto. — UBI JESUS QUATUOR PRIMOS APOSTOLOS AD SEQUELAM SUAM VOCAVIT.

*MISSA DE SANCTO PETRO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *III. Reg. XIV. 8.*

Custodivit servus meus mandata mea, dicit Dominus, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.

**Ps.** *LXI. 2.* Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui beatum Petrum a jactu retium et mundanis lucris ad te sequendum invitasti: da nobis, imitatione illius, caduca aspernari; ut vocem tuam perfectiora jubentem melius agnoscere, eique, nullis retardati obstaculis, obedire valeamus: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli*

ORATIO.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. III. 1.*

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui: et invenies gratiam, et

disciplinam bonam, coram Deo et hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede a malo. Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus: pretiosior est cunctis opibus: et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus.

**Graduale.** *Jos. I. 9.* Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæcumque perrexeris. ℣. *Ps. XXXVI. 34.* Exspecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te, ut hæreditate capias terram.

Alleluja, alleluja. ℣. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te: et super plebem meam principem te constitui, et claves regni cœlorum tradidi tibi. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Job. XXIII. 10.* Dominus scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. ℣. Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. ℣. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccle. II. 12.* Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum? Alleluja. ℣. *Luc. V. 10.* Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. IV. 17.*

In illo tempore: Cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores), et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum.

**Offertorium.** *Rom. IV. 20.* In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo. Alleluja.

SECRETA.

Divino assistentes operi, Domine Jesu Christe, fac nos cum beato Petro indignitatem nostram ac tuam magnitudinem veraciter confiteri: ut in omnibus sincere humiliati, uberiorem in oculis divinæ misericordiæ possimus gratiam invenire: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Isai. XLVIII. 17.* Hæc dicit Dominus redemptor tuus, Sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beato Petro a jaciendis retibus ad sequelam tuam allecto, promisisti capiendi homines facultatem: da nobis ejus intercessione; ut in admirabilis virtute Sacramenti, et ipsi viam perfectionis ambulemus, et proximos ad illam perducere nitamur: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

℟ *In hac Missa legi etiam potest Evangelium, quod in Missa omnibus hisce Apostolis communi sub num. CXXIX. pag. 195. dein apponetur.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hujus testimonia Missæ ad Apostolum Petrum propius referuntur, quatenus a Christo ad sequelam suam vocatus consideretur. Quoties autem aliqui textus non placeant, recurri potest ad alias Sancti Petri Missas, quæ in Missali Romano, et in hoc opere sub num. et pag. LXXXIX. 131. et CXXII. 184. inveniuntur, necnon ad Officia eisdem respondentia.

2. In hac Missa, uti in aliis de Sancto Petro, agitur ad Rubricarum tramitem commemoratio Sancti Coapostoli Pauli.

3. Altera Epistola, et satis mysterio accommodata, verbis ejusdem Apostoli effici posset; nempe: « Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. *II. Petr. I. 1–4. et 10–11.* Simon Petrus... concupiscentiæ corruptionem. Quapropter... Salvatoris Jesu Christi. »

4. Verba, quibus versiculus ad *Alleluja* post Graduale conficitur, leguntur etiam ad ℣. I. Matutini in Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii.

5. Textus insequens ad finem Tractus adjici posset, retento aut omisso primo ex versiculis ibi jam appositis: « Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus: et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. *Job. XXIII. 13.* »

6. Evangelium, quod in communi Apostolorum Missa sub num. XXIX. pag. 195. dein apponetur, etiam in hac legendum secundo loco adjicitur, ob eximias Petri laudes quas illud singulariter enuntiat.

7. « Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Ps. XLIV. 8.* »

8. « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. ℣. Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. *Eccli. III. 20.* »

9. « Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. *Isai. L. 5.* »

10. « Ad quem autem respiciam, dicit Dominus, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Isai. LXVI. 2.* »

---

# CXXVI.

## APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

## Sexto. — UBI JESUS QUATUOR PRIMOS APOSTOLOS AD SEQUELAM SUAM VOCAVIT.

*MISSA DE SANCTO ANDREA.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *III. Reg. III. 6.*

Domine Deus, tu fecisti cum servo tuo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et justitia, et recto corde tecum.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, ad cujus vocem beatus Andreas ut te Magistrum sequeretur, omnia dimisit: concede nobis illum congrue imitari; ut decoram justitiæ semitam ingressi, eam usque in finem viriliter teneamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. II. 1.*

Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia, et scientia. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et vias Sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam.

**Graduale.** *Isai. XXX. 20.* Dominus non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. ℣. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea.

Alleluja, alleluja. ℣. Mox ut vocem Domini prædicantis audivit beatus Andreas, relictis retibus, quorum usu actuque vivebat, æternæ vitæ secutus est præmia largientem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIV. 4.* Vias tuas Domine demonstra mihi: et semitas tuas edoce me. ℣. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die. ℣. Diriget Dominus mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. Dignum sibi Dominus Andream computavit Martyrem, quem vocavit Apostolum, dum esset in mari Galilææ. Alleluja. ℣. *Ps. XXIII. 5.* Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo Salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. I. 14.*

In illo tempore: Venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio. Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare (erant enim piscatores), et dixit eis Jesus: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

**Offertorium.** *Luc. XIV. 33.* Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, dicit Dominus, non potest meus esse discipulus.

SECRETA.

Domine Jesu, qui corda nostra in te solum requiescere disposuisti: largire famulis tuis; ut cum beato Andrea a temporalium amore divulsi, æternas ad hanc mensam delicias prægustare possimus: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Isai. XLVIII. 15.* Ego Dominus locutus sum, et vocavi eum: adduxi eum, et directa est via ejus.

POSTCOMMUNIO.

Divina Sacramentorum efficacia, quæsumus Domine, nos contra mundi illecebras apte communiat: ut cum beato Andrea Apostolo vestigia tua viriliter insequentes; supernæ in te vocationis cum ipso bravium accipiamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc Sanctum Andream non generice considerat, sed speciali modo, cum vocantem Dominum, relictis retibus et navi piscatoria, secutus est cum fratre suo Petro.

2. Si electa Epistola non satis approbetur, eligi potest altera, quæ in Missa sub num. CXIII. pag. 170. edita fuit.

3. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale ceu II. ℟., et prior pro Temp. Pasch. versus uti IV. antiphona ad Matutinum ipsius Sancti Andreæ in Breviario Romano sub die XXX. Novembris invenitur.

4. Alter Tractus: « *Ps. CXLII. 8.* Domine, auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi. ℣. Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. ℣. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. »

5 Evangelium hujus Missæ brevius est atque ex alio auctore sacro desumptum, ac positum in die Festi; iis nempe de causis, quæ alibi sunt dictæ, ut omnia Locis conveniant, et in casu nostro etiam ne ordo inter Evangelistas eadem narrantes sine causa deturbetur.

6. Missæ duæ in Vigilia et Festo hujus Apostoli sub diebus XXIX. et XXX. Novembris apud Missale Romanum, suppeditare commode valent alios textus hic non appositos.

7. « Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati. *Esth. XIII. 9.* »

8. « Perfice Domine gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea. *Ps. XVI. 5.* »

9. « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. *Prov. VIII. 35.* »

## CXXVII.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

**Septimo.** — UBI JESUS QUATUOR PRIMOS APOSTOLOS AD SEQUELAM SUAM VOCAVIT.

*MISSA DE SANCTO JACOBO.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XXXVIII. 3.*

Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis, fecerim.

**Ps.** *XXV. 1.* Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans, non infirmabor.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui unius voce præcepti beatum Jacobum, relictis retibus et patre, post te venire monuisti: gressus etiam nostros secun-

dum eloquium tuum dirige; ut carnales affectus et opes terrenas aspernati, viam mandatorum inoffenso pede curramus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. IV. 4.*

Fili mi, suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, et vives. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam, et custodiet te; dilige illam, et conservabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tua, acquire prudentiam: arripe illam, et exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus; dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. Audi fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.

**Graduale.** *Ps. XXXVI. 23.* Apud Dominum gressus hominis dirigentur: et viam ejus volet. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. X. 10.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXII. 24.* Domine, tenuisti manum dexteram meam; et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. ℣. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram. ℣. Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Deut. XXVI. 17.* Dominum elegisti, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et obedias ejus imperio. Alleluja. ℣. *Prov. IV. 27.* Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. IV. 17.*

In illo tempore: Cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores), et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: et vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.

**Offertorium.** *Deut. XXVI. 14.* Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia, sicut præcepisti mihi. Alleluja.

SECRETA.

Famulos tuos ad sacra mysteria venientes, Domine, per intercessionem beati Jacobi, ad te suaviter attrahe: ut super omnem affectum sæculi et emolumentum, sentiant melius esse bonorum omnium servire Datori. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Tob. IV. 20.* Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.

POSTCOMMUNIO.

Refectio ista salutaris, quæsumus Domine, intercedente beato Jacobo, det nobis vires ad Christi prosequenda vestigia: ut in ipsius Filii tui disciplina permanentes, æternam hæreditatem, elusis hostibus, adeamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa in honorem Sancti Jacobi conficitur, et Loco apud mare Galilææ assignatur celebranda, ubi ipse cum fratre suo Joanne ad sequelam vocantis Domini, relictibus retibus et patre, se contulit.

2. Altera Epistola: « Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli. *Cap. II. 23-29.* Charissimi: Omnis... natus est. »

3. Alter Tractus: « *Ps. CXVIII. 114.* Adjutor et susceptor meus, Domine, es tu: et in verbum tuum superspéravi. ℣. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab exspectatione mea. ℣. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis injustitia. »

4. Aliquam Missæ partem hic textus valet occupare: « In velamento alarum tuarum, Domine, exsultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. *Ps. LXII. 8.* »

5. Si qua testimonia non placeant, ad alteram Sancti Jacobi Missam sub num. CIV. pag. 155. recurratur.

6. « Quis est similis tui, Domine, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? *Exod. XV. 11.* »

7. « Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Ps. CXLI. 6.* »

8. « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, dicit Dominus. *Matth. X. 37.* »

9. « Si quis mihi ministrat, me sequatur, dicit Dominus: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. *Joann. XII. 26.* »

---

## CXXVIII.

### APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

### Octavo. — UBI JESUS QUATUOR PRIMOS APOSTOLOS AD SEQUELAM SUAM VOCAVIT.

*MISSA DE SANCTO JOANNE.*

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XIV. 23.*

Beatus vir, qui excogitat vias Sapientiæ in corde suo, et in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, et in viis illius consistens.

**Ps.** *CVII. 2.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, et psallam in gloria mea.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatum Joannem omnibus oblectamentis terræ sequelam tuam præponere docuisti: eamdem in nobis, quæsumus, gratiam ostende; ut contra mundi laqueos securi, a te in viam perfectionis dirigi valeamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. VI. 24.*

Audi fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes sapientiæ, et in torques illius collum tuum: subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus. Investiga illam, et manifestabitur tibi, et continens factus ne derelinquas eam: in novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. Fili mi, si attenderis mihi, disces: et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

**Graduale.** *Isai. XLIII. 1.* Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo, dicit Dominus: meus es tu. ℣. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus: ego dilexi te.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. VIII. 12.* Ego sum lux mundi, dicit Dominus: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVIII. 27.* Domine, viam justificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis. ℣. Adhæsi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere. ℣. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIII. 37.* Nihil melius est, quam timor Dei; et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. Alleluja. ℣. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. I. 14.*

In illo tempore: Venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio. Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, mit-

tentes retia in mare (erant enim piscatores), et dixit eis Jesus: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi: et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

**Offertorium.** *Ps. XV. 5.* Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

SECRETA.

Accendantur in nobis, quæsumus Domine, superni amoris flammæ, quibus Joannes assidua tui conversatione flagravit: ut e frequentandis hisce mysteriis gloriam cœlestis Patris, et fratrum curare salutem ediscamus: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Eccli. V. 12.* Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ.

POSTCOMMUNIO.

Cœlestis gratia Sacramenti, quæsumus Domine, interveniente beato Joanne, in tui nos faciat imitatione persistere: ut mercedem magnam, quam te sequentibus promisisti, cum ipso consequamur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc in laudem est Joannis Apostoli, qui ad vocem transeuntis Domini, omnibus dimissis, post vestigia divina cum fratre suo Jacobo protinus ambulavit.

2. Si desideretur Epistola e verbis ipsius divi Joannis electa, sequens in promptu habetur: « Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli. *I. Cap. II. 1-8.* Filioli mei.... et verum lumen jam lucet. »

3. Testimonium sequens perbelle inservire posset ad conficiendum versiculum ad *Alleluja* post Graduale, seu etiam Offertorium aut Communionem: « Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi; Domine tu scis. *Jer. XVII. 16.* »

4. Alter Tractus: « *Ps. CXVIII. 103.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine: super mel ori meo. ℣. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. ℣. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. »

5. Aliqua testimonia inveniri possent in duabus Missis de ipso Evangelista, quæ jam sub num. CV. pag. 157. et num. CXXIII. pag. 186. appositæ fuerunt.

6. « Juxta cor meum et animam meam faciet, dicit Dominus: et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. *I. Reg. II. 35.* »

7. « Omnia enim judicia Domini in conspectu meo: et præcepta ejus non amovi a me: et ero perfectus cum eo. *II. Reg. XXII. 23.* »

8. « Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. ℣. Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet. ℣. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem. *Ps. XXXVI. 4.* »

9. « Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. *Ps. LXXXV. 11.* »

10. « Rex fecit eum amicum suum, et glorificavit eum gloria magna. *I. Mach. XIV. 39.* »

## CXXIX.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

**Nono.** — UBI JESUS QUATUOR PRIMOS APOSTOLOS AD SEQUELAM SUAM VOCAVIT.

*MISSA OMNIBUS HIS DISCIPULIS COMMUNIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Deut. XIII. 4.*

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.

**Ps.** *CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui omnia pro tui dilectione aspernatis centuplum in hoc tempore atque in futuro

vitam æternam promisisti: concede propitius; ut beatorum Petri, Andreæ, Jacobi et Joannis vestigia subsecuti, perituras mundi contemnamus opes, atque ad manentia cœli bona semper aspiremus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*I. Cor. Cap. I. 20.*

Fratres: Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

**Graduale.** *II. Thess. I. 11.* Dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute. ℣. Ut clarificetur nomen Domini Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XIX. 28.* Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, dicit Dominus: centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. XV. 7.* Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, dicit Dominus: quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. ℣. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. ℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Os. VI. 3.* Vivemus in conspectu ejus: sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Alleluja. ℣. *Joann. XV. 27.* Et vos testimonium perhibebitis de me, dicit Dominus, quia ab initio mecum estis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. V. 1.*

In illo tempore: Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctam laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecisset, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant: similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

**Offertorium.** *Eccli. II. 18.* Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum, conservabunt viam illius.

SECRETA.

Deus, qui Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, potentiæ tuæ gloriam demiratos, ad te relictis omnibus sequendum invitasti: da nobis eorum suffragio: ut virtutem divinæ refectionis apte agnoscentes, ad illam terrenis expiati affectibus accedamus: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Jer. XVI. 16.* Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et pi-

scabuntur filios Israël: et scient quia nomen mihi Dominus.

POSTCOMMUNIO.

Mentibus nostris, Domine Jesu Christe, per Sacramenta tua verum lumen infunde: ut cum beatis Petro, Andrea, Jacobo et Joanne vanitatem mundi agnoscentes; vocatione, qua vocati sumus, digne cum ipsis ambulemus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In Sanctuario ad mare Tiberiadis, ubi Christus primos quatuor Apostolos ad sequelam suam invitavit, quinque de more habentur Missæ; quatuor nempe singulares pro unoquolibet eorum, et una communis pro omnibus Discipulis simul acceptis. Omnium tamen testimonia ex una in aliam Missam possent transferri, et maxime in hanc Evangelium sub num. CXXVII. pag. 192. positum. Denique ad primas quatuor altera Epistola in notis proponitur, si assumpta non placeat.

2. Locus autem, ubi novæ Missæ celebrandæ erunt, opportune determinatur in Indulto S. R. C. die 2 Julii 1749, quo Sacrum Tribunal, præter votivam de Transfiguratione in Monte Thabor adhibendam, indulget «Missam S. Petri in «Ecclesia sita ad Lacum Tiberiadis, ubi Sanctos Petrum et Andream ad Apostolatum vocatos fuisse ex traditione pariter «constat.» — *Ex orig. Indulti in Archivio Terræ Sanctæ Hierosolymis asservato.*

3. Quæ ut plenius intelligantur, sciendum est in ultima Votivarum concessione, optime quidem Primatum Sancti Petri pro ejusdem Vocatione coli «ad Lacum Tiberiadis» *generice* permissum: quoniam, uti alias dictum est, si jure tanti Primatus memoria viciniori qua licet Ecclesia, et in Loco juxta traditionem exsistentem indicato, convenit celebrari; præjudicium tamen inferendum non erat pervetustæ traditioni, quæ Vocationis locum ad urbem Tiberiadem et Collationis Primatus ad Capharnaum assignabat. — *Cf. num. 1. et 3. notar. et addit. ad Miss. CXXII. pag. 184.*

4. Non solum Petrus et Andreas, sed etiam Jacobus et Joannes peculiari Missa in usum saltem Peregrinorum decorantur, quoniam omnes eodem *moraliter* loco, uti ex Evangelio Missæ deducitur, a prætereunte Domino ad suum discipulatum sunt acciti.

5. Alter Tractus, præsertim si mutetur Offertorium: «*Eccli. II. 18.* Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. ℣. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. ℣. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.»

6. Textus pro Graduali, aut versiculis pro Temp. Pasch.: «Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini. ℣. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: et alta a longe cognoscit. *Ps. CXXXVII. 5.*»

7. Alius textus ad conficiendum Offertorium: «Stupor apprehendit omnes, et repleti sunt timore, et magnificabant Deum, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. *Luc. V. 26.*»

8. «Addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israël exsultabunt. *Isai. XXIX. 19.*»

9. «Et nunc Domine sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. *Dan. III. 41.*»

## CXXX.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

## Decimo. — AD ORAS LACUS UBI CHRISTUS LIBERAVIT A DEMERSU PETRUM SUPER FLUCTUS AMBULANTEM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Isai. XLI. 13.*

Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

**Ps.** *LXXVI. 2.* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui beatum Petrum super undas maris incolumem deambulare fecisti: auge, quæsumus, sperantium fidem; ut qui venire ad te cupimus, ipso intercedente, ab omnibus in via periculis eruamur: Qui vivis.

℣ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

ORATIO.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXXIV. 13.*

Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum, et liberatus sum gratia Dei. Spiritus ti-

mentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis et justitiæ.

**Graduale.** *Ps. XVII. 7.* In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. ℣. Misit Dominus de summo, et accepit me: et assumpsit me de aquis multis.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XC. 15.* Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, dicit Dominus: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Isai. XLIII. 1.* Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. ℣. Cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te. ℣. Hæc dicit Dominus qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLIII. 7.* Domine, emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis. Alleluja. ℣. *Isai. LVIII. 9.* Invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum.

*Cap. XIV. 22.*

In illo tempore: Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit: et cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum; et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

**Offertorium.** *Isai. XXX. 19.* Dominus miserebitur tui: ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. Alleluja.

SECRETA.

Deus, qui beatum Petrum ad te venire cupientem, incedere super aquas indulges: da nobis amorem ejus ita æmulari; ut actionem divinam inituri, a te super omnem peccati gravedinem et sæculi tumultum allevemur: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Isai. LIX. 1.* Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beati Petri clamorem inter fluctus periclitantis audire dignatus es: concede nobis, hujus virtute mysterii; ut qui virium nostrarum agnoscimus parvitatem, ad præsidii tui fiduciam in tentationibus erigamur: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratia Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, in peregrinorum maxime usum effecta, tunc Sanctum Petrum solummodo considerat, cum super mare ambulans et prope mergendus, per Dominum a periculo liberatur. Ipsi autem ex more additur commemoratio Sancti Pauli.

2. Alii Psalmi ad Introitum: « I°. *Ps. XXXIII. 2.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. II°. *Ps. LXIX. 2.* Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina. »

3. Epistola confici etiam valet e textu II. Lect. in I. Nocturno de Communi Confessoris non Pontificis II. loco.

4. Alter Tractus: « *Ps. CXIV. 1.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. ℣. Tribulationem, et dolorem inveni: et nomen Domini invocavi. ℣. O Domine libera animam meam: misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. »

5. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: « Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. ℣. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. *Ps. XVI. 6.* »

6. « Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. ℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. ℣. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Ps. LXVIII. 1.* »

7. « Tenuisti Domine manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. *Ps. LXXII. 24.* »

8. « Confortavi te, dicit Dominus, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei. *Isai. XLI. 10.* »

9. « Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum. *Isai. LI. 15.* »

10. « Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi, Perii: invocavi nomen tuum, Domine. *Thr. III. 54.* »

## CXXXI.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

**Undecimo.** — AD ORAS LACUS UBI CHRISTUS SUPER AQUAS INCEDENS DISCIPULIS CONTRARIUM VENTUM SEDAVIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Job. IX. 8.*

Dominus graditur super fluctus maris: qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.

**Ps.** *VIII. 2.* Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui discipulos contrariis diu ventis agitatos, ambulans supra mare benignus tandem allevasti: da nobis illorum factis erudiri; ut auxilium a te patienter in angustiis nostris exspectantes, in tua plenius visitatione consolemur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XXIV. 1.*

Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

**Graduale.** *Ps. CVI. 21.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. ℣. Et statuit procellam maris in auram: et siluerunt fluctus ejus.

Alleluja, alleluja. ℣. *Sap. XIV. 3.* Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXXIII. 16.* Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos:

et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. ℣. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLVIII. 7.* Laudate Dominum de terra: nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Alleluja. ℣. *Matth. XIV. 33.* Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt Jesum, dicentes: Vere Filius Dei es. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. VI. 45.*

In illo tempore: Coëgit Jesus discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: et volebat præterire eos. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant.

**Offertorium.** *Isai. LXV. 24.* Antequam clament electi mei, dicit Dominus, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Alleluja.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui ascendens in naviculam discipulorum, illico ventus impetum mitigasti: da quæsumus, eorumdem intercessione; ut omnibus, qui per amoris Sacramenta te suscipere veniunt, mox universa hostium bella sopiantur: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. LXXVI. 20.* Domine, in mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.

POSTCOMMUNIO.

Amoris tui munera, Domine Jesu Christe, intercedentibus Apostolis, majus tui desiderium et continuam nobis memoriam infundant: ut vel ipsæ tentationes, quibus inimici a te nos separare moliuntur, ad virtutis ac præmiorum augmenta resultent: Qui vivis.

℟ *A Sacerdotibus legi etiam potest Epistola, quæ in Missa sub num. CXXI. pag. 182. invenitur.*

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hac Missa, in honorem Christi ejusque discipulorum simul adhibenda, clauditur numerus illarum, quæ apud civitatem et mare Tiberiadis assignantur; in quibus non temporis, sed Locorum ratio habita fuit, ita tamen ut hoc XVI. Caput mysteriis medium lacum respicientibus inceptum completumque fuerit.

2. Alter Tractus: « *Ps. CVI. 28.* Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos. ℣. Et statuit procellam maris in auram: et siluerunt fluctus ejus. ℣. Et lætati sunt, quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum. »

3. Si Tractus in superiori nota propositus eligatur, secundus versiculus Gradualis, inter alios, esse posset: « Misit verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum. *Ps. CVI. 20.* »

4. Alter versus pro Temp. Pasch. esse posset: « Quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. *Eccli. XXXIX. 23.* »

5. Evangelium desumi posset etiam e Joannis *Cap. VI. 15–21.*, vel exinde Introitus saltem sic confici: « *Joann. VI. 19.* Discipuli vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt; ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. *Ps. CVI. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. »

6. In hac Missa, licet etiam ad Apostolos referenda, Præfatio de Nativitate Domini præscribitur, eo quod testimonia propius Christum spectent, qui super mare ambulavit, discipulis ventum contrarium sedavit, ipsosque ad locum quo tendebant, statim fecit pervenire.

7. Multi alii textus sumi valent e Missa sub num. CXXI. pag. 182., ac præcedenti; et tamen ex prima solum sub num. CXXX. pag. 197. unicus textus sumptus est ad evitandas repetitiones, quibus effugiendis et omissus fuit in hac Missa Tractus pulcherrimus in num. 2. harum notarum exhibitus.

8. « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. *Ps. XXX. 25.* »

9. « Venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum: quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus. *Ps. LXXXV. 9.* »

10. « Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus: increpans mare, et exsiccans illud. *Nah. I. 3.* »

# CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

## CXXXII.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Primo. — IN DOMO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ PŒNITENTIS APUD CASTELLUM MAGDALUM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CII. 2.*

Noli oblivisci omnes retributiones Domini: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

**Ps.** *Ibid. 1.* Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Largire, clementissime Jesu: ut beata Maria Magdalena, quæ te super omnia diligendo, suorum accepit veniam delictorum; pœnitentiæ salutaris donum nobis obtineat: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. III. 2. et VIII. 6.*

Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

**Graduale.** *Ps. XXXVIII. 13.* Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. ℣. *Ps. XXIV. 18.* Vide humilitatem meam, et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.

Alleluja, alleluja. ℣. *Isai. XLIV. 22.* Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua, dicit Dominus: revertere ad me, quoniam redemi te. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. VI. 9.* Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. ℣. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. ℣. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, et erubescant valde velociter.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Cant. I. 11.* Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. Alleluja. ℣. *Cant. VII. 10.* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. VII. 36.*

In illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic, si esset Propheta, sciret utique, quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

Respondens Simon, dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

**Offertorium.** *Isai. XLIII. 25.* Ego sum, ego Dominus sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Alleluja.

SECRETA.

Munera nostra, quæsumus Domine, beatæ Mariæ Magdalenæ gloriosis meritis tibi evadant accepta: cujus oblationis obsequium unigenitus Filius tuus clementer suscepit impensum: Qui tecum.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Jer. XXXI. 16.* Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus.

POSTCOMMUNIO.

Profusis, Domine, sanctæ Mariæ Magdalenæ lacrymis duritiem nostri cordis emollias: ut per hujus virtutem Sacramenti, debitas reatibus flammas incessanti fletu exstinguamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc ad recolendam Mariæ Magdalenæ conversionem effecta, non ideo Sanctuario apud Castellum Magdalum tribuitur, quod ibi putetur contigisse factum; sed quoniam omnino decebat, ut istud etiam mysterium hic saltem celebraretur, postquam alia ejusdem Sanctæ gesta propriis fuerant Locis per Missam peculiarem honorata.

2. Missa, quæ sub die XXII. Julii in Romano exhibetur, præter Epistolam et Evangelium, posset alios quoque textus mutuare. Missa item de Sancta Margarita Cortonensi e Proprio Minorum die XXII. Februarii, necnon quæ in hoc opere sub num. XLVI. pag. 64., et infra de Sancto Matthæo Apostolo apponuntur, plura testimonia habent huic Missæ convenientia.

3. Orationes non sunt noviter effectæ, sed mutatis parum verbis, aliunde assumuntur.

4. Altera Epistola, si ad Missam in omnibus indiscriminatim Magdalenæ Sanctuariis communem reservari apposita cupiatur: «Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. Cap. XVII. 20–28.* Dominus pœnitentibus dedit viam.... Confiteberis vivens, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. Quam magna.... convertentibus ad sc!»

5. Item Epistola ex Isaia Propheta, omissis verbis quæ tribus punctis comprehensa non subintelliguntur: «Lectio Isaiæ Prophetæ. *Cap. LIV. 4–10.* Noli timere.... oblivisceris. Quia dominabitur.... vocavit te Dominus. Ad punctum.... dixit redemptor tuus Dominus. Montes.... miserator tuus Dominus.»

6. Alter Tractus: «*Ps. XXIV. 6.* Reminiscere miserationum tuarum, Domine: et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. ℣. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. ℣. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim. ℣. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.»

7. Alteri pro Temp. Pasch. versiculo hic novus posset subrogari. «Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. *Cant. IV. 9.*»

8. «Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. *Ps. XXXVII. 10.*»

9. «Recogitabo tibi, Domine, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. ℣. Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. *Isai. XXXVIII. 15.*»

10. «Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus. *Jer. XXXI. 18.*»

## CXXXIII.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Secundo. — UBI CHRISTUS SEPTEM PANES MULTIPLICAVIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Joël. II. 26.*

Comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui turbam gressus

tuos insequentem multiplicatis panibus et piscibus mire satiasti: concede nobis devotionem illius imitari; ut quærentes in primis regnum et justitiam Dei, reliqua misericorditer adjecta consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLIII. 28.*

In sermone Domini composita sunt omnia. Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam.

**Graduale.** *Ps. XXXII. 18.* Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. ℣. Ut eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXVI. 19.* Immaculati non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CVI. 8.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. ℣. Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem implevit bonis. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CV. 2.* Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Alleluja. ℣. Dedit eis Dominus petitionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. VIII. 1.*

In illo tempore: Iterum cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos: et ipsos benedixit, et jussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia: et dimisit eos.

**Offertorium.** *Ps. CXLIV. 15.* Oculi omnium in te sperant Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno.

SECRETA.

Deus, qui famelicis te sequentium turbis escam in deserto multiplicasti: concede propitius; ut Ecclesiæ filiis, a criminum sorde mundatis, alimonia mensæ cœlestis exsuberet: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. XXI. 27.* Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui te inquirentes nullo minui bono permittis: præsta, quæsumus; ut qui per hæc Sacramenta tibi adhæserunt, multiplicatis benedictionibus impleantur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa ad recolendam Christi Jesu memoriam inducitur pro Loco, ubi ipse Dominus, septem panibus paucisque pisciculis prodigiose multiplicatis, quatuor hominum millia satiavit.

2. Epistola sic etiam confici posset: «Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. Cap. XLII. 17-24.* Nonne Dominus .... obaudiunt ei.»

3. In Evangelio Mattæi *Cap. XV. 32-38.* hæc eadem panum multiplicatio diversimode narratur, et inde etiam testimonia Missæ accipi valerent.

4. Alia testimonia inveniri abunde possunt in Missa pro Loco ubi Christus quinque panes multiplicavit inferius edenda, necnon in Missis sub num. et pag. LXXXVII. 127., XCIX. 147., CXXIV. 187., atque in omnibus Missis quæ de miraculis quomodocumque pertractant.

5. « Videant pauperes, et lætentur: quærite Deum, et vivet anima vestra. *Ps. LXVIII. 33.* »

6. « Dominus dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia ejus. *Ps. CXXXV. 25.* »

7. « Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: qui dat escam esurientibus. *Ps. CXLV. 5.* »

8. « Non affliget Dominus fame animam justi. *Prov. X. 3.* »

9. « His, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem. *Isai. XXIII. 18.* »

10. « Inebriavi animam lassam, dicit Dominus, et omnem animam esurientem saturavi. *Jer. XXXI. 25.* »

---

## CXXXIV.

### RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Tertio. — IN MONTE UBI CHRISTUS APOSTOLOS ELEGIT.

*MISSA DE UNOQUOLIBET EX UNDECIM.*

℣ *In Orationibus ad litteram* N. *exprimendum est nomen illius ex undecim Apostolis, de quo Sacerdos Missam celebrare statuit.*

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XLV. 20.*

Dominus ipsum elegit, et dedit illi in præceptis suis potestatem, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israël.

**Ps.** *CXI. 1.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatum *N.* ad prædicandam verbis et signis gloriam tuam, Apostolum destinasti: ejus nos intercessione confirma: ut Evangelii semine, contra adversantium nisus, multiplicatum in omnibus fructum operemur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLV. 1.*

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius, sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israël.

**Graduale.** *Eccli. XV. 4.* Dominus exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus. ℣. *Joann. VII. 18.* Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est.

Alleluja, alleluja. ℣. *I. Cor. II. 4.* Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXX. 14.* Ego autem semper sperabo: et adjiciam, Domine, super omnem laudem tuam. ℣. Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. ℣. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

℣ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:*

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. VIII. 6.* Gloria et honore coronasti eum Domine: et constituisti eum super opera manuum tuarum. Alleluja. ℣. *Joann. XIII. 20.* Qui accipit si quem misero, ait Dominus, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. III. 13.*

In illo tempore: Ascendens Jesus in montem, vocavit ad se quos voluit ipse: et venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus: et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui: et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thaddæum, et Simonem Chananæum, et Judam Iscariotem, qui et

tradidit illum. Et veniunt ad domum: et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

**Offertorium.** *Eph. III. 7.* Evangelii factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus.

SECRETA.

Merita Apostoli tui *N.*, cui Domine Jesu omnem languorem sanare tribuisti, nos a peccatis emundent: ut dona, quæ pro ejus electione tibi deferimus, in nostram tutelam excipias et salutem: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *II. Cor. XII. 12.* Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui beato *N.*, in Apostolorum sortem electo, virtutes tuas operari concedis: eamdem nobis exhibe misericordiam; ut qui nostram in edendis vitæ fructibus profitemur infirmitatem, divinum e sacramentali communicatione robur accipiamus: Qui vivis.

℣ *Si Missa in honorem dicatur Sancti Petri, agitur commemoratio de coapostolo ejus Paulo, ut in Missa sub num. CXXX. pag. 197.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa edita superius, quæ testimoniis singulari numero prolatis vocationem discipulorum ad munus Apostolicum considerat, indifferenter unicuilibet eorum, mutatis solum nominibus, potest appropriari.

2. Antiphona ad conficiendum alterum Introitum: «*Ezech. XXXIII. 7.* Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, dicit Dominus: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me.»

3. Initium Gradualis sic efformari valet: «Manifestavit autem Deus temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei. *Tit. I. 3.*»

4. Alter Tractus: «*Ps. LXXXVIII. 20.* Domine dixisti: Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea. ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum. ℣. Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.»

5. Missa, quæ pro Vigilia unius Apostoli in Communi Sanctorum exhibetur, plures habet textus huic mysterio accommodatos, et maxime Introitum atque Epistolam.

6. Alia testimonia inveniri possent in Missis sub num. et pag. CXXV-CXXIX. 189-195; necnon in Missis ad Vigiliam et Festum uniuscujusque Apostoli apud Missale Romanum exhibitis, quæ etiam subrogari editæ queunt, et tantum assumi Evangelium huic mysterio proprium.

7. «Et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. *II. Par. I. 1.*»

8. «Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? ℣. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem. ℣. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. *Ps. CXII. 5.*»

9. «Oculus Dei respexit illum in bono, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. *Eccli. XI. 13.*»

## CXXXV.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Quarto. — IN MONTE UBI CHRISTUS APOSTOLOS ELEGIT.

*MISSA OMNIBUS UNDECIM COMMUNIS.*

AD MISSAM.

**Introitus.** *Num. XVI. 5.*

Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et Sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei.

**Ps.** *XXXII. 1.* Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui cœleste consilium exsecuturus, duodecim e te sequentium numero Apostolos aggregasti: da pius, illorum intercessione: ut a mundanis affectibus remoti, divinam in nobis voluntatem fructuose impleamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

*Cap. I. 3.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sic-

ut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ: ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.

**Graduale.** *Num. XVI. 9.* Separavit vos Deus Israël ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei. ℣. *I. Petr. II. 9.* Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XVII. 17.* Sermo tuus, Pater, veritas est, dicit Dominus: sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum, quos dedisti mihi. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Joann. XV. 15.* Vos autem dixi amicos, ait Dominus: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. ℣. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat. ℣. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *II. Thess. II. 12.* Elegit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis. Alleluja. ℣. *Ps. XLIV. 17.* Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. VI. 12.*

In illo tempore: Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit) Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum, Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi, et Simonem qui vocatur Zelotes, et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem qui fuit proditor. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

**Offertorium.** *Luc. IX. 1.* Convocatis autem Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent: et misit illos prædicare regnum Dei.

SECRETA.

Deus, qui Apostolos ad ministerium electurus, in oratione per noctem vigilasti: concede propitius; ut qui divinas hostias tibi in salutem mundi sacrificare jubemur, eorum suffragiis, ad tantum opus digne instruamur: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *II. Cor. V. 19.* Deus posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Auxilia cœlestis mensæ, quæsumus Domine, intercedentibus Apostolis tuis, nos in divina messe operarios dignos efficiant: ut non minus opere quam verbis, evangelicam inter homines doctrinam propagare valeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Super montem, in quo Dominus postquam in oratione Dei pernoctasset, e discipulorum frequentia duodecim elegit ad Apostolatum, duæ juxta consuetudinem assignantur Missæ: prior, addito nomine proprio alicujus Apostoli prouti Sacerdoti libuerit, unumquemlibet ex undecim singillatim considerat; posterior, autem in qua testimonia numero plurali efferuntur, omnes simul acceptos Apostolos comprehendit.

2. Epistola, præterquam quod sumi licet e duabus Missis sub num. 5. harum notarum indicatis, sic etiam effici valet: «Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap. II. 13-22.* Fratres: Vos, qui aliquando eratis.... Dei in Spiritu.»

3. Secundus versus Gradualis hoc altero textu subrogari posset: «Quapropter magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. *II. Petri I. 10.*»

4. Tractus sic etiam efformari valet, maxime si versus ad *Alleluja* post Graduale permutetur: «*Joann. XVII. 11.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, dicit Jesus. ℣. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. ℣. Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate.»

5. Alia testimonia inveniri queunt in Missis ad plures simul Sanctos pertinentibus, et præsertim in Missis sub num. et pag. CVI. 158., atque CXXIX. 195.

6. «Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. *Ps. CXXXVIII. 17.*»

7. «Qui recipit vos, me recipit, ait Dominus: et qui me recipit, recipit eum qui me misit. *Matth. X. 40.*»

8. «Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est? dicebat autem Jesus Judam Simonis Iscariotem. *Joann. VI. 71.*»

9. «Non est servus major domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum. ℣. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea, quæ dico vobis. ℣. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim. *Joann. XIII. 16.*»

10. «Per Christum accepimus gratiam et Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus. *Rom. I. 5.*»

---

# CXXXVI.

## RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

## Quinto. — UBI CHRISTUS EVANGELICAS BEATITUDINES PRÆDICAVIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Jer. VII. 23.*

Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus: et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.

**Ps.** *CXXVII. 1.* Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Deus, fac nos stultam hujus sæculi dediscere sapientiam: ut documenta Filii tui pio suscipientes auditu, veram beatitudinem assequamur. Per eumdem.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. VIII. 1.*

Numquid non Sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum; recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam, doctrinam magis, quam aurum eligite. Nunc ergo filii audite me: Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

**Graduale.** *Eccli. L. 30.* Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. ℣. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei, vestigium ejus est.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCIII. 12.* Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: et de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malis. Alleluja.

℟. *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVIII. 1.* Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. ℣. Beati, qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum. ℣. Declaratio sermonum tuorum, Domine, illuminat: et intellectum dat parvulis. ℣. Pax multa diligentibus legem tuam: et non est illis scandalum.

℟. *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XIII. 17.* Si hæc scitis quæ ego Dominus dico vobis: beati eritis, si feceritis ea. Alleluja. ℣. *Ps. XXXIX. 5.* Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: et non respexit in vanitates et insanias falsas. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. V. 1.*

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

**Offertorium.** *Ps. CV. 3.* Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. Alleluja.

SECRETA.

Concede, misericors Deus, esurientibus et sitientibus justitiam tuam: ut mundo corde ad paratam mensam accedere, ac per Filium tuum digne saturari mereantur: Qui tecum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Bar. IV. 4.* Beati sumus, Israël: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui discipulos tuos ad cœlestem hanc refectionem pascis, et instruis: doce nos per sancta, quæ sumpsimus; et mundi sensum abnegare, et quæ sempiternam conciliant beatitudinem firma mente requirere: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc ad illam Dominici in Monte sermonis recolendam partem inducitur, in qua Jesus evangelicas beatitudines voluit discipulos suos edocere.

2. Hoc in opere, ad præsentem Missam conficiendam, sententiæ illorum adhæsum est, qui sermonem Domini *Cap. V–VII.* in Evangelio Matthæi relatum apte probant non alium esse a sermone, qui *Cap. VI. 17–49.* in Evangelio Lucæ continetur, quique non procul a Capharnaum fuisse habitus, verbis sequentibus, quæ initio *Cap. VII. 1.* occurrunt, videtur insinuari: «Cum autem implesset [Jesus] omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.»

3. Hinc Evangelium apte sumeretur etiam e Missa *Sapientiam,* quam Missale Romanum pluribus Martyribus secundo loco per annum assignat.

4. Alteri pro Temp. Pasch. versiculo, hic posset subrogari: «Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. *III. Reg. X. 8.*»

5. Alia testimonia inveniri queunt in Missa sub num. CXXXVIII. pag. 210. inferius apponenda.

6. «Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua. *Tob. XIII. 18.*»

7. «Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. *Ps. CXLIII. 15.*»

8. «Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius. *Ps. CXLV. 5.*»

9. «Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. *Mal. III. 12.*»

## CXXXVII.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Sexto. — UBI CHRISTUS ORATIONIS DOMINICÆ FORMAM EDOCUIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Jer. XXIX. 12.*

Orabitis me, et ego exaudiam vos, ait Dominus: quæretis me, et invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro.

**Ps.** *CXXXV. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui discipulis tuis mirabilem precandi formam tradere dignatus

es: concede propitius; ut per divinam Orationis istius efficaciam, omnia quæ cœlestem Patrem deposcimus, obtinere valeamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli.

*I. Cap. III. 1.*

Charissimi: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate; in hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. Et hoc est mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

**Graduale.** *Matth. VII. 7.* Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. ℣. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXI. 22.* Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Marc. XI. 24.* Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. ℣. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem. ℣. Ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *I. Joann. V. 14.* Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Alleluja. ℣. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. VI. 5.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

**Offertorium.** *Matth. VI. 33.* Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.

SECRETA.

Exaudi, Pater omnipotens, orationem quam ipse Primogenitus tuus in ore suorum ponebat fratrum: et adoptionis Filiis, panem quo ad æternam vitam aluntur, de cœlo benignus elargire. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joann. XV. 7.* Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, dicit Dominus: quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Concede fidelium votis, omnipotens Deus: ut supernam mensæ hujus dulcedinem gustantes; in fractione panis et orationibus jugiter perseverent. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc ad illam Dominici in Monte sermonis recolendam partem inseritur, in quo cœlestis omnium Magister nos miram Orationis formulam edocuit.

2. Altera Orationis Dominicæ formula, quæ paucioribus comprehensa verbis apud Lucam Evangelistam *Cap. XI. 1–10.* occurrit; videtur alia esse ab illa quæ in hac Missa recolitur. Fertur siquidem posterior Dominicalis Oratio per Lucam enarrata, a Christo denuo Hierosolymis fuisse tradita super Montem Oliveti, ubi et fideles ejus locum ex traditione indicatum apud Moniales Carmelitas hucusque venerantur.

3. Altera Introitus antiphona cum suo Psalmo: « *Ps. CXLIV. 19.* Dominus voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos. *Ps. Ibid. 1.* Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. »

4. « Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum. *Ps. XXXIII. 16.* »

5. « Dominus respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum. *Ps. CI. 18.* »

6. « Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus. *Sap. XII. 13.* »

7. « Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, et fecit nobiscum secundum suam misericordiam. *Eccli. L. 24.* »

8. « Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joann. XVI. 23.* »

9. « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. *Rom. VIII. 15.* »

10. « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. *Gal. IV. 6.* »

## CXXXVIII.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Septimo. — UBI CHRISTUS AD TURBAS IN MONTE SERMONEM HABUIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Jer. XI. 4.*

Audite vocem meam, et facite omnia, quæ præcipio vobis: et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.

**Ps.** *LXXVII. 1.* Attendite, populo meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, qui per Filium tuum Unigenitum nova hominibus jussa promulgasti: concede orationi nostræ; ut ipsum audire et sequi gestiamus, quem nobis viam, veritatem, et vitam esse profitemur: Qui tecum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LV. 1.*

Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: et Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israël, quia glorificavit te.

**Graduale.** *Ps. XXXIII. 12.* Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. ℣. *Eccli. XXIV. 44.* Quoniam doctrinam, quasi antelucanum, illumino omnibus: et enarrabo illam usque ad longinquum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Mich. IV. 2.* Venite, ascendamus ad montem Domini: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XLVIII. 2.* Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. ℣. Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives et pauper. ℣. Os meum loquetur sapientiam: et meditatio cordis mei prudentiam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Joann. XIII. 13.* Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis: sum etenim. Alleluja. ℣. *Joann. VI. 45.* Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. VII. 21.*

In illo tempore: Docebat Jesus discipulos suos dicens: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. Et factum est: cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.

**Offertorium.** *Sap. VIII. 10.* Habebo propter sapientiam, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis: tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui summam totius Legis in Dei et proximi amore collocasti: da, quæsumus; ut omnes, qui ad Altare munus nostrum offerimus, tibi in sanctæ unionis vinculo sociati, placeamus: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joël. II. 23.* Filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem justitiæ. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Præceptor omnium et Dux, amantissime Jesu, per hæc mysteria mentem nostram illumina, et pectus inflamma: ut non solum verba tua quæramus audire, sed etiam illa possimus te adjuvante perficere: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In monte illo sacratissimo, ubi Christus Dominus novam Gratiæ Legem suo ad turbas sermone promulgavit, tres pro numero præcipuarum mysterii partium, celebrandæ assignantur Missæ: prima Beatitudines evangelicas; secunda Orationis Dominicæ formam; ac tertia, quæ superius editur, Jesu Prædicationem generice considerat.

2. Altera Introitus antiphona: «*Jer. XXXI. 33.* Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.»

3. Textus sequentes secundum Gradualis versiculum efficere possent: «I°. Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris. *Joann. VII. 16.* II°. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. *Joann. VIII. 51.*»

4. Alterum Offertorium: «Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. *Deut. XXXII. 2.*»

5. Alia testimonia inveniri queunt in Missa sub num. CXXXVI. pag. 207., cujus præsertim Epistola hic pro secundo loco optime adjungi valet.

6. «Dominus diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas. *Ps. XXIV. 9.*»

7. «Declaratio sermonum tuorum, Domine, illuminat: et intellectum dat parvulis. *Ps. CXVIII. 130.*»

8. «Ponam universos filios tuos doctos a Domino; et multitudinem pacis filiis tuis, ait Dominus. *Isai. LIV. 13.*»

9. «Ne vocemini Magistri: quia Magister vester unus est, Christus. *Matth. XXIII. 10.*»

10. «Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde. *Luc. IV. 18.*»

## CXXXIX.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Octavo. — UBI CHRISTUS QUINQUE PANES MULTIPLICAVIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. CXLIV. 15.*

Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno.

**Ps.** *Ibid. 1.* Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui turbarum devotione oblectatus, copiosam ipsis alimoniam mire suffecisti: da nobis illas fide æmulari; ut omni rerum in te sollicitudine projecta, audiendis implendisque verbis tuis attendamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLII. 17.*

Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? Abyssum, et cor hominum investigavit: et in astutia eorum excogitavit. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum et usque in sæculum, neque adjectum est, neque minuitur, et non eget alicujus consilio. Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tamquam scintilla, quæ est considerare! Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

**Graduale.** *Ps. XXXIII. 11.* Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. ℣. *Ps. LXVIII. 33.* Videant pauperes, et lætentur: quærite Deum, et vivet anima vestra.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. XXXI. 25.* Inebriavi animam lassam, dicit Dominus: et omnem animam esurientem saturavi. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CVI. 5.* Esurientes, et sitientes in solitudine: anima eorum in ipsis defecit. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXVII. 20.* Deus panem dedit in deserto: paravit mensam populo suo. Alleluja. ℣. *Ps. CXXXV. 25.* Dominus dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia ejus. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IX. 10.*

In illo tempore: Assumptis Jesus Apostolis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces: nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. Et ita fecerunt: et discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cœlum, et benedixit illis: et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

**Offertorium.** *Ps. LXXVII. 29.* Manducaverunt, et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis Dominus.

SECRETA.

Deus, qui per ministerium nostrum voluisti Ecclesiæ filiis cibaria vitæ distribui: benedic, quæsumus, dona Altaribus tuis imposita; et illa devote sumentes cœlesti semper virtute restaura. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CX. 4.* Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui in mira panum ac piscium multiplicatione ostendisti neminem a te jejunum dimitti: effice propitius; ut quibus cœlestis gratiæ impertiris alimentum, et omnis terrestrium bonorum hinc fames exstinguatur: Qui vivis.

℟ *Item alia Epistola, ad libitum Sacerdotis loco alterius jam positæ recitanda.*

Lectio libri Regum.

*IV. Reg. Cap. IV. 42.*

In diebus illis: Vir quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei Elisæo panes primi-

tiarum, viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat. Responditque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, et supererit. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc, varietatis causa et ob materiæ abundantiam, propriis omnino textibus ad recolendam quinque panum duorumque piscium multiplicationem efficitur; quamvis, propter nimiam mysteriorum similitudinem, excepto Evangelio, iis etiam testimoniis efformari posset, quæ in Missa sub num. CXXXIII. pag. 202. adhibentur.

2. Alter Introitus: «*Ps. CV. 15.* Dominus dedit eis petitionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum. *Ps. Ibid. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.»

3. Textus sequens, inter alios, ad substituendum secundum Gradualis versum inservit: «Dominus esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes. *Luc. I. 53.*»

4. Multa quoque testimonia inveniri possunt in Missis earumque notis et additionibus, quæ jam sub num. et pag. LXXXVII. 127., XCIX. 147., CXXIV. 187. edebantur; et ad alias Missas, ubi agitur generatim de Jesu miraculis. Recurri etiam licet ad Evangelia Matthæi *XIV. 13–21.*, Marci *VI. 31–44.*, et Joannis *VI. 1–26.*; in quibus unum idemque enarratur factum, sed talibus adjunctis sociatum, ut non una sit Commentatorum sententia utrum *citra* aut *ultra* mare Tiberiadis illud evenerit.

5. «Nolite timere: state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. *Exod. XIV. 13.*»

6. «Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut. VIII. 3.*»

7. «Ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem. *I. Reg. XXX. 16.*»

8. «Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isai. I. 19.*»

9. «Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. *Isai. LV. 2.*»

10. «Mittam famem in terram, dicit Dominus: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. *Am. VIII. 11.*»

## CXL.

### RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Nono. — AD LOCUM UBI JESUS MATTHÆUM APOSTOLUM AD SEQUELAM SUAM INVITAVIT.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXII. 3.*

Dominus animam meam convertit: deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

**Ps.** *Ibid. 1.* Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui superna invitatione Matthæum e peccatorum semita in tui sequelam perduxisti: da nobis illius meritis et exemplo; ut voces gratiæ fideliter audientes, gressus nostros in viam justitiæ convertamus: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XVII. 20.*

Dominus pœnitentibus dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua; precare ante faciem Domini, et minue offendicula. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito exsecrationem: et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis Altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius, convertentibus ad se!

**Graduale.** *Ps. CXVIII. 58.* Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei, Domine, secundum eloquium tuum. ℣. Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXV. 11.* Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIV. 5.* Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus Salvator meus. ℣. Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine. ℣. Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Mich. VI. 8.* Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Allĕluja. ℣. Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. IX. 9.*

In illo tempore: Cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

**Offertorium.** *Os. XII. 6.* Et tu ad Deum tuum converteris: misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. Alleluja.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui cum beato Matthæo ad meliora converso recumbere ad cœnam dignatus es: concede nobis, ipso interveniente; ut pœnitentiæ lacrymis abluti, ad paratam cœlitus mensam sancte assidamus: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Os. VI. 6.* Misericordiam volui, et non sacrificium, ait Dominus; et scientiam Dei, plus quam holocausta.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui male habentibus cœlestem in hac mensa medicinam reliquisti: da quæsumus, per admirandam Matthæi conversionem; ut peccatores hisce remediis a morbis animi convalescere, et in accepta valeant salute permanere. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens ad conversionem Matthæi celebrandam inseritur, qui ad vocem transeuntis Domini, telonium et pristinum vitæ morem pro divina sequela dereliquit; quæ omnia veram fuisse conversionem, e Lectionibus de Homilia sub die XX. et XXI. Septembris eidem Apostolo assignatis comprobatur.

2. Vocatio Matthæi describitur etiam in Evangeliis Marci *II. 13-17.*, et Lucæ *V. 27-32.*, quæ idcirco textus aliquos suppeditare possent.

3. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale, inter alias rationes, ita etiam efformari posset: « Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. *Ps. LXXVI. 11.* »

4. Alia testimonia inveniri fas est ad Missas de Vocatione aliorum Apostolorum sub num. et pag. CXXV-CXXIX. 189-195. jam relatas; necnon ex parte ad Missam sub num. CXXXII. pag. 201. appositam.

5. « Convertimini itaque peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum secundum misericordiam suam. ℣. Ego autem, et anima mea in eo lætabimur. *Tob. XIII. 8.* »

6. « Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei. ℣. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. *Ps. XXXI. 5.* »

7. « Venite, audite, et narrabo, qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. *Ps. LXV. 16.* »

8. « Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me. ℣. Et tu Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax. *Ps. LXXXV. 12.* »

9. « Miserator, et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors. *Ps. CII. 8.* »

10. « Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. *Luc. XIX. 10.* »

# CXLI.

## RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

## Decimo. — IN SYNAGOGA CAPHARNAUM UBI CHRISTUS PRÆDOCUIT SANCTUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Joann. VI. 27.*

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.

**Ps.** *CXLIX. 1.* Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui ut discipulis æterni amoris signum ostenderes, corpus et sanguinem tuum in cibum potumque eisdem asseveranter promisisti: concede nobis istius muneris sic excellentiam agnoscere; ut dignis actibus ipsum accipientes, uberrimum inde fructum consequamur: Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

*Prov. Cap. VIII. 31. et IX. 1.*

Ego Sapientia cum Domino eram, ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me: Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ.

**Graduale.** *Isai. LV. 2.* Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. ℣. *Cant. V. 1.* Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXX. 20.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine: quam abscondisti timentibus te! Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CX. 2.* Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus. ℣. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. ℣. Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXIV. 25.* In me gratia omnis viæ, et veritatis: in me omnis spes vitæ, et virtutis. Alleluja. ℣. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. VI. 48.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea, vere est cibus; et sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis,

qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens, in Capharnaum.

**Offertorium.** *Soph. I. 7.* Silete a facie Domini Dei: quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.

SECRETA.

Concede nobis, omnipotens Deus, panem illum cœlestem et supersubstantialem, quem Unigenitus tuus discipulis repromisit: ut quorum corda ad immortalem vitam indesinenter anhelant, super divinam mensam pignus æternitatis accipiamus. Per eumdem.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Luc. XXII. 29.* Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, cujus Unigenitum verba æternæ vitæ habere cognoscimus: concede nobis ita documentis ejus inhærere: ut Corpus et Sanguinem suum in fide sumentes, Ille in nobis maneat, et nos in Ipso maneamus: Qui tecum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Inter altiores Christi prædicationes, specialem prorsus obtinet locum sermo in Synagoga Capharnaum habitus, in quo Redemptor hominum amantissimus Corpus et Sanguinem suum discipulis in cibum potumque repromisit; cujus idcirco sponsionis memoria, ad Locum ubi facta est, per hanc peculiarem celebrari Missam omnino digna videbatur.

2. Post antiphonam Introitus subdi possent etiam hi Psalmi: «I°. *Ps. LXXX. 2.* Exsultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob. II°. *Ps. CVI. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.»

3. Secundus versiculus Gradualis assumi posset e loco, unde primus; nempe: «Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum. *Isai. LV. 3.*»

4. Alter Tractus: «*Joann. VI. 32.* Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. ℣. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. ℣. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam.»

5. Hic textus ad conficiendum inservit alterum Offertorium: «Quid bonum Domini est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Alleluja. *Zach. IX. 17.*»

6. Alia testimonia sumi possent ex Officio et Missa in Festo Sanctissimi Corporis Christi, ubi et Evangelium editæ nuper Missæ ex parte assignatur; necnon partim e Missis sub num. et pag. CXXXIII. 202., et CXXXIX. 211.

7. «Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. ℣. Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum. ℣. Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. *Ps. XXXIII. 9.*»

8. «Et justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia. *Ps. LXVII. 4.*»

9. «Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. *Luc. XIV. 15.*»

10. «Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Apoc. XIX. 9.*»

## CXLII.

### RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Undecimo. — IN DOMO UBI CHRISTUS SOCRUM SIMONIS PETRI MAGNIS LABORANTEM FEBRIBUS SANAVIT.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XL. 4.*

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

**Ps.** *XCVII. 1.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Simonis socrum magnis laborantem febribus, ad salutem revocasti: eadem nobis miseratione concede; ut per dexteram tuam a vitiorum æstu liberati, tibi in perfecta animæ sanitate famulemur: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LVIII. 7.*

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris

nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

**Graduale.** *Ps. LXXII. 24.* Tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. ℣. *Ps. XXIX. 3.* Domine Deus meus, clamavi ad te: et sanasti me.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LIV. 17.* Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVII. 14.* Fortitudo mea, et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem. ℣. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. ℣. Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XVII. 36.* Dedisti mihi Deus protectionem salutis tuæ: et dextera tua suscepit me. Alleluja. ℣. *Ps. CXVII. 21.* Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. IV. 38.*

In illo tempore: Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri: et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille, singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum.

**Offertorium.** *Ps. XLIX. 15.* Invoca me in die tribulationis, dicit Dominus: eruam te, et honorificabis me. Alleluja.

SECRETA.

Libera, quæsumus Domine, famulos tuos ab omni prævarum ardore cupiditatum: ut supernam hujus mensæ dulcedinem plenius gustare valeamus. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Joann. XI. 4.* Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

POSTCOMMUNIO.

Medicinalis virtus Sacramenti, Domine Deus, integram nobis sanitatem adducat: et contra futuros languores præservativam conferat efficaciam. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missæ hujus testimonia plus minusve directe ad Christum referuntur, qui socrum Simonis Petri magnis afflictam febribus, protinus reduxit ad salutem.

2. Post Introitum non subditur Initium *Ps. XL. 2.*, unde sumpta fuit antiphona, sed ut omnia congruentius Mysterio respondeant, Psalmus *XCVII. 1.* assignatur; quod in multis quoque Missalis Romani locis similiter fieri, jam num. 2. notarum et additionum ad Missam LXXVI. pag. 110. indicatum fuerat.

3. Antiphona Introitus, retento Psalmo *XCVII. 1.* superius assignato, verbis etiam sequentibus posset efformari: «*Isai. LIX. 1.* Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.»

4. In Epistolæ decursu convenienter omissa sunt verba: «si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest.» Assumi etiam licet Epistola, ad Missam sub num. CX. pag. 165. apposita, quæ verbis talibus efficitur, ut cunctis Jesu miraculis accommodari possit.

5. Prior pro Temp. Pasch. versiculus hoc altero textu subrogari valet: «Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. *Ps. CXVII. 28.*»

6. Evangelium Lucæ in Missa usque ad finem Capitis *IV. 44.* produci non incongrue posset.

7. «Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas, dicit Dominus: et ecce sanavi te. *IV. Reg. XX. 5.*»

8. «Dominus exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem. *Eccli. XXXIV. 20.*»

9. «Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem. ℣. Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis. *Matth. VIII. 14.*»

# CXLIII.

## RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

## Duodecimo. — IN DOMO PETRI ET ANDREÆ AD CUJUS JANUAM CHRISTUS INFIRMOS SANAVIT ET DÆMONIA EJECIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XXXIV. 20.*

Dominus adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.

**Ps.** *CIV. 1.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annuntiate inter Gentes opera ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui doctrinam tuam firmaturus, morbos et dæmones potenter ejecisti: concede propitius; ut qui te ad humani generis salutem venisse credimus, a cunctis animi languoribus et hostium incursione liberemur: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. X. 34.*

In diebus illis: Aperiens Petrus os suum in medio plebis, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus). Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem.

**Graduale.** *Eccle. VIII. 3.* Dominus omne quod voluerit, faciet: et sermo illius potestate plenus est. ℣. *Ps. III. 9.* Domini est salus: et super populum tuum, Deus, benedictio tua.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XIII. 32.* Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, ait Jesus: et tertia die consummor. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CVI. 19.* Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos. ℣. Misit verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. VIII. 16.* Christus ejiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit. Alleluja. ℣. *Isai. LIII. 4.* Ipse infirmitates nostras accepit: et ægrotationes nostras portavit. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Cap. I. 29.*

In illo tempore: Egrediens Jesus de synagoga, venit in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: et statim dicunt ei de illa. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes: et erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

**Offertorium.** *Sap. XVI. 12.* Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.

SECRETA.

Deus, qui potentiam et misericordiam tuam signis virtutibusque super morbos ac dæmones fugandos explicasti: munera infirmitatis nostræ benignus excipe; atque ex illis gratam tibi hostiam, ac nobis salutiferum redde Sacramentum: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CV. 8.* Dominus salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Auctor salutis nostræ, Domine Jesu, qui animas et corpora sanare consuevisti: ostende, quæsumus, misericordiam tuam; ut restaurationis Sacramenta, repressis hostibus, utriusque in nobis substantiæ medelam operentur: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. In domo Apostolorum Petri et Andreæ duæ statuuntur Missæ, in honorem Domini ibi miracula super languentes et dæmoniacos patrantis, adhibendæ; quarum prior Simonis socrum magnis liberatam febribus unice considerat, posterior autem generatim omnes infirmos variis languoribus curatos et a dæmonum potestate ereptos amplectitur.

2. Alia Epistola confici valet e III. Lectione I. Nocturni in Festo Annuntiationis B. M. V. sub die XXV. Martii apposita; cujus tamen textus hic non assumitur, eo quod e tribus Evangelistis non constat num inter sanatos tunc a Domino, sint cæci, surdi, claudi et muti recensendi.

3. Alii versiculi pro Temp. Pasch.: «Dominus deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos. *Ps. CXLIV. 19.* ℣. Sequebatur Jesum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. *Joann. VI. 2.*»

4. Sequens antiphona locum Offertorii habere valet: «Perambulabat autem magis sermo de Jesu: et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et sanarentur ab infirmitatibus suis. *Luc. V. 15.*»

5. Textus insequens pro Communione usurpari posset: «Obtulerunt Jesu omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant; et curavit eos. *Matth. IV. 24.*»

6. Evangelium Missæ tributum usque ad Marci *Cap. I. 39.* non repugnaret extendi.

7. Alia testimonia inveniri possent ad Missas quæ de miraculis generice pertractant, et maxime in Evangelio Missæ præcedentis, ubi, sicuti et in libro Matthæi *Cap. VIII. 14–18.*, idem factum enarratur.

8. «Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui. *Zach. IX. 16.*»

9. «Dominus multos sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas. ℣. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei; et clamabant dicentes: Tu es filius Dei. ℣. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. *Marc. III. 10.*»

## CXLIV.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS, ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Decimotertio. — UBI CHRISTUS MIRAM PISCATIONEM PETRO MANDAVIT AD TRIBUTUM PRO UTROQUE SOLVENDUM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *II. Reg. VII. 21.*

Domine, propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo.

**Ps.** *IX. 2.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ad tributa libere hominibus solvenda, mirabilem piscationem Petro demandasti: concede nobis; ita præscientiam et magnitudinem tuam cum ipso celebrare, ut fidem atque obedientiam ejus pariter æmulemur: Qui vivis.

℣. *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

ORATIO.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

*Eccli. Cap. XLII. 15.*

Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus. Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus. Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? Abyssum, et cor hominum investigavit: et in astutia eorum excogitavit. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum et usque in sæculum, neque adjectum est, neque minuitur, et non eget alicujus consilio. Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tamquam scintilla, quæ est considerare! Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

**Graduale.** *Ps. LXXXV. 8.* Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua. ℣. *Job. XLII. 2.* Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXLVI. 5.* Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. LXXVI. 12.* Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. ℣. Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor. ℣. Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Eccli. XXXIX. 24.* Opera omnis carnis coram Domino, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Alleluja. ℣. *Ps. XXXIX. 6.* Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XVII. 23.*

In illo tempore: Cum venisset Jesus Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te.

**Offertorium.** *Joann. XVI. 30.* Domine, nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi.

SECRETA.

Domine Jesu Christe, qui paupertatem nostram cognoscis, intercedente beato Petro, nos in hac tibi actione conjunge: ut cœlesti Patri, pro tantis beneficiis, digna tecum amoris et laudis tributa offeramus: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Deut. III. 24.* Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam: neque enim est alius Deus, qui possit facere opera tua. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui omnem justitiam impleturus, in servi forma tributum solvere non recusasti: largire nobis, intercessione beati Petri; ut in verbis tuis permanentes, possimus veritatem cognoscere, et per eam a servitute peccati liberari: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova Missa superius edita ad recolendam Petri piscationem inseritur, qui prænunciante Domino simul et donante, in ore piscis apprehensi staterem ad tributa pro se et Magistro solvenda mirabiliter invenit. Jungitur autem ex more commemoratio Sancti Pauli.

2. Locus autem qui novæ Missæ designatur, est domus ejusdem Sancti Petri apud Capharnaum, ubi Christus ordinarie moram trahebat; in qua idcirco et colloquium Jesu cum Petro habitum fuisse creditur. Quidquid autem sit, cum domus ad Apostolorum Principem pertinuerit, convenienter hoc potius illius vitæ factum, quam aliud locis remotioribus assignandum, in ista ipsius æde celebratur.

3. Hujus Missæ partes, excepta relatione quam semper ad Dominum habent, potius ad Petrum referuntur; quod in causa fuit cur Præfatio de Apostolis assignaretur. Quoniam vero de pluribus simul personis in una eademque Missa, uti num. 2. notarum et additionum ad Missam XCII. pag. 136. indicatur, fieri persæpe soleat; alia testimonia ad utrumque pariter respectum electa apponuntur.

4. Alia Communionis antiphona: «Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. *II. Cor. VIII. 9.*»

5. « Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, quæ viderunt oculi tui. *Deut. X. 21.* »

6. « Domine, repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam ; tota die magnitudinem tuam. *Ps. LXX. 8.* »

7. « Verbum meum, quod egredietur de ore meo, dicit Dominus: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. *Isai. LV. 11.* »

8. « Dominus revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta: et lux cum eo est. *Dan. II. 22.* »

9. « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. *Joann. XIV. 30.* »

10. « Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Rom. XIII. 7.* »

---

## CXLV.

### RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

### Decimoquarto. — IN DOMO UBI PER MATTHÆUM AD MELIORA CONVERSUM CHRISTUS CONVIVIO FUIT EXCEPTUS.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Apoc. III. 20.*

Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, dicit Dominus: intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.

**Ps.** *XXIV. 1.* Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui fiduciam peccatoribus inditurus, Matthæi domum et convivium benignus honorasti: concede nobis; ut clementiam tuam in illo admirati, sinceram cum ipso ad te conversionem ineamus: Qui vivis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

*I. Tim. Cap. I. 12.*

Charissime: Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi, in vitam æternam. Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

**Graduale.** *Ps. CXVIII. 76.* Domine, fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo. ℣. Vivet anima mea, et laudabit te: et judicia tua adjuvabunt me.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXV. 16.* Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CII. 1.* Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. ℣. Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus. ℣. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. XIX. 9.* Hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Alleluja. ℣. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. V. 27.*

In illo tempore: Exiit Jesus, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisæi, et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? Et respondens Jesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

**Offertorium.** *II. Reg. XIV. 22.* Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in

oculis tui, Domine mi Rex: fecisti enim sermonem servi tui. Alleluja.

SECRETA.

Deus, qui peccatores et publicanos non solum ad colloquium sed etiam tecum ad epulas recepisti: expiationis sacrificium, intercedente beato Matthæo, mitior aspice; et oblatoribus tuis reconciliatæ tecum amicitiæ cibos appone: Qui vivis.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Sap. VIII. 16.* Intrans in domum meam, conquiescam cum Sapientia: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius; sed lætitiam, et gaudium.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui modis omnibus peccatores amanter ad pœnitentiam revocare non cessas: da nobis, beati Matthæi te domi excipientis merito; ut Sacramentis tuis roborati, divinam per bona opera misericordiam copiose inveniamus: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Nova hæc Missa ad honorem Sancti Matthæi in ipsius domo statuitur celebranda, ubi post vocationem suam ipse Apostolus Christum ejusque discipulos convivio recepit; quæ omnia alio, ac quo vocatus est, loco evenisse probantur.

2. Textus Gradualis ante *Alleluja* sic pariter efformari posset: «**Graduale.** *Tob. XIII. 8.* Convertimini itaque peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. ℣. Ego autem, et anima mea in eo lætabimur.»

3. Alter Tractus: «*Ps. CXVIII. 35.* Domine deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui. ℣. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. ℣. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me. ℣. Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.»

4. Alii pro Temp. Pasch. versiculi: «Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. *Ps. LXXII. 28.* ℣. Proposui ergo Sapientiam adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis. *Sap. VIII. 9.*»

5. Locum Offertorii aut Communionis hæc tenere antiphona posset: «Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. *Matth. XI. 19.*»

6. Hæc Missa, varietatis causa et ob diversitatem Loci singulariter effecta, sumere etiam textus posset e Missis sub num. et pag. CXXXII. 201. et CXL. 213. hujus operis, necnon e Missis ad Vigiliam et Festum ejusdem Apostoli et Evangelistæ sub die XX. et XXI. Septembris apud Missale Romanum assignatis.

7. «Compulit illos oppido ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium. *Gen. XIX. 3.*»

8. «Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. *Thr. III. 25.*»

9. «Et omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum. ℣. Pharisæi autem, et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos. *Luc. VII. 29.*»

## CXLVI.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

## Decimoquinto. — APUD CÆSAREAM PHILIPPI UBI CHRISTUS APOSTOLO PETRO PROMISIT CLAVES REGNI CŒLORUM.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Eccli. XLV. 30.*

Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum.

**Ps.** *CXXXI. 1.* Memento Domine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti: concede; ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur: Qui vivis.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

ORATIO.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

*I. Petr. Cap. I. 1.*

Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ,

Asiæ, et Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi: Gratia vobis, et pax multiplicetur. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi Domini nostri.

**Graduale.** *Ps. CVI. 32.* Exaltent eum in Ecclesia plebis: et in cathedra seniorum laudent eum. ℣. *Ibid. 31.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XVI. 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Matth. XVI. 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. ℣. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CVI. 31.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. Alleluja. ℣. *Matth. XVI. 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XVI. 13.*

In illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi: et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

**Offertorium.** *Matth. XVI. 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni cœlorum.

SECRETA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces et hostias beati Petri Apostoli commendet oratio: ut, quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Matth. XVI. 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

POSTCOMMUNIO.

Lætificet nos, Domine, munus oblatum: ut, sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per Dominum.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Pauli Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus: ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens, e Festo Cathedræ Romanæ sub die XVIII. Januarii apud Missale Romanum integre desumpta, assignatur celebranda in Loco ad Cæsaream Philippi, ubi idem Apostolorum Princeps promissas sibi a Christo claves regni cœlestis audivit. In ipsa, e Rubricarum præscripto, commemoratio Sancti Pauli retinetur.

2. Plurima ad rem testimonia præ manibus editoris erant ad novam integre Missam conficiendam, in qua et textus propriores adhiberentur, evitarentur repetitiones, orationesque omnes mysterio apprime responderent. Hoc tamen in praxim hic deduci visum non est, quo magis omnibus pateat quanti fiant ea quæ Missale Romanum propria Festis assignat; licet in præsenti casu Missa non undique quadret Mysterio Loci, ubi non exercitium potestatis, sed illius unice promissio recolenda alicui videatur.

3. Enimvero, ut percurrenti totum opus facile appæret, hæc jugiter præ oculis habita fuit regula, ut *communibus* testimoniis *aliudque* mysterium respicientibus, *propria* factumque *ipsius* Loci spectantia sufficiantur; minime vero, ut *nova* subrogentur illis quæ Missale Romanum *propria* designat, iis etiam casibus in quibus *melius* quiddam et magis *proprium* forsan effici potuerit.

4. Demum uterque pro Temp. Pasch. versus *Confiteantur* et *Tu es Petrus*, ex Decreto S. R. C. die 31 Martii 1885 eliguntur.

---

# CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

## CXLVII.

### IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS.

### Primo. — APUD DAMASCUM UBI CHRISTUS POST RESURRECTIONEM CONVERTIT SAULUM ECCLESIÆ HOSTEM.

℣ *Extra Octavam Conversionis ejusdem Sancti Pauli, in prima Oratione omittitur verbum* hodie.

AD MISSAM.

**Introitus.** *II. Tim. I. 12.*

Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, justus judex.

**Ps.** *CXXXVIII. 1.* Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui universum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut qui ejus [hodie] Conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

℣ *Et fit commemoratio Sancti Petri Apostoli.*

ORATIO.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti: concede; ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. XXII. 2.*

In diebus illis: Cum audissent Judæi quia Paulus hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate Jerusalem, secus pedes Gamalielis eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie: qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu, a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur. Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa: et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: et ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis, veniens ad me, et astans dixit mihi: Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et vi-

deres Justum, et audires vocem ex ore ejus: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti. Et nunc quid moraris? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.

**Gradnale.** *Gal. II. 8.* Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes: et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. ℣. *I. Cor. XV. 10.* Gratia Dei in me vacua non fuit: sed gratia ejus semper in me manet.

Alleluja, alleluja. ℣. Magnus Sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificandus, qui et meruit thronum duodecimum possidere. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** Tu es vas electionis, Sancte Paule Apostole: vere digne es glorificandus. ℣. Prædicator veritatis, et Doctor Gentium in fide, et veritate. ℣. Per te omnes Gentes cognoverunt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *I. Cor. XV. 10.* Gratia Dei in me vacua non fuit: sed gratia ejus semper in me manet. Alleluja. ℣. Magnus Sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificandus, qui et meruit thronum duodecimum possidere. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XIX. 27.*

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

**Offertorium.** *Ps. CXXXVIII. 17.* Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

SECRETA.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica: ut, quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Petri Apostoli.*

SECRETA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces et hostias beati Petri Apostoli commendet oratio: ut, quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

*Præfatio de Apostolis.*

**Communio.** *Matth. XIX. 28.* Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis.

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio: quæsumus; ut nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

℟ *Et fit commemoratio Sancti Petri Apostoli.*

POSTCOMMUNIO.

Lætificet nos, Domine, munus oblatum: ut, sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus; sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per Dominum.

℟ *In Festo et per Octavam Conversionis ejusdem Sancti Pauli præceptive, aliis diebus libere, legitur Epistola quæ sub die XXV. Januarii apud Missale Romanum assignatur.*

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc ad venerandam conversionem Doctoris Gentium apposita, si prior Epistola excipiatur, integre ipsa est quam Missale Romanum sub die XXV. Januarii antedicto assignat mysterio; inde etiam, ad Rubricarum legem, commemoratione Sancti Petri ordinata.

2. Quamvis vero locus ubi Conversionis mysterium est operatum, ab infidelibus dicatur nunc retineri; tamen, ad usum saltem Peregrinantium, apponitur hæc Missa in domo Ananiæ recitanda, in qua et Christum de conversione ipsius Gentium Doctoris cum eodem discipulo novimus egisse.

3. Quum autem textus Epistolæ in Missali Romano designatæ, magna ex parte fuerat ad Missam Sancti Ananiæ repetendus, nova de ipsis Apostolorum Actibus Epistola, loco jam ibi admissæ, permittitur Celebranti, in qua totus Conversionis ordo ex ore ejusdem Apostoli enarretur; atque huic similia dari exempla, num. 6. notarum et additionum ad Missam CVII. pag. 160. probatur.

4. Ambo pro Temp. Pasch. versiculi ad normam, quam S. R. C. die 31 Martii 1885 pro Missa Cathedræ Romanæ Sancti Petri indicavit, fuerunt assignati.

5. Si tamen quod num. superiori dictum est, non placeat, sumantur pro eodem Temp. versiculi, quos P. Aloysius de Carpo *Comp. Bibl. Liturg. part. IV. num. 27.* e Missa Sancti Marci sub die XXV. Aprilis sumendos edocuit. Sunt autem: « Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXXXVIII. 6.* Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. Alleluja. ℣. *Ps. XX. 4.* Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja. »

6. Quum plures hujus Missæ partes sint communes alteri Festo Commemorationis Sancti Pauli sub die XXX. Junii recolendo, et ferme nullam cum mysterio Conversionis habeant convenientiam, juxta regulam in hoc servatam opere, propria testimonia fuissent in earum locum admittenda; a quorum tamen substitutione hoc in casu abstinetur ob reverentiam, quæ Missalis Romani *Proprio* alibi etiam impensa semper exstitit, ut in notis ad Missam CXLVI. pag. 222. declaratur.

7. Missæ porro hujus XVIII. Capitis, licet Palæstinam seu Terram Sanctam *proprie* dictam non respiciant, tamen ad eam quodammodo pertinent, ob facta evangelica quæ iis in Locis contigerunt.

---

## CXLVIII.

### IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS.

## Secundo. — DAMASCI IN DOMO ANANIÆ UBI IPSE DISCIPULUS A CHRISTO MIRAM SAULI CONVERSIONEM EST EDOCTUS.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. LXXXIV. 9.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam; et super sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor.

**Ps.** *Ibid.* 2. Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui Saulum tua virtuto conversum, per manus beati Ananiæ baptisma et amissum oculorum lumen habere fecisti: da nobis, utriusque interventu; ut depulsis ignorantiæ tenebris, cognitam voluntatem tuam fideliter impleamus: Qui vivis.

Lectio Actuum Apostolorum.

*Cap. IX. 10.*

In diebus illis: Erat quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocatur Rectus: et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine, introëuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem: et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, et introivit in domum: et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.

**Graduale.** *Isai. LI. 16.* Posui verba mea in ore tuo, dicit Dominus: et in umbra manus meæ protexi te. ℣. *Exod. IV. 12.* Perge igitur, et ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris.

Alleluja, alleluja. ℣. *Deut. XXVI. 14.* Obedivi voci Domini mei, et feci omnia, sicut præcepisti mihi. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXVIII. 162.* Lætabor ego super eloquia tua, Domine: sicut qui invenit spolia multa. ℣. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: legem autem tuam dilexi. ℣. Servavi mandata tua, et testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Exod. IV. 15.* Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus, dicit

Dominus: et ego ero in ore tuo. Alleluja. ℣. *Isai. LVII. 18.* Vias ejus vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. X. 1.*

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta; et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

**Offertorium.** *Isai. XLVIII. 15.* Ego Dominus locutus sum, et vocavi eum: adduxi eum, et directa est via ejus.

SECRETA.

Annue, misericors Deus, Ecclesiæ tuæ votis et lacrymis: et intercedente beato Anania, quos sibi eadem Christi Sponsa nunc inimicos patitur, redde ipsi, sublato furore, devotos. Per eumdem.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Isai. XXVI. 7.* Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui Doctorem Gentium a beato Anania voluntatem tuam edoceri, et ad tui nominis prædicationem confortari disposuisti: eorum nobis meritis concede; ut hujus Sacramenti virtus nos et ad credendum dociles, et ad confitendum fortes efficiat: Qui vivis.

## NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa præsens, in honorem Sancti Ananiæ composita, in ipsius domo a Franciscanis cultui christiano jamdiu redempta, celebrabitur; in qua etiam, «ut vetus habet traditio, Dominus apparuit in visu [eidem] Ananiæ.» — *Cf. P. Francisci Quaresmii* Elucidatio Terræ Sanctæ, *vol. II. pag. 659.*

2. Versiculus ad *Alleluja* post Graduale sequens esse poterit: «Et vocavit illum Dominus; qui respondens, ait: Ecce ego. *I. Reg. III. 4.*»

3. Alter Tractus: «*Ps. XXXVI. 5.* Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet. ℣. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem. ℣. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias. ℣. Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.»

4. Prior pro Temp. Pasch. versus ita optime continuari posset: «et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis».

5. Posterior versus Temp. Pasch. adhibendus, sequens esse valet: «Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. *Isai. LV. 4.*»

6. Cum Sanctus Ananias e LXXII. Christi discipulis unus exstitisse, omnium fere communi sententia reputetur, convenienter illi Evangelium statuitur eosdem respectans, ubi et verba *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos,* ad rem opportune inveniuntur. — *Cf. Bolland.* Acta Sanctorum, *Jan. Tom. III. pag. 227-229. edit. Palmé.*

7. «Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus in omnibus, ad quæcumque perrexeris. *Jos. I. 9.*»

8. «Ecce enim, Domine, veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Ps. L. 8.*»

9. «Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malis. ℣. Quii, non repellet Dominus plebem suam: et hæreditatem suam non derelinquet. *Ps. XCIII. 12.*»

10. «Ego Dominus convertens sapientes retrorsum: et scientiam eorum stultam faciens. ℣. Suscitans verbum servi sua et consilium nuntiorum suorum complens. *Isai. XLIV. 25.*»

11. «Ego suscitavi eum ad justitiam, dicit Dominus: et omnes vias ejus dirigam. *Isai. XLV. 13.*»

12. «Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. *Am. III. 7.*»

## CXLIX.

### IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS.

### Tertio. — APUD CAIRUM BABYLONIS UBI SANCTA DOMINI FAMILIA IN ÆGYPTO DIU COMMORATA EST.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Matth. II. 13.*

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

**Ps.** *LIV. 8.* Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Protector in te sperantium, Deus, qui Unigenitum tuum Redemptorem nostrum, ex Herodis gladio fuga in Ægyptum eripere voluisti: concede nobis famulis tuis, beatissima semper Virgine ejus Matre Maria intercedente; ut ab omnibus mentis et corporis periculis liberati, ad cœlestem patriam pervenire mereamur. Per eumdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. XIX. 20.*

In diebus illis: Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam, et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos Dominus Deus noster.

**Graduale.** *Ps. XC. 11.* Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te: ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. II. 13.* Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XC. 1.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. ℣. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus sperabo in eum. ℣. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. II. 13.* Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Alleluja. ℣. Et esto ibi, usque dum dicam tibi. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. II. 13.*

In illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat Puerum, ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit Puerum et Matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum; et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum.

**Offertorium.** *Isai. XIX. 21.* Cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent.

SECRETA.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus, suppliciter deprecantes: ut, qui cum beatissima Matre Virgine Maria in Ægyptum exsul deferri voluisti; exsules nos, eadem Virgine intercedente, ad cœlestem patriam benignus perducas: Qui vivis.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Matth. II. 15.* Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum.

POSTCOMMUNIO.

Largire sensibus nostris, omnipotens Deus: ut per temporalem Filii tui Fugam, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Jam e Sedis Apostolicæ Indulto celebrari permittitur «In loco in quo apud Civitatem dictam *Cairo vecchio* in Ægypto Sacra Familia commorata est, Missa Fugæ Infantis Jesu in Ægyptum.» Ita habetur in Indulto S. R. C. pro Missis votivis in Sanctuariis Terræ Sanctæ, die 31 Augusti anno 1865 concesso.

2. Cum Sanctuarium modo a Schismaticis usurpatione diu teneatur, apposita fuit Missa communis de Fuga Sanctæ Familiæ Domini in Ægyptum, quæ jam concessa fuerat, ut sic etiam, aliqua saltem ratione, juris Catholicorum memoria et protestatio habeatur. Proinde non *omnes* personæ hoc in mysterio partem *notabilem* habentes considerantur, at solummodo mysterium alterum Loco magis appropriatum, nempe Relationis Pueri Jesu ex Ægypto, cujus mentio in Martyrologio Romano sub die VII. Januarii distincte celebratur.

3. In Appendice ad Graduale Romanum Ratisbonæ anno 1888 edita, sequens habetur: «**Tractus.** *Matth. II. 13.* Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. ℣. Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Futurum est enim ut Herodes quærat Puerum, ad perdendum eum.» Qui tamen in Missa superius edebatur Tractus, pulchrior est atque aptior ad evitandam verborum Evangelii, quæ inibi pluries assumuntur, repetitionem; et insuper, cum inveniatur in Missa ejusdem Festi apud Fratres Minores de Custodia Terræ Sanctæ Dominica IV. post Pascha celebrandi, videtur magis authenticus, et in mente petentium positus, cum Indultum a Sancta Sede efflagitarunt.

4. Hæc Missa, e Concessionis verbis supra relatis, cum de *Infante Jesu* censeatur, non debet habere Præfationem de Beata Virgine, uti accipit in Festo a Minoritis celebrando; apud quos ut Deiparæ proprium reputari consuevit, licet omnino idem contineat Officium, quod sub die XVII. Februarii in Appendice Breviarii Typici in honorem D. N. J. C. inscribitur. Apposita fuit autem Præfatio de Nativitate, quæ Festis omnibus Christi in quibus color est albus, assignari solet; licet non cum omnimoda id fiat certitudine, ob defectum hujus Missæ in Typico et aliis Missalibus ab editore consultis.

5. Missa Sancti Joseph, quæ in hoc opere sub num. LXX. pag. 100. jam edita fuit, hic posset optime assignari; tum ob mysterii identitatem, tum quia ejusdem Patriarchæ memoria in Orationibus indultæ Missæ, contra ac fit pro B. M. V., prorsus non habetur.

---

## CI.

### IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS.

### Quarto. — APUD CAIRUM BABYLONIS UNDE SANCTA DOMINI FAMILIA IN TERRAM ISRAËL EST REVERSA.

AD MISSAM.

**Introitus.** *Gen. XXXI. 11.*

Dixit Angelus Dei ad me in somnis: Nunc ergo surge, et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.

**Ps.** *XXXIX. 2.* Exspectans exspectavi Dominum: et intendit mihi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui beatum Joseph ejusque familiam, Angelo monente, ex Ægypto in terram Israël revocasti: concede propitius; ut mandatis tuis semper obsecuti, ab hujus exsilii labore, ad cœlestis patriæ requiem perducamur. Per Dominum.

Lectio Osee Prophetæ.

*Cap. XI. 1.*

Hæc dicit Dominus Deus: Sicut mane transiit, pertransiit rex Israël. Quia puer Israël, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi Filium meum. Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum: Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: et declinavi ad eum, ut vesceretur. Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt converti. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum. Et populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur: ait Dominus omnipotens.

**Graduale.** *Gen. XXXV. 3.* Deus exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. ℣. *Num. X. 30.* Revertar in terram meam, in qua natus sum.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XC. 11.* Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXLII. 8.* Domine, notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. ℣. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. ℣. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Gen. XXIV. 40.* Dominus mittet Angelum suum tecum, et diriget viam tuam. Alleluja. ℣. *Exod. XIII. 8.* Hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto. Alleluja.

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. II. 19.*

In illo tempore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri. Qui consurgens, accepit Puerum et Matrem ejus, et venit in terram Israël. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

**Offertorium.** *Gen. XXXI. 3.* Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, dicit Dominus: eroque tecum. Alleluja.

SECRETA.

Deus, qui frequenti Angeli visione beatum Joseph a periculis tutum reddidisti: Ecclesiam tuam, ipso intercedente, ab hostibus eripias; ut valeat tibi gaudens hostias et vota depromere. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Exod. XXIII. 20.* Ecce ego Dominus mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi.

POSTCOMMUNIO.

Auge in nobis, Domine Jesu, hujus ope Sacramenti, fidem, obedientiam, cæterasque virtutes beati Joseph custodis tui: ut nullis tribulationibus emoti, gaudeamus cum ipso per voluntatem divinam in omnibus gubernari: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hæc Missa, licet testimoniis Sanctum Joseph magis respicientibus efficiatur, iis tamen celebrat simul «Relationem Pueri Jesu de Ægypto», cujus memoria facti in Martyrologio Romano sub die VII. Januarii recensetur. Ita, ut exemplum afferatur, in Missa Purificationis B. M. V. sub die II. Februarii, Epistola et alia unice ad Christum referuntur, quamvis hoc Festum sit nominatim Deiparæ attributum.

2. Initium Gradualis, primo versu in secundi locum posito, sic efformari posset: «**Graduale.** *Gen. XXXII. 9.* Domine dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi.»

3. Ad *Alleluja* post Graduale sequens apponi versiculus potest: «Ego Dominus ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi complevero universa quæ dixi. *Gen. XXVIII. 15.*»

4. Alter Tractus: «*Ps. XXXIII. 7.* Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. ℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos. ℣. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.»

5. Alia Communionis, seu potius Offertorii antiphona: «Erat Joseph in Ægypto usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. *Matth. II. 15.*»

6. Alia testimonia prostant in Missis editis sub num. et pag. LXX. 100. et CXLIX. 228. hujus operis; itemque inveniuntur textus ad Officium Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum, sub die XVII. Februarii in Appendice Breviarii Typici collocatum.

7. «Dominus liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me. *II. Reg. XXII. 18.*»

8. «In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur. ℣. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in idipsum. ℣. Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. *Ps. XXXIII. 3.*»

9. «Confitebor tibi Domine in toto corde meo; quoniam audisti verba oris mei: in conspectu Angelorum psallam tibi. ℣. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. *Ps. CXXXVII. 1.*»

10. «Dominus firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum. ℣. Et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. *Eccli. IV. 20.*»

# CAPUT DECIMUMNONUM.

## CLI.

### IN PEREGRINORUM DISCESSU A TERRA SANCTA.

#### AD MISSAM.

**Introitus.** *Gen. XXXII. 9.*

Domine, qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explevisti servo tuo.

**Ps.** *LXXXVIII. 2.* Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui famulos tuos ad te adorandum in augusta Redemptionis terra, benignus elegisti: imple misericordias tuas; ut qui labores hujus sanctæ peregrinationis susceperunt, et hic abundantiam benedictionis acquirere, et in terra viventium tandem requiescere mereantur. Per Dominum.

Lectio libri Genesis.

*Cap. XXVIII. 15.*

In diebus illis: Dixit Dominus ad Jacob: Ego ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi complevero universa quæ dixi. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

**Graduale.** *Ps. XXXIX. 3.* Dominus direxit gressus meos: et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. ℣. *Ps. LXXXIII. 11.* Quia melior est dies una in atriis tuis, Domine, super millia.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LXII. 3.* In terra deserta, et invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam Deus, et gloriam tuam. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXVI. 6.* Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et psalmum dicam Domino. ℣. Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me. ℣. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXV. 8.* Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Alleluja. ℣. *Ibid. 7.* Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Cap. XI. 25.*

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

**Offertorium.** *II. Par. VI. 32.* Si venerit externus de terra longinqua, et adoraverit in loco isto: tu Domine facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus. Alleluja.

SECRETA.

Hostia, quam divinæ majestati tuæ Domine lætanter offerimus, peregrinantium corda et labia purificet: ut qui torrente voluptatis tuæ in hac Redemptionis terra potati sunt, digna te gratiarum actione prosequantur. Per Dominum.

*Præfatio de Nativitate.*

**Communio.** *Ps. CXVIII. 54.* Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, Domine, in loco peregrinationis meæ. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Maneat, Domine, semper in cordibus nostris memoria mysteriorum quæ in visitandis humanæ Reparationis monumentis, pie meditati sumus: ut ea, quæ lumine gratiæ præfulgente statuimus, supernis alimentis roborati, perficere valeamus. Per Dominum.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Hoc loco clauditur numerus CXLVII. Missarum propriarum (quatuor enim Missæ alibi repetuntur) pro Sanctuariis Terræ Sanctæ: e quarum numero Missæ XXVI. e Missali Romano assumuntur, additis tamen ac mutatis partibus illic ratione ordinariæ occurrentiæ et Locorum deficientibus aut incongruis; reliquæ autem CXXI. de novo sunt compositæ.

2. Quemadmodum hujus Operis initio peculiaris Missa pro ingressu Peregrinorum in Terram Sanctam ponebatur; ita pariter in eorumdem exitu a Palæstinæ Locis nova convenienter Missa præstituitur.

3. Duabus Missis num. superiori indicatis Peregrinantes sic poterunt respective tum uberiores ex Visitatione fructus a Deo prius implorare, tum denique gratiarum actiones Domino peragere atque in sanctis propositis inibi conceptis firmitatem ab eo postulare.

4. Post Introitum sequentes etiam valent Psalmi recitari: «I°. *Ps. CII. 1.* Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. II°. *Ps. CXLV. 2.* Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.»

5. Alterum Evangelium, jam posito simillimum, introduci secundum lectionem Lucæ *Cap. X. 21-24.* posset, ob verba præsertim «Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.»

6. Præfatio de Nativitate ideo assignatur, quia Loca Sancta maximam partem super vita Christi Domini testantur, e quorum visitatione «novum proinde mentis sincere Peregrinantium oculis lumen divinæ claritatis infulsit.»

7. Hæc Missa, et quæ num. I. pag. 1. edita fuit, accommodatiores habere potuissent textus, si relate ad Civitatem Hierosolymam forent compositæ; quod tamen hic non est merito factum, ob multiplicem a variis Terræ Sanctæ plagis discessum, quem Peregrinorum etiam comitatus deligere persæpe consueverunt.

8. «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine: quam abscondisti timentibus te. *Ps. XXX. 20.*»

9. «Melior est misericordia tua Domine, super vitas: labia mea laudabunt te. ℣. Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo levabo manus meas. ℣. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exsultationis laudabit os meum. *Ps. LXII. 4.*»

10. «Domine, magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus. ℣. Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. ℣. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me. *Ps. LXXXV. 10.*»

---

EXPLETUS EST NUMERUS

CXLVII. MISSARUM PROPRIARUM

QUÆ IN PLERISQUE TERRÆ SANCTÆ LOCIS

CELEBRANDÆ ASSIGNANTUR.

# APPENDICES

## AD MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ.

## APPENDIX PRIMA.

MISSÆ COMMUNES CONCESSÆ AUT CONCEDENDÆ.

### I.

### Primo. — IN CRYPTA AGONIÆ ET IN ECCLESIA FLAGELLATIONIS ATQUE IN SACELLO CRUCIFIXIONIS DOMINI.

**MISSA**: Humiliavit semetipsum, *quæ superius pag. 13. invenitur in Missa sub num. IX. ad locum ubi Dominus noster Jesus Christus Crucī affixus fuit.*

ADNOTATIONES IN HANC MISSAM.

1. Missa hæc eisdem tribus Sanctuariis indulta fuit per Rescriptum Sacræ Rituum Congregationis, latum sub die 31 Augusti 1865.

2. Quoniam vero omnia pæne testimonia Missæ, si unicum titulum De Passione exceperis, nullam habent cum Mysteriis Dominicæ Orationis aut Flagellationis congruentiam; hinc apud Missale Votivum Terræ Sanctæ hujusmodi Missam solum pro Monte Calvario censuimus retinendam, ubi quidem ratione XI. ac XII. Stationis Viæ Dolorosæ apte Sanctuario videtur convenire.

3. Quibusdam forsan placuisset, Missam hanc pro tribus Locis præfatis servari, ac præsertim pro Horto Gethsemani ubi Christus Passionem instantem vidit, ipsamque Missam ad omnes Viæ-Crucis Stationes ampliari; attamen parum aut nihilum, consideratis Missæ textibus, ipsa Locis conveniret.

---

### II.

### Secundo. — IN ECCLESIA FLAGELLATIONIS DOMINI.

**MISSA**: Redemisti nos, *quæ apud Missale Romanum invenitur sub Dominica I. Julii in Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi.*

ADNOTATIONES IN HANC MISSAM.

1. Missa hæc a Sacra Rituum Congregatione concessa fuit per Indultum sub die 31 Augusti 1865 publicatum.

2. Dominicæ Flagellationis Loco convenit quidem Missa præfata, si Titulum Pretiosissimi Sanguinis attenderis; ast testimonia Missæ ultimam potius divini Sanguinis effusionem in Monte Calvario peractam considerant, non vero effusionem in Dominica habitam Flagellatione.

3. Igitur, nos Missam hanc Sanctuario Dominicæ Flagellationis ademimus, et Calvariæ Loco jam aliis exornato Missis non petimus extendendam, neque ad Loca illa ubi Dominici Sanguinis effusiones actæ recoluntur.

---

### III. et IV.

### Tertio. — IN DOMO NAZARENA SANCTI JOSEPH DEIPARÆ SPONSI ATQUE IN ALTARI EJUS AD CRYPTAM NATIVITATIS.

**MISSA**: Justus, *quæ invenitur apud Missale Romanum sub die XIX. Martii in Festo ejusdem principali.*

**MISSA**: Adjutor, *quæ invenitur apud Missale Romanum sub Dominica III. post Pascham in Festo de ipsius Patrocinio.*

### ADNOTATIONES IN HAS DUAS MISSAS ET RELIQUAS OMNES COMMUNES.

1. Ambæ quidem Missæ concessæ sunt pro antedictis Sanctuariis a Sacra Rituum Congregatione sub die 31 Augusti 1865.

2. Attamen, quum utraque Missa conveniat quidem Personæ Sancti Josephi, non autem Locis præfatis in quibus alia ipsius Patriarchæ Mysteria contigerunt; hinc neutra in Missali Votivo retinetur, neque (uti videri quibusdam possit) ad omnia beati Josephi Sanctuaria extendendam credimus.

3. Hinc nullam Missam vere communem aut Sanctuariis concessam retinemus, aut eis noviter applicandam exoramus, quoniam hæ generatim in multis partibus Sanctuario non conveniunt; ac proinde non possent in Missali Votivo inseri vel servari, quin iterum illa incurrantur incommoda, quibus adimendis Missale ipsum Votivum conficiebatur.

4. Ob easdem rationes, non censuimus Missam de Mysteriis Viæ Crucis aut de Septem Gaudiis extendendam esse ad Loca, in quibus respectivum Mysterium actum recolatur.

5. Advertatur tamen, Missas hujusmodi communes, alias esse a Votivis ad plures Personas apud hoc Missale referendis: nam hæ semper Loco conveniunt aptissime, dum illæ cum Loco nonnisi eam (aut minorem etiam aut nullam quandoque) possident relationem, quam Commune Sanctorum habeat cum Personis, quibus Officium elargitur in aptioris Officii defectu. Itemque eas nullatenus confundendas esse patet cum Missis, quæ ob identitatem Mysterii, uti ad III. VII. et IX. Statiohem Viæ Dolorosæ, multiplici Sanctuario perbelle conveniant.

6. Cæterum Votivæ præfatæ, ac generatim Missæ apud Missale Romanum exsistentes, quæ licet sint de eadem Persona, diversis tamen atque apud Missale Votivum Terræ Sanctæ textibus efferuntur; semper poterunt, nisi aliud obstare videatur, in diebus secundum Missale Romanum liberis atque ad illius normam recitari a Sacerdotibus, qui hoc ipsum maluerint. Hæc tamen, aliaque universa, Auctoritatis judicio remittimus.

---

# APPENDIX SECUNDA.

## ALIQUÆ MISSÆ PROPRIÆ IN VOTIVARUM SERIE NON COMPREHENSÆ.

## I.

## Primo. — IN DOMO ANNÆ UBI RESPONDENS INTERROGANTI PONTIFICI CHRISTUS A MINISTRO ALAPAM EXCEPIT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Job. XV. 25.*

Protendit impius adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est: cucurrit adversus eum erecto collo.

**Ps.** *LXXXII. 2.* Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu, qui interrogationi pontificis mansuete respondens ab impio ejus ministro alapam excepisti: concede, quæsumus; ut nos ad tui exemplum, injurias et verbis et factis illatas, æquo semper animo toleremus: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. L. 5.*

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

**Graduale.** *Isai. XLV. 18.* Ego Dominus, et non est alius: non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso. ℣. *Job. XVI. 9.* Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. LV. 11.* In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Job. XVI. 10.* Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis. ℣. Hostis meus, terribilibus oculis me intuitus est. ℣. Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. CXVIII. 121.* Feci judicium et justitiam, Domine: non tradas me calumniantibus me. Alleluja. ℣. *Prov. VIII. 8.* Justi sunt omnes sermones mei: non est in eis pravum quid, neque perversum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XVIII. 19.*

In illo tempore: Pontifex interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me in-

terrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

**Offertorium.** *I. Petr. II. 23.* Christus, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.

SECRETA.

Deus, qui in servi forma patientiam, qua vincitur mundus, nos docere maluisti: concede propitius; ut omnem iræ ac vindictæ sensum abnegantes, cœlestem Patrem hac munerum oblatione propitiemus: Qui vivis.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Thr. III. 30.* Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

POSTCOMMUNIO.

Robora nos Domine, hujus ope Sacramenti, ad humilitatis ac mansuetudinis Christi exempla imitanda: ut secundum voluntatem ejus patientes, tibi fideli Creatori animas nostras in benefactis commendemus. Per eumdem.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Armeni Acatholici possident hoc Sanctuarium Indulgentiis auctum Plenariis, ideoque majoris Ordinis; cujus Mysterii designata Missa loco celebranda viciniori, colorem violaceum requirit etiam in die propria, nempe Feria III. post Dominicam Sexagesimæ.

2. Ad Antiphonam Introitus subjici etiam possent initia Psalmorum sequentium: XXXV, LI, LV, LXVIII, CXV et CXXXIX.

3. Alter: « **Introitus.** *Ps. LXVIII. 8.* Propter te, Domine, sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. *Ps. Ibid. 2.* Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. »

4. Antiphona Communionis in Offertorium commutata, pro eadem hic textus adhiberi posset: « Ego autem Dominus dico vobis non resistere malo: sed quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. *Matth. V. 39.* »

5. Si quæ num. 4 notarum ediximus, admittantur; tunc Offertorium valet pro priori Versiculo Temp. Pasch. induci, atque alter sequentibus efformari textibus: « I°. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. *Job. XVI. 18.* — II°. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. *Hebr. XII. 3.* »

6. « Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. ℣. A voce exprobrantis, et obloquentis: a facie inimici, et persequentis. *Ps. XLIII. 16.* »

7. « Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum. ℣. Exsurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die. *Ps. LXXIII. 18.* »

8. « Doctrina viri per patientiam noscitur: et gloria ejus est iniqua prætergredi. *Prov. XIX. 11.* »

9. « Non a principio in abscondito locutus sum: et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. *Isai. XLVIII. 16.* »

10. « Et qui te percutit in maxillam, præbe illi et alteram. *Luc. VI. 29.* »

## II.

## Secundo. — UBI MILITES VESTIMENTA CHRISTI DIVISERUNT.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Marc. XV. 24.*

Milites crucifigentes Jesum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

**Ps.** *XXI. 2.* Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui Unigenito tuo vestimenta detrahi ac sorte inter milites dividi permisisti: concede propitius; ut omnes in illo novum, qui secundum te creatus est, hominem induentes; beatam justorum sortem consequamur. Per eumdem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LXIII. 1.*

Quis est iste, *et reliqua uti ad Missam sub num. XXIII. pag. 30.*

**Graduale.** *Matth. XXVII. 35.* Milites, postquam crucifixerunt Jesum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes. ℣. Ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem:

Alleluja, alleluja. ℣. *Matth. XXVII. 35.* Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Alleluja.

℟ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXI. 17.* Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. ℣. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me. ℣. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℟ *Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ℣. *Col. II. 15.* Christus exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Alleluja. ℣. *Ps. XCII. 1.* Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 23.*

In illo tempore: Milites, cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi; et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

**Offertorium.** *Apoc. XIX. 13.* Vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

SECRETA.

Supplici te, Domine, oratione deposcimus: ut qui in memoriam passi Filii tui, sacra mysteria peragimus; fœdas noxarum vestes in illo exsuti, dignos e cœlesti convivio sortiamur effectus. Per eumdem.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *Luc. XXIII. 34.* Milites vero dividentes vestimenta Jesu, miserunt sortes.

POSTCOMMUNIO.

Amoris tui Sacramento, Domine Jesu, Christianos populos in unius fidei et pacis vinculo custodias: ut inconsutilem Ecclesiæ vestem nullus inter filios error inquinare tentet, nullumque schisma discindere: Qui vivis.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Sanctuarium hoc ab Armenis Acatholicis possessum, sed a Franciscanis quotidie solemniter visitatum, Missam votivam minoris Ordinis seu Classis in colore rubeo dicendam loco viciniore hic obtinuit, Feria III. post Dominicam Sexagesimæ ipsi Mysterio ceu propria constituta.

2. Si Versus cum *Alleluja* post Graduale non placeat, substitui posset ille, qui jam pro Temp. Pasch. ceu prior apponitur, vel etiam sequens: «Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium. *Apoc. XIX. 16.*» — Sed in utroque casu, sub fine Gradualis omittenda esset vox **dicentem.**

3. Nisi improbetur aliquos textus pluries in eadem Missa adhiberi, uti in Missali Romano quandoque agitur, tunc duo Versus pro Temp. Pasch. effici etiam possent ex initio Epistolæ; nempe: «℣. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? ℣. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. *Isai. LXIII. 1.*»

4. Alii textus accipi commode possent etiam ex Missa consimile ferme habenti Mysterium, quæ sub num. XXIII. pag. 30. edebatur.

## III.

## Tertio. — SUPER SANCTISSIMUM SEPULCHRUM DOMINI.

**MISSA**: In illa die, *quæ apud Missale Romano-Seraphicum invenitur sub Dominica II. post Pascham; additis iis, quæ sequuntur:*

**Graduale.** *Ps. XCVIII. 5.* Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est. ℣. *Gen. XXVIII. 17.* O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XCV. 8.* Tollite hostias, et introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus. Alleluja.

¶ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. CXXXI. 7.* Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. ℣. Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. ℣. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

NOTÆ ET ADDITIONES.

1. Missa hæc majoris Ordinis seu Classis, easdem habet regulas atque Votivæ, quæ sub num. XI-XIII. apud Tabellam pag. LXIX. indicantur; sed ejus dies propria erit Dominica II. post Pascham atque Octava subsequens.

2. Initio Evangelii præponuntur apud Breviarium Romano-Seraphicum verba **In illo tempore**, quæ tamen apud Missale reticentur. Nobis standum videtur Breviario; quoniam in casu fere simili, Sabbato in albis apud Romanum legitur: «**In illo tempore**: Una sabbati.»

3. Si testimonia electa non omnibus probentur, recurri potest ad Festum Sanctissimi Sepulchri, ut inde aptiora sumantur; vel etiam ad Missas, quæ apud hoc Missale Votivum jam sub num. et pag. XI-XIII. 15-19., et XXVII. 36. collocantur.

4. Si Missæ hæ Votivæ, præcipue ne deperirent hic appositæ, suis locis inseri velint, earum sedes est: Missæ Primæ post illic appositum num. V., Secundæ post XXIX., Tertiæ post XIII.; mutato, uti patet, aliarum numero progressivo.

**EXPLICIT MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ.**

# OFFICIA PROPRIA

## IN SANCTIS PALÆSTINÆ LOCIS

### RECITANDA

Exemplar Supplicationis, qua Reverendissimus Pater AURELIUS BRIANTE DE BUJA, hodiernus Terræ Sanctæ Custos, OFFICIA NOVISSIMA per Sedem Apostolicam approbanda exorat.

BEATISSIME PATER,

Redemptor omnium amantissimus Christus Jesus, qui in terris cum hominibus conversatus, humanam salutem potenter sapienterque operabatur; si ubique gentium dignus universali pro suis in nos benefactis veneratione semper agnoscitur, potiori tamen cultu ibi videtur interdum esse colendus, ubi et Mysteria vitæ ejus universa contigere. Romani proinde Pontifices, hæc omnia præ oculis habentes, nullo unquam tempore abnuerunt omnigenas elargiri gratias, quibus specialem istam reverentiam Christo Servatori apud Palæstinæ Loca exhibendam, vel jam tuerentur inductam, vel noviter invehendam augendamque confoverent. Inter quas Summorum Ecclesiæ Præsulum curas, non ultimum sane locum occupant Indulta, quibus peculiaria Mysteriorum Officia eisdem Palæstinæ Sanctuariis convenientia, vel novissime confecta probarint vel alias extenderint probata.

Hisce stimulis motus atque in spem erectus Frater Aurelius Briante de Buja, hodiernus Fratrum Minorum in Palæstina finitimisque regionibus degentium Custos, postquam hunc in finem Missale Votivum Terræ Sanctæ curavit apte redigendum; haud sibi visus est rem undequaque ad exitum inceptam produxisse, nisi etiam de particularibus quibusdam Officiis apud ipsam Redemptionis Terram ex Indulto Apostolicæ Sedis dein recitandis solerter cogitasset.

Nonnulla siquidem reperiuntur in Palæstinensi regione Sanctuaria, quæ licet Ecclesia Parochiali seu Conventuali multis ab hinc annis in honorem Mysterii, quod illic evenisse traditur, erecta adornentur; nondum tamen hæc Loca specialibus utcumque Officiis decorari, quæ rite Mysterio ipsi conveniant, per multos nota pietate ac doctrina viros ægre ferebatur. In quorum numero, non tantum ea recenseri valent Mysteria, quæ vel solam vel nullam apud Breviarum et Missale Romanum obtinent in Dominicis aut Feriis commemorationem; sed illa etiam comprehendi, quæ licet cum aliis communiter statuta per Ecclesiam die celebrentur, exiguas tamen partes in exsistenti nunc

Officio proprias assequuntur. Ex quo non semel contingit, ut Titulares talium Ecclesiarum, secus quam in Rubricis Generalibus ordinatur, neque ullum Officium in die propria quomodocumque teneant, neque Commemorationem sibi aliquam vindicent inter Suffragia Sanctorum. Quæ omnia sunt pariter in causa, cur in die Mysteriorum aut Personarum speciatim designata nequeant divina Officia eisdem respondentia solemniter celebrari, prouti alioquin in Festis ac Peregrinationibus hujusmodi per indigenas et advenas tum pie frequentatis jam fieri consuevit.

Neque omittenda hic videntur Officia, quorum vel aliqua sæpe jam aliis Diœcesibus aut Institutis Religiosis concessa, vel unum alterumve ante Patriarchatus Latini restitutionem apud Sancta Loca a Minoritis olim recitatum ac dein immerito relictum; quoties nempe eorum Mysteria in Sanctuariis per Fratres Minores possessis acta recolantur, atque Personæ ibidem aut vitam degerint, aut mortalem cursum gloriose consummarint. Demumque his adjicienda censentur bina de Via Dolorosa Christi Domini atque de Septem Deiparæ Gaudiis Officia, quippe quæ eorum Mysteria non solum a Minoritis aliisque Christifidelibus per exercitium Calvarii ac recitationem Coronæ Franciscanæ magno cum animarum profectu et Indulgentiarum acquisitione memorantur; sed eo vel magis, quia Fratres iidem omnia generatim Sanctuaria possident, in quibus Mysteria illa locum feruntur quondam habuisse.

Itaque humillimus idem Orator cum Discretorio Sanctæ Custodiæ, annuente Ministro generali Ordinis Minorum, atque Excellentissimo Patriarcha Hierosolymitano commendante, ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus enixius deprecatur, ut Officia propria quæ supplices has Litteras sequuntur, augendæ in Sancta Loca ac Dominum Cœlitesque illa clarificantes venerationi, necnon pietati Fidelium maximeque usui Religiosorum ipsius Oratoris curæ commissorum, benignius dignetur corrigere, et correcta personis quibus expostulantur recitanda indulgere.

Quam gratiam etc.

Fr. Aurelius Briante de Buja O. F. M.
Terræ Sanctæ Custos.

# QUÆDAM OFFICIA NOVISSIMA

## PRO LOCIS TERRÆ SANCTÆ.

### I.

### DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

IN SOLEMNITATE

### INITII SIGNORUM D. N. J. C. IN CANA GALILÆÆ.

IN SANCTUARIO DUPLEX I. CLASSIS CUM OCTAVA

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS DUPLEX II. CLASSIS TANTUM. [1]

℣ *Quoties hoc Festum occurrerit in Dominica Septuagesimæ, celebrabitur Feria IV. præcedenti, et quidem apud Canam cum integra Octava, perinde ac si die sua ageretur.* [2]

IN I. VESPERIS.

*Ant.* Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. [3]

*Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis ut in I. Vesperis de Communi Apostolorum.*

*Ant.* Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias.

*Ant.* Deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.

*Ant.* Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.

*Ant.* Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

*Capitulum de Laudibus.*

HYMNUS.

Jam rerum Dominus, veste reconditus
Humani generis, dulciter annuens
Matri, cœpit opertam
Mundo promere gloriam.

Hic edens iterum cœlitus inditam
Legem, connubii fœdera consecrat,
Dum conviva jugali
Mensæ providus assidet.

Christi discipuli, Mater et inclyta
Assistunt dapibus, quo magis advolent
Vastum signa per orbem,
Claris testibus agnita.

Non actis epulis, hausta sedentibus
Inter lætitiam deficiunt mera:
Heu! quis curet, egentes
Ne sponsos rubor occupet?

At sævo metui parcite conjuges,
Nam mensis recubat Christus: hic optimæ
Motus voce Parentis,
Solamen citus afferet.

Jesu, qui rutilo primitus emicas
Terris prodigio, da pius omnibus,
Ut miracla stupentes
Auctori decus insonent.

Amen.

℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus.

℟. Et sapientiæ ejus non est numerus. [4]

---

[1] Ratio prioris circa ritum præscriptionis in eo reperitur, quia hoc mysterium est Titulus Ecclesiæ, apud Canam Galilææ in Loco Miraculi erectæ; posterioris autem, quia ex aliis Galilææ Locis et maxime e Conventu Nazarethano solemnis Peregrinatio ad idem Sanctuarium Dominica II. post Epiphaniam quotannis instituitur.

[2] Hic occurrentiæ casus evenire solum potest, cum Dominica Septuagesimæ in dies XVIII. XIX. aut XX. Januarii inciderit. Ne igitur ordo inter tria Domini miracula turbetur, utque hoc Festum prima secundum ritus sui qualitatem et eadem semper pro triplici casu die peragatur, ejus celebrationi Feria IV. post Octavam Epiphaniæ præstituitur. Hæc ordinatio confirmatur e Rubrica assignata Festo Sancti Joseph Sponsi B. M. V. post Dominicam in Albis transferendo, et præsertim ex altera in Festo Inventionis D. N. J. C. in medio Doctorum, Parmæ et alibi sub *dup. maj.* Dominica infra Octavam Epiphaniæ recolendo collocata, in qua opportune legitur: «Si dies Epiph. Dominica fuerit, festum Inventionis fiet in seq. Feria quarta, idest die IX. Januarii.» — *Cf. Appendicem Diurnalis Romani, Mutinæ anno MDCCCLXXXVI. editi.*

[3] Antiphonæ ad I. Vesperas et Laudes adhibendæ, atque prima pars in Responsoriis Matutini, ex Evangelio Joannis *Cap. II. 1–11.* semper assumuntur.

[4] Sumitur uterque e *Ps. CXLVI. 5.*, repetiturque ad primum Nocturnum et ad Tertiam, juxta solitum.

*Ad Magnificat, Ant.*

**D**eficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est. Alleluja. [1]

*Oratio ut ad Laudes.*

℣ *Et non fit commemoratio Dominicæ occurrentis, cum in ejus locum præsens Officium subrogatum fuerit.* [2]

*Ad Completorium et per omnes Horas totius Octavæ, in fine Hymnorum dicetur:*

**J**esu tibi sit gloria,
Qui magna solus efficis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. [3]
**A**men.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* **C**hristum signa operantem: * Venite adoremus.

*Ps. 90.* Venite.

HYMNUS.

**G**omus receptans inclytam
Christi Parentem gaudeas:
Hæc semper indigentibus
Amica sponte subvenit.
**E**n ipsa, corde dum pio
Vestro rubori condolet,
Suum precata Filium,
Vinum deesse præmonet.
**N**ec, qui subesse jugiter
Matri imperanti gestiit,
Audire maternas preces
Divina Proles abnuet.
**V**ocem repellat supplicis,
Subdatque Natus illico,
Sancita decreto Patris
Venisse nondum tempora:
**N**on Hæc repulsa pristinam
Spem misit, at securior
Vocans ministros, præcipit
Implere jussa Filii.
**E**xpugnat alma Virginis
Fides voluntatem Dei:
Jam vota clemens excipit,
Signumque mirum perpetrat.
**J**esu, tibi sit gloria,
Qui magna solus efficis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
**A**men.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Gloria et honore coronasti eum, Domine: et constituisti eum super opera manuum tuarum. [4]

*Ps. 8.* Domine, Dominus noster.

*Ant.* Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

*Ps. 28.* Afferte.

*Ant.* Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

*Ps. 45.* Deus noster.

℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus.

℟. Et sapientiæ ejus non est numerus.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastici. [5]

*Cap. XXXVI. 1.*

**M**iserere nostri Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum: et immite timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus quoniam non est Deus præter te Domine. Innova signa, et immuta mirabilia. Glorifica manum, et brachium dexterum. Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua.

---

[1] Hæc antiphona, quæ etiam ad *Benedictus* in Laudibus apponitur, ad II. Vesperas Dominicæ secundæ post Epiphaniam in Breviario Romano invenitur. Hujusmodi autem repetitionis exemplum, ut cætera taceantur, occurrit in Festo Sancti Martini Episcopi et Confessoris sub die XI. Novembris celebrando.

[2] Confirmatur hæc regula non solum e Festis Paschatis et Pentecostes, in quibus nulla commemoratio Dominicæ jubetur; sed etiam clarius e Rubrica quæ in eodem Festo Inventionis D. N. J. C. in medio Doctorum invenitur, in qua legitur: « Sed plane omittitur commem. de Dominica. » *Cf. Appendicem Diurnalis Mutinensis superius citatam.*

[3] Hæc conclusio ex Hymno ad I. Vesperas Sancti Didaci Conf. I. Ordinis apud Breviarium Romano-Seraphicum sub die XII. Novembris, sumpta fuit.

[4] Antiphonæ ad Matutinum semper e subjecto Psalmo eliguntur, juxta frequentiora et laudabiliora exempla Breviarii Romani. — *Cf. P. Aloysii de Carpo* Comp. Bibl. Liturg. *part. II. num. 34.*

[5] Hæ Lectiones e Libro Ecclesiastici desumptæ, videntur mysterio satis respondere, suntque aptiores quæ inveniri potuerunt.

℟. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi: * Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias.

℣. Accesserunt ad convivium: sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. [1] — Vocatus.

LECTIO II.

*Cap. XLII. 15.*

Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus. Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus. Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? Abyssum, et cor hominum investigavit: et in astutia eorum excogitavit. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum et usque in sæculum, neque adjectum est, neque minuitur, et non eget alicujus consilio. Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tamquam scintilla, quæ est considerare! Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

℟. Deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: * Vinum non habent.

℣. Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi: aperi oculos tuos, et vide. [2] — Vinum.

LECTIO III.

*Cap. XLIII. 28.*

Propter ipsum confirmatus est itineris finis, et in sermone ejus composita sunt omnia. Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et admirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.

℟. Dicit matri Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? * Nondum venit hora mea.

℣. Attende Domine, et fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus. [3] — Nondum. Gloria Patri. — Nondum.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* Benedicite Gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus.

*Ps. 65.* Jubilate.

*Ant.* Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.

*Ps. 71.* Deus, judicium.

*Ant.* Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

*Ps. 76.* Voce mea.

℣. Venite, et videte opera Domini.

℟. Quæ posuit prodigia super terram. [4]

LECTIO IV.

Sermo sancti Maximi Episcopi. [5]

*Homilia XXIII. de Epiphania Domini VII.*

Dominus noster, dilectissimi, invitatus vadit ad nuptias, non utique ut conviviis delectetur, sed ut mirabilibus innotescat. Vadit ad nuptias, non sumpturus pocula, sed daturus; nam cum defecisset nuptiantibus vinum, ait illi beatissima Maria: Vinum non habent. Cui velut indignans respondit Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Nec tamen piguit benignissimum Dominum,

---

[1] Versus e libro Tobiæ *Cap. IX. 9.* accipitur. In isto autem Officio, hæc jugiter servata est regula, ut Responsoriis de novo Testamento, versus de antiquo contexantur; quam componendi praxim, et alteram eidem e converso respondentem, laudat P. Aloysius de Carpo, in exemplum ponens Officium Sanctissimi Corporis Christi a divo Thoma redactum. — *Cf. ejusd. Auctoris* Comp. Bibl. Liturg. *part. II. num. 65.*

[2] Accipitur e libro Danielis *Cap. IX. 18.*

[3] Sumitur ex eodem Propheta Daniele *Cap. IX. 19.*

[4] Uterque accipitur e libro Psalterii *Ps. XLV. 9.*, et ejus verba ad Tertiam et Sextam quoque adhibentur.

[5] Textus sequentium Lectionum e Sancti Maximi verbis confectarum, habetur apud Migne *Patrologiæ Latina*, tom. LVII. pag. 274-276., et codicibus ibi ad calcem notatis aliquando corrigitur et suppletur.

dum magna veniunt, parva præstare; ideo venerabilis Maria et vere ut mater Domini in spiritu ventura prænoscens, ac dominicam prævidens voluntatem, sollicite ministros admonuit, dicens: Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciebat profecto mater sancta objurgationem illam Domini filiique sui non irascentis offensam prætendere, sed miserationis portare mysterium. Tunc Dominus increpatæ matris relevans pudorem, suamque jam aperiens majestatem, exspectantibus ait ministris: Implete hydrias aqua. Nec mora obsequium suum obediens minister exhibuit: et ecce repente aquæ illæ cœperunt mirabiliter fortitudinem sumere, ducere colorem, odorem præbere, saporem concipere, totamque simul mutare naturam. Quæ permutatio aquarum a sua in aliam naturam, præsentis Creatoris est testata virtutem. Neque enim quisquam convertere aquas in usus posset alios, nisi ille qui eas fecit ex nihilo. [1]

℟. **D**icit mater Jesu ministris: * Quodcumque dixerit vobis, facite.

℣. Quia omne, quod voluerit, faciet: et sermo illius potestate plenus est. [2] — Quodcumque.

LECTIO V.

Stupuit ergo minister attonitus, qui aquas miserat, et vina sumebat; lætatusque est nimium illa se suis humeris fluenta portasse, per quæ Dei esset gloria revelata. Nemo enim quidquam locutus est in tempore: hydriis præter aquam nihil adjectum: ars nulla conducta est: et tam grande miraculum inter pavida circumstantium silentia, sola tantum voluntas Domini tacentis effecit. Nec dubitandum, charissimi, quia ipse aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio concrevit in nives, duravit in glaciem, Ægyptiis vertit in sanguinem, et Hebræis sitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum stillicidio novi fontis, vice maternorum uberum, nutriebat. Quid primum stupeas, quid mireris, vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te, quicumque inter ista cunctaris, infidelitas turbet, quod dubium non est ad nutum Creatoris creaturarum elementa pendere: aut cur non credamus virtute dominica vinum fieri potuisse de aqua, cum nobis, operante Deo, fomentis imbrium, terræ de gremio per ministerium vinearum aqua surgat in vinum?

℟. **D**icit ministris Jesus: * Implete hydrias aqua, haurite, et ferte architriclino.

℣. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. [3] — Implete.

LECTIO VI.

Hoc, inquit Evangelista, fecit Jesus initium signorum in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. Crediderunt discipuli non utique hoc quod fieri cernebant, sed illud quod carnalis videre non possit aspectus. Crediderunt non quod Christus Jesus filius esset Virginis, quod sciebatur; sed quod idem Unigenitus esset Altissimi, quod in opere probabatur. Unde et nos, fratres, toto corde credamus ipsum esse Dei filium, quem filium hominis confitemur. Credamus illum et nostræ consortem naturæ, et paternæ substantiæ coæqualem: quoniam et nuptiis interfuit ut homo, et aquas in vina mutavit ut Deus. Quatenus fidei hujus merito nos etiam Dominus noster sobrio illo gratiæ suæ vino propitius potare dignetur: [4] cui cum Patre et Spiritu sancto potestas et imperium per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℟. **G**ustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset; * Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam.

℣. Magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum. [5] — Ministri.

Gloria Patri. — Ministri.

---

[1] Initio hujus IV. Lectionis textus interruptim assumitur, ut brevitati consulatur, et omnes tres inter se Lectiones cohæreant, aditusque præcludatur difficultati quæ ex verbis Maximi sequentibus, licet in bonam partem ex contextu facile accipiendis, oriri tamen prima fronte posset: « *Quid mihi et tibi est, mulier?* Hæc verba indignantis esse quis dubitet? Sed idcirco, ut reor, quia tam temere ei Mater defectum carnalis poculi suggerebat, etc. »

[2] E libro Ecclesiastæ *Cap. VIII. 3.*

[3] Ex Isaia Propheta *Cap. LV. 11.*

[4] Ab hoc puncto usque in finem Lectionis, textus suppletur e codice Vaticano, qui in editione Migne *loc. cit.* sub nota *n.* indicatur.

[5] E libro Ecclesiastici *Cap. XVII. 11.*

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

*Ps. 85.* Inclina.

*Ant.* Annuntiate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

*Ps. 95.* Cantate.

*Ant.* Notum fecit Dominus Salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

*Ps. 97.* Cantate.

℣. Ipsi viderunt opera Domini.

℟. Et mirabilia ejus. [1]

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. [2]

*Ex Tractatu VIII. in Joannem.*

Quis est qui considerat opera Dei, quibus regitur et administratur totus hic mundus, et non obstupescit, obruiturque miraculis? Sed quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent quotidie laudem Creatori; servavit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, ut tamquam dormientes homines ad se colendum mirabilibus excitaret. Priora miracula fecit per Verbum suum Deum apud se; posteriora fecit per ipsum Verbum suum incarnatum. Cum ergo tanta videamus facta per Deum Jesum, quid miramur aquam in vinum conversam per hominem Jesum? Ipse fecit hoc, qui illa omnia.

℟. Vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: * Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

℣. Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis? [3] — Omnis.

LECTIO VIII.

Excepto miraculo, aliquid in ipso facto mysterii et sacramenti latet. Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Verbum enim, sponsus; et sponsa, caro humana: et utrumque unus Filius Dei, et idem Filius hominis. Uterus Virginis Mariæ thalamus ejus; inde processit tamquam sponsus de thalamo suo. Certi sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, et dicere illi: Quid mihi et tibi est, mulier? Miraculum exigebat mater: at ille non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina, tamquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuisti; divinitatem meam non tu genuisti: sed, quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in Cruce: hoc est enim, Nondum venit hora mea.

℟. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: * Et manifestavit gloriam suam, * Et crediderunt in eum discipuli ejus.

℣. Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit. [4] — Et manifestavit.

Gloria Patri. — Et crediderunt.

LECTIO IX.

*Ex Tractatu IX.*

Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, et dicentes quod malum essent nuptiæ, et quod diabolus eas fecisset. Nec illæ quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsæ pertinent ad nuptias, cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias; ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur Sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat.

Te Deum.

---

[1] Sumitur uterque e Psalterii libro *Ps. CVI. 24.*, et de more repetitur ad Laudes, Nonam, et II. Vesperas.

[2] Hæc pulcherrima Homilia, sparsim ex duobus Sancti Augustini Episcopi Tractatibus in Joannem delecta, e sublato Breviario Parisiensi huc transfertur, ut per legitimæ Auctoritatis approbationem, quæ illi defuit Breviario, nunc valeat recitari.

[3] De Ezechiele Propheta *Cap. XXIV. 19.*

[4] E Psalteri libro *Ps. LXXVII. 4.*

## AD LAUDES

### ET PER HORAS. [1]

*Ant.* Dicit ministris Jesus: * Implete hydrias aqua; et impleverunt eas usque ad summum. [2]

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* Et dicit eis Jesus: * Haurite nunc, et ferte architriclino; et tulerunt. Alleluja.

*Ant.* Gustavit architriclinus * aquam vinum factam, et non sciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam. Alleluja.

*Ant.* Ego Dominus Deus eorum, et exaudiam eos: lætabitur cor eorum quasi a vino: et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino. [3] Alleluja.

*Ant.* Vocat sponsum * architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

### CAPITULUM. [4]

*Ps. CXLIV. 4.*

Generatio et generatio laudabit opera tua, Domine, et potentiam tuam pronuntiabunt: magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.

### HYMNUS.

Jubente Christo, servuli
Aquis adimplent hydrias:
Quibus potenti numine
Humor novellus prodiit.
Auctoris ad nutum sui
Natura obedit ocyor:
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem. [5]
Versi liquores affatim
Cunctos sedentes recreant:
Inesse convivæ mero
Novum saporem sentiunt.
Latere portentum vetant
Lymphis replentes hydriam:
Cunctis revelant, ingerunt
Alte stuporem mentibus.
Christi diserte gloriam
Patrata signa prædicant:
Mirantur omnes, et suo
Magistro adhærent asseclæ.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui magna solus efficis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Crediderunt verbis ejus. Alleluja.
℟. Et laudaverunt laudem ejus. [6] Alleluja.

*Ad Benedictus, Ant.*

Deficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est. Alleluja.

### ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui ad revelandam mortalibus gloriam tuam nuptiali convivio interesse, et aquam in vinum convertere voluisti: corda nostra, quæsumus, igne tuæ charitatis immuta; ut in novitate vitæ ambulantes, ad æternas mereamur nuptias pervenire: Qui vivis.

## AD PRIMAM.

*In ℟. brevi, per totam Octavam, dicitur:* ℣. Qui facis mirabilia solus. [7]

## AD TERTIAM.

*Capitulum.* Generatio, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Magnus Dominus noster, ¶ et magna virtus ejus: * Alleluja, alleluja. — Ma-

---

[1] Ad Laudes et per Horas admittitur *Alleluja,* ubicumque ista gaudii vox habetur in Solemnitate dominicæ Epiphaniæ, ad quam hoc Festum reducitur, ut ipsa per illud apte compleatur. Quod Festi illius complementum ab Ecclesia quoque intentum videtur, dum Baptismum Christi ejusque initium Signorum, quæ ob omnes fere partes Christo per Magos adorato concessas, in die Epiphaniæ parum culta fuerant; statuit ut utrumque successive mysterium in die Octava ac Dominica I. post eam solemnitatem magis explicite celebretur. — *Cf. P. Aloysii de Carpo* Comp. Bibl. Liturg. *part. III. num. 80. et 86.*

[2] Antiphonæ Laudum historiam prosequuntur in antiphonis ad I. Vesperas inchoatam, licet alia ratione, jam Resposoriis Matutini completa ipsa fuerit; quod optimo jure fieri ex multis Breviarii locis comprobatur, et signanter ex Festis Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum, et Sancti Raphaëlis Archangeli sub die XVII. Februarii et XXIV. Octobris respective in Appendice ad Typicum collocatis. Cæterum, idem Pater Aloysius de Carpo ex approbatis Officiis jam notaverat, minime opus esse ut vel in ipsis Antiphonis historiæ series observetur. — *Cf. ejusd. Auctoris* Comp. Bibl. Liturg. *part. II. num. 27.*

[3] De Zacharia Propheta *Cap. X. 6.*

[4] E Psalmis etiam Capitula fiunt, ut ad Nonam Festi de Sacratissimo Corde Jesu a Minoritis agendo conspicitur.

[5] Duo postremi hujus strophiæ versus ex hymno ad Vesperas Epiphaniæ Domini recitando assumuntur.

[6] In versibus hujus Officii disponendis servatus est ordo logicus idearum, non autem ordo Psalmorum numeralis; et hujusmodi exempla in Festis Breviarii Romani passim occurrunt.

[7] Ex libro Psalterii *Ps. LXXI. 18.*, ubi legitur: «Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.»

gnus. — ℣. Et sapientiæ ejus non est numerus. — Alleluja. — Gloria Patri. — Magnus.

℣. Venite, et videte opera Domini. Alleluja.

℟. Quæ posuit prodigia super terram. Alleluja.

¶ *Post Septuagesimam* ℟℟. *brevia dividuntur ad hoc signum* ¶, *ubique omissis* Alleluja.

## AD SEXTAM.

CAPITULUM.

*Ps. CXLIV. 11.*

Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam Domine, loquentur: ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.

℟. *br.* **V**enite, ¶ et videte opera Domini: * Alleluja, alleluja. — Venite. — ℣. Quæ posuit prodigia super terram. — Alleluja. — Gloria Patri. — Venite.

℣. Ipsi viderunt opera Domini. Alleluja.

℟. Et mirabilia ejus. Alleluja.

## AD NONAM.

CAPITULUM.

*Ps. CXLIV. 18.*

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.

℟. *br.* **I**psi viderunt ¶ opera Domini: * Alleluja, alleluja. — Ipsi. — ℣. Et mirabilia ejus. — Alleluja. — Gloria Patri. — Ipsi.

℣. Crediderunt verbis ejus. Alleluja.

℟. Et laudaverunt laudem ejus. Alleluja.

## IN II. VESPERIS.

*Ant.* Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo, dicit Dominus. [1]

*Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Ps. 144.* Exaltabo.

*Ant.* Venit ergo Jesus in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. [2] Alleluja.

*Ant.* Ego Dominus loquar: et quodcumque locutus fuero verbum, fiet. [3]

*Ant.* Stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. [4]

*Ant.* Oculi vestri videbunt, et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israël. [5] Alleluja.

*Capitulum de Laudibus.*

HYMNUS. [6]

Aurorda, Christe, qui superno
Igne promptus erudis:
Nos priora concinentes
Signa, mitis aspice;
Mente fac ut assequamur
Quod per illa denotas.

**Q**uando vina ducis albo
E liquore fontium:
Nos in orbe gestiamus
Te videre, Conditor;
Atque digna gratiarum
Personare cantica.

**M**ira ob acta dum sequaces
Obstupere cernimus:
Nos amanter audiamus
Quod Magister edoces,
Prosequamur et fideles
Te salutis Auspicem.

**F**actor alme, qui potenti
Voce cuncta dirigis:
Nunc benignus innovari
Pectus omne jubeas,
Ut queamus ad beatas
Pervenire nuptias.

**V**irgo celsa, quæ tuorum
Vota sponte percipis:
Te rogamus, ut perenni
Nos amore Filii
Des inuri, et usque flammam
Charitatis augeas.

**E**rgo Nate, qui corusca
Signa solus efficis,
Laudet axis, atque tellus
Te recantet æmula,
Cum Parente et almo utrimque
Prodeunte Flamine.

Amen.

---

[1] Ex libro Isaiæ Prophetæ *Cap. XXIX. 14.*

[2] Ex Evangelio Joannis *Cap. IV. 46.*

[3] Ex libro Ezechielis Prophetæ *Cap. XII. 25.*

[4] Ex Evangelio Lucæ *Cap. V. 26.*

[5] Ex Malachiæ Prophetæ libro *Cap. I. 5.*

[6] Hymnus iste pedibus ubique trochæis est compositus: quam metri puritatem correctores advertant, ut eam, si ita eisdem placuerit, servent in hujus Hymni emendationibus quas erunt facturi.

℣. Crediderunt verbis ejus. Alleluja.
℟. Et laudaverunt laudem ejus. Alleluja.

*Ad Magnificat, Ant.*

Fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. [1] Alleluja.

*Oratio ut ad Laudes.*

¶ *Lectiones trium Nocturnorum pro diebus infra Octavam, hic non apponuntur, quoniam jugiter agendum est de Festo occurrente:* [2] *commemoratio autem ipsius Octavæ, ob peculiarem relationem quam habet cum mysterio Loci, numquam omittitur, cujusvis ritus sit Festum infra illam occurrens.* [3]

---

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

IN DIE OCTAVA

# INITII SIGNORUM D. N. J. C. IN CANA GALILÆÆ.

IN ECCLESIA TITULARI

DUPLEX.

*Omnia dicuntur ut in die Festi, præter sequentia:* [4]

ORATIO. [5]

Domine Jesu Christe, qui in honorem Genitricis almæ, signum mirabile ante horam tuam operari voluisti: concede propitius; ut quæ pro nostra indignitate obtinere non possumus, ejusdem Virginis suffragio, consequamur: Qui vivis.

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente accipiuntur.* [6]

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardini Senensis. [7]

*Ex Sermone IX. de Visitatione.*

Subdamus Beatæ Virginis illam amoris flammam, quæ est amoris compatientis: qua spiritualis vini defectus in mundo regnans compassive sentitur, et dilectio insinuatur. Hoc est igitur illud verbum admirandæ compassionis et pietatis, quod dulcissima Mater Christi, et advocata nostra, et in terris et in cœlis, pro nobis miserabilibus et infirmis, tamquam pia mater pro filiis suis undique

---

[1] Ex Evangelio Joannis *Cap. II. 11.*

[2] Omnes enim sedes a die XIV. ad XX. Januarii, quibus hoc Festum occurrere solummodo potest, ab Officiis sub ritu semiduplici et ampliori præceptive celebrandis, perpetuo sunt impeditæ.

[3] Si enim de Octava Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Romæ agitur commemoratio singulis Octavæ diebus, quocumque Festo occurrente, ob arctiora vincula quibus Apostolorum Principes cum Urbe devinciuntur; conveniens pariter omnino erit ut per totam Octavam saltem commemoratione celebretur primum Christi miraculum in loco apud Canam Galilææ, ubi Jesus initium fecisse signorum ex traditione comprobatur. — *Cf. Decr.* Urbis et Orbis, *die 5 Julii 1883.*

[4] Quum in die Festo Officium circa Dominum unice versetur, conveniens visum fuit, ut in die Octava Lectiones II. et III. Nocturni atque Oratio Beatissimam Virginem propius considerarent, utpote quæ ad illas nuptias efficaciam sui pro nobis interventus ostendit. Hujusmodi reparatæ omissionis exempla occurrunt in Festis approbatis, et præsertim in Circumcisione, ubi per Ecclesiam plures Officii partes et omnes Missæ Orationes Beatæ Virgini assignantur, ut saltem (ni fallimur) in die Octava Deiparam recolamus, quæ licet partes suas in dominica Nativitate habuerit, in die tamen illius Festi, ob splendorem Dei in carne nascentis, quodammodo fuerat neglecta. Idemque, alia parum ratione, fit die XIII. Januarii et VI. Julii; ubi respective Baptismus Domini et Doctor Gentium in die Octava distinctius quam in Festo celebrantur.

[5] Dies Octava, nulla etiam intercedente causa, aliam atque in Festo Orationem habere posse, exemplis in Breviario Romano sub die II. Januarii, ac XVII. Augusti occurentibus, manifeste comprobatur.

[6] Assignantur Lectiones de Scriptura occurrente, uti fit in ipsa die Octava Epiphaniæ Domini.

[7] Sermo unde harum textus Lectionum sumebatur, inter Opera Sancti Bernardini Senensis Lugduni anno Christi MDCL. edita, tomo IV. pag. 116. invenitur, adhibitusque partim jam fuit ad conficiendas Lectiones II. Nocturni in Festo Purissimi Cordis B. M. V., Dominica post Octavam ejus Assumptionis a Minoritis recolendo.

deplorandis, dicit dilecto Primogenito suo: Vinum non habent. Non quidem ut nos accuset, aut nobis improperet, sed potius ut Christum ad piam miserationem erga nos inducat; et ut nobis impetret vinum optimum et copiosum divinorum saporum, et ebrietatum, atque omnium virtutum, quæ nobis sunt necessariæ ad salutem. [1]

℟. **D**icit mater.

LECTIO V.

Voluit mystice ostendere prudentissima Mater piissimo Filio suo Jesu: quod claritatem cognitionis suæ personæ, et dulcorem refectionis divinitatis æternæ, et vigorem sublimitatis ejus potentiæ non noverat mundus. Proinde supplicabat, quod intellectum squallentem illustraret, affectum desipientem immutaret, et effectum deficientem roboraret. Hoc est quod talia opera faceret, quod illuminaret ad fidem, erigeret ad spem, et accenderet ad charitatem. Noverat Virgo Mater omnem creaturam subjacere defectui, ab inopia expugnari, debitam non habere lætitiam, turpissimis subjacere pudoribus, atque ex defectu veri boni confundi, dum in perfunctoriis mundi, quasi in nuptiis delectatur; quamobrem intercessit ad Filium Dei: Vinum non habent. [2]

℟. **D**icit ministris.

LECTIO VI.

Non faciens ipsorum memorem, qui omnia novit: sed interpellans Virgo Mater locuta est, ac si ad eam cura omnium pertineret; et omnium hominum advocatam se sentiens, quæ pro omnibus creaturis cunctorum facta fuerat Virgo mater, officium advocationis, et piæ auxiliatricis assumpsit, cum videret inopiam; ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis suæ in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, et se cunctorum hominum matrem pietatis agnoscens, sollicita pro filiis irrequisita etiam ad Dei Filium intercessit, dicens: Vinum non habent. Si hoc non rogata perfecit, si hoc viatrix exsistens: quid cum regnat in patria? Si hoc apud Filium, temporali morti subjectum: quid cum mortem superavit, carnem immortalem revocavit a tumulo, collocavit in cœlo, paternam sedet ad dexteram, tenens imperium universorum? [3]

℟. **G**ustavit.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventuræ Episcopi. [4]

*Commentario in Joannem Cap. II.*

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Non dicitur quod fuerit vocata, quia ratione affinitatis ivit tamquam officiosa, sicut etiam abiit in montana ad Elisabeth ad serviendum ei, ut dicitur Lucæ primo. Ratione hujus, vocatus fuit etiam Dominus. Et tangitur miraculi impetratio, quæ facta est a Matre miserante sponsi inopiam. Propterea dicit Evangelista: Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum, Vinum non habent; quasi dicat: Tua abundantia supple eorum inopiam. Sciebat enim, quod esset dives in misericordia et potentia, quamvis appareret egenus; secundæ ad Corinthios octavo: Cum esset dives in omnibus, factus est pro nobis egenus. [5]

℟. **V**ocat.

---

[1] Quoniam Lectiones Nocturnorum, licet propius Beatam considerent Virginem, tamen ad Mysterium diei Festi semper referuntur; bene eisdem subjici possunt Responsoria Solemnitatis, cæteræque illius partes adjungi. Hæc omnia abundantius confirmata manent ex die Octava Epiphaniæ, ubi Lectiones sex de Baptismo Domini cum Responsoriis de adoratione Magorum, minori certe congruentia quam in præsenti casu, sociantur.

[2] Initio hujus V. Lectionis convenienter omissa videntur verba, alioquin ad sensus integritatem haud necessaria: «Cum enim in vino sit splendor, dulcor, calor: splendor coloris, dulcor saporis, et calor vigoris, quæ omnia tolluntur ab aqua, *Voluit.*»

[3] Textus trium Lectionum præcedentium integre ex Editione Lugdunensi superius citata desumitur; præter verba «*sextam* amoris flammam» initio Lectionis IV. posita, quæ in alia «*illam* amoris flammam», cum de quinque præcedentibus actum haud fuerit, commutari debuerunt.

[4] Hoc Seraphici Doctoris in Joannem Commentarium, novissime inter Opera Omnia S. Bonaventuræ vol. VI. pag. 269. anno Domini MDCCCXCIII. ad Claras Aquas (Quaracchi) edebatur.

[5] Initio hujus VII. Lectionis atque in fine IX. textus aliqua interruptione sumitur, ad brevitatem, quod fieri possit, sectandam. In hujus autem Lectionis decursu ante medium adduntur verba, quæ litteris italicis leguntur in phrasibus «*Et* tangitur» ac «Propterea dicit *Evangelista*»: prima quidem vox, ut intimior Orationis nexus habeatur; altera autem, quæ jam subintelligitur, ut claritas procuretur.

LECTIO VIII.

Sed Dominus innuens Matri quod non poterat hoc ipsa præcipere secundum quod mater, nec ipse facere secundum quod ejus filius, nec debebat facere, nisi cum adesset tempus proprium; hinc sequitur: Et dicit ei Jesus, Quid mihi et tibi est, mulier? Glossa: Id est, quæ natura est mihi et tibi communis, secundum quam hoc faciam? Mulierem vocat, non a fragilitate, sed a natura et sexu. Hæc enim est illa mulier, de qua Proverbiorum ultimo: Mulierem fortem quis inveniet? Quasi dicat: Hoc petere potens es ut sancta mulier, non præcipere ut mater, nec adhuc oportet facere. Nondum venit hora mea, idest meæ clarificationis et passionis, de qua infra decimoseptimo: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.

℣. **H**oc fecit.

*Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis, de qua et in utrisque Vesperis ac Laudibus agetur juxta Rubricas Commemoratio.*

℟ *Si de die Octava hujus Festi agi contigerit extra Dominicam, neque alia sit IX. Lectio de Sanctis aut de Homilia, erit sequens.*

LECTIO IX.

Sed mater sciens, hanc responsionem non esse ex indignatione, sed ex humilitate et instructione, fiducialiter præcipit; unde sequitur: Dicit Mater ejus ministris, Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciebat enim quod posset, sciebat etiam quod sciret, sciebat quod vellet, quia semper ei obediebat; unde Lucæ secundo: Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis, Jesus scilicet parentibus; et ex hoc certa erat quod faceret. Ideo dicit: Quodcumque dixerit vobis facite, tamquam boni ministri, ut miraculum consequamini. Facite, quodcumque dixerit vobis; non diffidatis; infra undecimo: Si credideris, videbis gloriam Dei.

**T**e Deum.

℟ *Festum vero Sanctæ Familiæ, quod hac Dominica per diem Octavam perpetuo impeditur, sequenti Feria V. tamquam die propria quotannis celebrabitur.* [1]

---

# APPENDIX

## CONTINENS PARTES QUÆ JAM POSITIS SUBROGARI POSSENT.

## A.

*Alius Hymnus pro I. Vesperis Festi Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ.* [2]

HYMNUS.

Summi Parentis Filius
Mortali amictus tegmine,
Se jam revelans, incipit
Monstrare signis gloriam.
Qui nuptiarum fœdera
Legi ut reducat pristinæ,
Et sacra reddat, nuptiis
Conviva clemens assidet.
Christi sequaces et pia
Mater recumbunt, lumine
Ut clariore fulgeant
Patranda mox miracula.

Nondum peractis jam merum
Mensis deesse cernitur;
Casusque tristis illico
Mœrore sponsos afficit.
At vos timori parcite,
Beatiores hospites:
Parentis ad vocem suæ,
Christus levamen afferet.
Jesu tibi sit gloria,
Qui magna solus efficis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

---

[1] Festa Dominicis aut Feriis consignata, si perpetuo impediantur, essent quidem ad aliam diem fixe transferenda, uti e S. R. C. Decreto *12 Apr. 1741 in Vilnen. ad 3.* deducitur; at legitima Auctoritas humiliter exoratur, ut permittat Festum Sanctæ Familiæ propius diem suam quam possit et mobili sede celebrari, ne prima die vacua nempe XXVII Februari recultum, frequentius impediatur cum modica spe illud qua secundarium transferendi, et ne alioquin sedes liberæ quæ in Breviario Romano-Seraphico perpaucæ nunc sunt, perpetua hujus Officii repositione minuantur.

[2] Hymnus iste metro jambico dimetro compositus, eadem continet sensa, ac Hymnus metro Asclepiadæo (ut dicunt) *quarto* effectus, qui jam pro I. Vesperis pag. (1) assignatus fuit. Si igitur posterior hic metrus Asclepiadæus, qui tamen pro duobus Hymnis Sancti Hermenegildi in Breviario Romano sub die XIII. Aprilis jam admittitur, non placeat; posset, etsi cum aliquo detrimento, hæc mensura jambica usitatior adhiberi.

## B.

*Aliæ Lectiones II. et III. Nocturni pro die Octava Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ.* [1]

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Maximi Episcopi. [2]

*Sermo. IX. de sancta Epiphania III.*

Requiramus igitur, fratres charissimi, quod signum operatus sit Christus Dominus, ut divinitatem suam populis declararet. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, ut aquam mutaret in vinum. Magnum plane signum, et ad Dei credendam sufficiens majestatem. Quis enim non miretur in aliud, quam erant, elementa esse translata? Nemo enim potest mutare naturam, nisi qui Dominus est naturæ. Credendum est jam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem posse converti, quando vilis substantia in pretiosam est conversa substantiam. Nolo enim, auditor, nomina tantum perspicias vini et aquæ; sed si vis Salvatoris potentiam comprobare, virtutem rerum aspice. Tanto enim hoc altius nescio quid demonstratur. Nam cum Dominus aquam vertit in vinum, non tantum hoc operatur, ne discumbentibus desit ebrietas [3], sed ut credentibus abundet æternitas.

℟. Dicit mater.

LECTIO V.

Siquidem propterea in mundum venit Christus, non ut convivarum cellaria procuraret, sed ut saluti hominum provideret; nec ut hydrias substantia boni odoris impleret, sed ut animas gratia sancti Spiritus irrigaret. Ergo, cum ex illa vili aqua vini optimi saporem voluit gustare convivas, magis voluit ex hac vili carne Resurrectionis cœlestis sapientiam gustare credentes. Nam hoc signo totum utique Resurrectionis mysterium continetur. Aqua enim vilis, pallens et frigida in vinum versa, scilicet pretiosum, rubeum vel ignitum, hoc significat hominis substantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigescentem, in Resurrectionis gloriam commutandam, quæ est æternitate pretiosa, gratiâ colorata, spiritu immortalitatis ignita.

℟. Dicit ministris.

LECTIO VI.

Hoc igitur dignum est credere, Dominum operari voluisse, ut per hoc terrenum signum, futurum jam tunc a sapientibus cœleste mysterium videretur. Nam si mirabile est utique quæ defecerant conviviis vina supplesse, quanto est mirabilius vitam, quæ est exhausta, hominibus reparasse? Et si gloriosum est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in justitiam commutare, et mores potius temperare, quam pocula? Audeo dicere illas hydrias, non solum illi convivio, sed universo mundo pretiosam illam ministrare substantiam, nisi quod nobis melius administrant. Constat enim ex ipsis vasculis illos hausisse ebrietatem; nos haurire justitiam. Illos percepisse vini poculum, nos calicem salutis accipere; et si dici fas est, apud illos pertransisse quod biberant, apud nos vero permanere quod sumpsimus [4], præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

℟. Gustavit.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. II. 1.*

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi. [5]

*Homilia XXII. alias XXI. in Joannem.*

Gustavit architriclinus aquam vinum factam. Talia sunt Christi miracula, quæ res naturales præstantia longe superent. Sic et in aliis quoque, quando membrum distortum restituit, sanioribus validius effecit. Quod ergo vinum, et vinum optimum illud esset, non modo ministri, sed et architriclinus et sponsus testificaturi erant; quod autem a Christo factum esset, qui aquam hauserant. Ita ut etsi tunc miraculum non revelatum fuisset, non ad finem usque sileri posset: sic multa necessariaque præmittebantur in futurum tempus testimonia. Quod enim aquam vinum fecisset, ministros testes habuit: quod bonum vinum esset, architriclinum et sponsum. Verisimile est et sponsum aliquid ad hæc respondisse: verum Evangelista ad magis necessaria properans, hoc tantum recensito signo, cætera prætermisit.

℟. Vocat.

---

[1] Sequentes Lectiones idcirco hic in Appendice referuntur, ut valeant absque ulla difficultate haberi præ manibus, si etiam dies Octava *unice* ut Festum Domini considerari velit, et non etiam ut Beatæ Mariæ Virginis, quemadmodum pag. (8–10) hujus operis reputatur. Hoc in casu Oratio ex die Festi consequenter foret accipienda, quippe quod Oratio propria diei Octavæ solum intuitu Deiparæ distincta ponebatur.

[2] Textus harum e Sancto Maximo Lectionum legitur *Patrologia Latina*, tom. LVII. pag. 550–552., et variis codicibus ad notas indicatis, prouti sensus et contextus requirere videbantur, correctus fuit et expletus.

[3] Sanctus Maximus, ut optime observatur in nota *i* pag. 550. apud Migne *loc. cit.*, vocem *ebrietatis*, in hac Lectione et VI. inferius apposita occurrentem, usurpavit pro verbo *satietatis*; uti etiam in Evangelio Joannis *Cap. II. 10.* dicitur, *Et cum inebriati fuerini*, pro eo ut dicatur, *Et cum satiati.*

[4] Hæc sermonis conclusio, Auctori satis familiaris, in codice sub nota *a* primis tantum verbis pag. 551. indicata, occurrit integra in Sermone I. ejusdem Sancti Maximi Apud Migne *Ibid.* pag. 534.

[5] Textus, e quibus tres Lectiones sequentes efformatur, legi potest in duabus Chrysostomi Homiliis, quæ apud Migne, *Patrologia Græca* tom. LIX. pag. 136. et 139. editæ fuerunt.

LECTIO VIII.

Necessarium quippe erat ut sciretur ipsum aquam in vinum mutavisse; quid vero architriclino sponsus responderit, referre necessarium non putavit. Multa quippe signa primum obscuriora, progressu temporis clariora facta sunt, iis accurate narrantibus qui a principio viderant. Tunc igitur vinum ex aqua fecit Jesus; tunc et nunc voluntates molles et dissolutas in melius mutare non desinit. Sunt enim, sunt, inquam, homines qui nihil ab aqua differunt; ita sunt frigidi, molles, et numquam consistentes. Illos autem, qui sic affecti sunt, ad Dominum adducamus, ut illorum voluntatem in vini conditionem mutet, ut non ultra diffluant, sed solidiores sint, ac tum sibi tum aliis lætitiæ causa evadant.

℟. Hoc fecit.

*Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis, de qua et in utrisque Vesperis ac Laudibus agetur juxta Rubricas commemoratio.*

℣ *Si de die Octava hujus Festi agi contigerit extra Dominicam, neque alia sit IX. Lectio de Sanctis aut de Homilia, erit sequens.*

LECTIO IX.

*Homilia XXIII. alias XXII.*

Quomodo ergo manifestavit Jesus gloriam suam? Quantum in ipso erat. Quod si non tunc, certe postea omnes miraculum auditurî erant: nam ad hoc usque tempus celebratur, nec latet. Quod autem illo die non omnes id noverint, ex sequentibus palam est. Postquam enim Evangelista dixerat: Manifestavit gloriam suam; subdit: Et crediderunt in eum discipuli ejus, qui prius mirabantur. Viden' tunc maxime necessarium fuisse ut miracula ederentur, cum probi homines, qui dictis attendebant, aderant? Hi enim et facilius creditûri erant, et gesta accurate observaturi. Et quomodo notus fuisset sine miraculis? Certe satis erant doctrina, et prophetia cum miraculo conjuncta, ut ea in auditorum animos insinuarent, ut jam assueti, gestis rebus cum affectu attenderent. Ideo alibi sæpe dicunt Evangelistæ, ipsum non edidisse signa, propter hominum illorum perversitatem.

Te Deum.

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

IN SOLEMNITATE

## INITII SIGNORUM D. N. J. C. IN CANA GALILÆÆ.

AD MISSAM. [1]

**Introitus.** *Ps. CXLIV. 4.*

Generatio, et generatio laudabit opera tua: *et reliqua omnia ut in Missa CX. apud Missale votivum Terræ Sanctæ, quæ pag. 165. ejusdem Operis collocatur.*

℣ *Infra Octavam Missa fit iugiter de Sanctis occurrentibus, addito quotidie Symbolo, facta ejusdem Octavæ Commemoratione cujuscumque ritus sit Festum quod per eam agitur,* [2] *adhibitaque Præfatione Epiphaniæ quoties propria non habeatur. Et in Semiduplicibus, quoties in Officio diei alia non fuerit jussa Commemoratio, in Missa dicitur tertia Oratio de Sancta Maria* Deus qui salutis.

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM

IN DIE OCTAVA

## INITII SIGNORUM D. N. J. C. IN CANA GALILÆÆ.

IN ECCLESIA TITULARI.

AD MISSAM. [3]

**Introitus.** *Ps. CXLIV. 18.*

Prope est Dominus: *et reliqua omnia ut in Missa CXI. apud Missale votivum Terræ Sanctæ, quæ pag. 167. ejusdem Operis edita invenitur.* [4]

℣ *In Missa fit ordinarie Commemoratio Dominicæ III. post Epiphaniam, et legitur*

[1] Observationes omnes et additiones, quas apud Missale votivum Terræ Sanctæ fecimus in Missa CX., CXI. et CXII. pag. 165-170., etiam ad præsentem casum accommodari possunt.

[2] Hujus ratio regulæ aliarumque hic positarum, superius in edito Officio fuse explicantur.

[3] Dies Octava aliam atque in Festo ex integro vel ex parte Missam habere posse, exemplis in Missâli Romano sub die I. et II. ac XIII. Januarii, per integram Octavam Paschatis et Pentecostes, et sub die VI. Julii ac XVII. Augusti evincitur; et quod magis est, etiam nulla interveniente causa, id licitum prorsus fieri ex aliquo eorumdem casuum comprobatur.

[4] Assignatur hæc Missa, ut in die Octava proprius B. M. Virginem consideremus, iis nempe de causis, quæ fuerunt pag. (8) nota 4. indicatæ.

*ultimum ejus Evangelium in fine. De aliis autem Sanctis, qui hac die occurrunt, agatur juxta Rubricarum leges vel in primam diem liberam repositio seu translatio, aut ad ritum simplicem reductio. Dicitur autem Symbolum, necnon Præfatio de Epiphania* [1], *prouti scilicet in die Solemnitatis ordinatur.*

## ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Hujus Officii convenientia omnibus manifesta fiet, quoties ad mentem hi revocare velint probatam Ecclesiæ consuetudinem. Quum enim primum Jesu Christi miraculum, in Festo Epiphaniæ simul cum ejus per Magos adoratione ipsiusque Baptismate recolendum, nullas fere partes in Officio diei sibi vindicaret; ipsum in Dominica II. post Epiphaniam magis explicite ab Ecclesia jussum est celebrari. Nihil igitur impedit, quominus Mysterium illud die VI. Januarii jam cultum generatim cum aliis duobus, et magis aperte in Dominica II. post Epiphaniam celebratum; integro Officio proprio honoretur apud locum, ubi et factum evenisse traditur, et Ecclesia in ejus prodigii nomen ædificata consurgit; præsertim cum ex Officio Inventionis Pueri Jesu in templo legitima deducatur illatione, omnes Officii partes in Dominicis aptari posse earumdem Evangeliis. Insuper, cum Ecclesia illa et Parochialis et Conventualis sit, commemorare Titulum in Sanctorum Suffragiis debet, nec tamen habet unde sumantur Antiphonæ, Versus et Oratio. Enimvero, Solemnitas Epiphaniæ Antiphonas habet extra diem Festum incongruas, et semper communes aliis duobus Mysteriis, atque Oratio est exclusive propria de adoratione Magorum; Dominica autem II. post Epiphaniam non habet Orationem Mysterio appropriatam, et Antiphonæ non videntur posse arbitrio privato usurpari, cum e Dominicis et Feriis Suffragia non sumantur. Optimo igitur jure, immo necessarie, novii Officii a nobis urgetur introductio, ut Titulare Ecclesiæ jam valeat jura propria exercere, postquam iis diu caruisse illud agnovimus.

2. Hic subjiciendas censuimus alias Antiphonas e Psalmorum libro desumptas, quæ ad Matutinum jam appositis possent subrogari; quin tamen necessarium putemus initium Psalmi, unde trahitur Antiphona, integrum referre: = 1° Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ed eum. *Ps. IV. 4.* = 2° Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, et psallemus virtutes tuas. *Ps. XX. 14.* = 3° Lætamini in Domino, et exsultate justi: et gloriamini omnes recti corde. *Ps. XXXI. 11.* = 4° Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus. *Ps. XXXII. 18.* = 5° Gustate ... sperat in eo. — Timete Dominum ... timentibus eum. — Oculi Domini... in preces eorum. — Clamaverunt ... eos. *Ps. XXXIII. 9-11. 16 et 17.* = 6° Videbunt multi, et timebunt: et sperabunt in Domino. — Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. *Ps. XXXIX. 4. et 6.* = 7° Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ. *Ps. XLVII. 11.* = 8° Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus. — Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, Domine. *Ps. LXV. 1. et 4.* = 9° Confitebimur, et invocabimus nomen tuum, Deus: narrabimus mirabilia tua. *Ps. LXXIV. 2.* = 10° Cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra. *Ps. LXXXII. 19.* = 11° Tu Domine suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. — Omnes Gentes glorificabunt nomen tuum, Domine: quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus. *Ps. LXXXV. 5. et 9.* = 12° Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. Alleluja. *Ps. XCVII. 1.*

3. In fine Lectionis I. ad primum Nocturnum diei Festi, sequentia indidem verba adjungi possent: « Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria « populum tuum. Da testimonium his, qui ab initio « creaturæ tuæ sunt, et suscita prædicationes, quas « locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. Da « mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles « inveniantur: et exaudi orationes servorum tuorum. « *Eccli. XXXVI. 16.* »

4. Versus alter qui jam positi sedem post ℟. secundum occupare posset: « Intende voci orationis meæ: Rex meus et Deus meus. *Ps. V. 3.* »

5. Versus post ℟. tertium, sequens valet apponi: « Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam. *Ps. V. 4.* »

6. Lectiones II. Nocturni pro Festo aut pro die Octava sumi perbelle possent ex Commentariis Sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi, quæ apud Migne *Patrologia Græca* tom. LXXIII. pag. 223-227. inveniuntur. Et quoniam aliqualis in textu interruptio est facienda, præstabit Lectiones illas summatim indicare, omissis hic vocibus, quæ tribus punctis comprehensæ intelliguntur: *Lectio IV.* « Sermo Sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi ... Opportune ... et facta sunt nova. » — *Lectio V.* « Venit ... ad miraculum eum hortatur. Nec enim ad patranda ... quod facere nolebat. » *Lectio VI.* « Magnam habens ... imperaturus esset. Jussa quidem ... melius vinum profunderet. Multa eaque ... fides magis confirmatur. »

---

[1] Hæc quidem Missa magis directe Beatam Virginem Mariam, quam Christum Dominum intuetur: et tamen, cum semper de Officio diei Octavæ ipsa censeatur, convenienter illi Præfationem de Epiphania jam Festo tributam designamus; licet apud Missale votivum Terræ Sanctæ Missa hæc, utpote nullam cum Officio diei relationem habens, Præfatione B. M. Virginis exornetur. Immo, etiam in Festis Deiparæ propriam illius Præfationem haud necessario requiri, e Missa in die Purificationis ejusdem Dei Genitricis comprobatur, ubi Præfatio de Nativitate Domini jubetur.

7. Opportunum videtur indicare quosdam etiam alios ex Patribus et Doctoribus, e quorum scriptis desumi Lectiones possent tum pro II. tum pro III. Nocturno. Omissa hic intutili citatione Operum, sufficiet tantum eorumdem Auctorem et loca indicare. Sanctus Hieronymus apud Migne *Patrologia Latina* tom. XXX. pag. 578.; Sanctus Augustinus *Ibid.* tom. XXXV. pag. 1450-1466., tom. XXXVIII. pag. 684-686., tom. XXXIX. 1918-1924.; Sanctus Maximus Taurinensis *Ibid.* tom. LVII. pag. 260-262., 277-280., 291-292., 917-920.; Venerabilis Beda *Ibid.* tom. XCII. pag. 657-662.; Sanctus Bernardus *Ibid.* tom. CLXXXIII. pag. 155-162. Neque etiam difficile est alias Lectiones confici ex verbis Sancti Joannis Chrysostomi, Sancti Cyrilli Alexandrini, et Sancti Bernardini Senensis, quæ textum superius electum antecedunt vel subsequuntur. Denique etiam Sanctus Thomas, tom. X. pag. 330-334. inter opera Omnia Parmæ 1860 edito, Lectiones novas subministrare posset.

8. In Lectione IV. dici posset brevius: «Nec tamen piguit benignissimum Dominum præstare»; relictis aliis verbis interpositis, quæ alicui forsan nimis ad omissam textus partem referenda videantur.

9. Versus novus post ℟. quintum: « Omnia quæcumque præceperit Dominus noster, libenter exsequemur servi tui. *II Reg. XV. 15.* »

10. Versus ad III. Nocturnum, Laudes, Nonam et II. Vesperas hic esse posset: « ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus. ℟. Et mirabilia ejus filiis hominum. *Ps. CVI. 8.* »

11. Lectiones III. Nocturni sumi possent etiam ex Homilia Breviarii Romani in Dominica II. post Epiphaniam.

12. Versiculus post ℟. septimum, esse posset sequens: « Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata ejus exquirant. *Ps. LXXVII. 7.* »

13. Antiphona IV. Laudum sequens esse posset: «Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. *Isai. XII. 5.* »

14. Si Hymnus ad II. Vesperas appositus non admittatur, in Hymno Laudum ante conclusionem sequentes duæ strophæ adiungi possent, ut aliqua saltem ibi petitio habeatur: « **S**ignis supernis qui « Deum — Te comprobas mortalibus: — Nostras pe- « renni, quæsumus, — Perfunde mentes lumine. = « **E**t tu, Parens piissima, — Quæ non rogata subve- « nis: — Tui, precamur, obtine — Nobis amorem Filii.»

15. Jam multis Officii locis Matrimonii institutum in hoc facto Sacramentum ad Hymnos, Responsoria, Lectiones consideravimus; parati etiam Lectionem III. primi Nocturni ex Epistola ad Galatas *Cap. V. 25-32.*, omissa prima jam ibi posita mutatisque loco aliis duabus, singillatim assignare, nisi uniformitatis et pulchritudinis ratio aliud nobis suasisset. In Oratione tamen dici non incongrue ob eumdem repectum posset: « Domine Jesu « Christe, qui Sacramentum nuptiarum et gloriam « tuam mortalibus ostensurus, *nuptiali* etc. »

16. Tres Missæ de hoc Mysterio, sub num. et pag. CX. 165., CXI. 167., CXII. 168. apud Missale Votivum Terræ Sanctæ collocatæ, suppeditare alios textus commode possent.

## II.

## FERIA VI. ANTE DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ. [1]

IN FESTO

# MYSTERIORUM SANCTISSIMÆ VIÆ CRUCIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

HIEROSOLYMIS DUPLEX I. CLASSIS SINE OCTAVA

RELIQUIS LOCIS IN CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ DUPLEX II. CLASSIS TANTUM. [2]

### IN I. VESPERIS. [3]

*Ant.* Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. [4]

*Ps. 115.* Credidi. [5]

*Ant.* Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. [6]

*Ps. 119.* Ad Dominum.

*Ant.* Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. [7]

*Ps. 139.* Eripe me.

*Ant.* Vadam ad montem myrrhæ: et ad collem thuris. [8]

*Ps. 140.* Domine clamavi.

*Ant.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. [9]

*Ps. 141.* Voce mea.

*Capitulum de Laudibus.*

HYMNUS. [10]

Christum, qui valido pondere Golgotham
Scandit funereum, gens sacra Numini,
Mœsto corde sequamur
Volventes Crucis abdita.
Addictus Dominus judice ab impio
Morti, perpetuis liberat ignibus
Sontes: sub Cruce sudans,
Oppressis onus allevat.

---

[1] Quoniam Hebdomada quævis a Septuagesima ad Pascha jam aliquod ex Officiis Passionis habet, Festo huic Feria VI. ante Dominicam Septuagesimæ celebrando præfinitur: ut sic et minus, quam fieri possit, illud a tempore Officiis ejusmodi accommodatissimo elongetur, et ipsum saltem illa Hebdomadis die, qua Mysteria Viæ Dolorosæ contigerunt, recolatur. Non tamen similia Festa repugnant absolute quocumque anni Tempore et Feria celebrari, uti jam e Festis Sacratissimi Cordis, Pretiosissimi Sanguinis, Sanctissimi Redemptoris et Officio votivo Passionis Domini, necnon ex altero Festo Septem Dolorum B. M. Virginis abunde comprobatur.

[2] Ritus altior Hierosolymæ ejusque Suburbiis assignatur, quoniam in ea civitate olim Mysteria Viæ Dolorosæ universa contigerunt, eorumque Loca divino respersa sanguine a Fidelibus etiam nunc summa invisuntur devotione, maxime vero Feria VI. cujusque Hebdomadis, in qua publice et solemniter ab indigenis et advenis Christianis, Sacerdote comite, adeuntur. Hujusmodi autem Officii objectum tale erat, ut prætermitti haud possent cætera Terræ Sanctæ Loca, ubi Fratres Minores, sicut in universo mundo, piissimum Viæ Crucis exercitium et sibi frequentare gaudent, et aliis Christifidelibus assidue commendant.

[3] In hujus Solemnitatis eligendis textibus nos præ oculis semper habuimus pulcherrimum illud Officium Sanctissimi Rosarii B. M. Virginis, universæ Ecclesiæ a Summo Pontifice Leone XIII. indultum et impositum.

[4] Textus e libro Job. *Cap. XVI. 12.* desumitur, ex quo et ℟. I. Matutini in Officio Parasceves confectum videtur, cum ibi diversa parum ratione, præter alia, habeamus: « Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me. »

[5] Omnes hi Psalmi ad Vesperas appositi, assignantur etiam ad Vesperas in ultimo triduo Majoris Hebdomadæ, et in Festo Commemorationis Dominicæ Passionis, et in priori Officio Septem Dolorum B. M. Virginis.

[6] E Jeremia Propheta *Cap. XI. 19.*

[7] Verba hæc e libro Jeremiæ Prophetæ *Cap. XI. 19.* desumuntur, et ex illis Capitulum ad Laudes Officii ferialis toto Tempore Passionis efficitur.

[8] E libro Cantici Canticorum *Cap. IV. 6.*, unde et initium Antiphonæ II. Laudum in Festo de Commemoratione Dominicæ Passionis iisdem ferme verbis efformatur.

[9] E libro Threnorum Jeremiæ Prophetæ *Cap. I. 12.*, adhibeturque hic textus pro Antiphona ad Magnificat in I. Vesperis de peculiari Officio Passionis D. N. J. Christi.

[10] Hymnus iste, cujus metrum Ecclesia in Officio Sancti Hermengildi Martyris sub die XIII. Aprilis admittit, mysticam moralemque Stationum Viæ Dolorosæ significationem amplectitur, conjunctis ob amorem brevitatis pluribus simul Mysteriis, prouti melius videbatur.

Dum ternis vicibus sub trabe corruit,
Firmat munificus robore languidos;
Labentesque benignus
Duris casibus erigit.
Per Matris gemitus conciliat Deo
Servos, et sobolem Numinis efficit:
In Simone sequaces
Jungit probro et honoribus.
Linquens effigiem linteolo suam,
Divinis animas concitat æstibus:
Ad fletum vocat, almæ
Natas cum Solymæ docet.
Cum veste exsuitur, tegmine fulgido
Ornantur famuli: mitigat aspera [1]
Fel: Clavique refringunt
Inferni laqueos reis.
In dura moriens arbore, perpetem
Vitam retribuit; depositus trabe,
In lucem revocandos
Secum nos tumulo tegit.
Te Jesu meritis laudibus efferant,
Quos ultro redimis; concelebrent Patrem,
Qui te misit in Orbem;
Flamen, te quod inunxerat.
Amen.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum. [2]

*Ad Magnificat, Ant.*

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. [3]

*Oratio ut ad Laudes.*

¶ *Conclusio Hymnorum ad omnes Horas diei erit:*

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. [4]
Amen.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Christus regnavit a ligno: * Venite adoremus. [5]

*Ps. 90.* Venite.

HYMNUS.

Summi Parentis Filium,
Quem nulla sordes inficit,
Crucis nefando e stipite
Pendere judex censuit.
Repente Christo milites
Educto acerbum tollere,
Et quo necandus ducitur,
Perferre pondus imperant.
Virtus perennis omnium
Trunco subactus corruit:
Micantis ora Numinis
Heu! pulvis ater inquinat.
Crucis gravatum pondere
Ut mœsta Mater aspicit,
O qua doloris cuspide
Se uterque sensit perfodi!
Dum morte Jesus occubet,
Quam sæva gens poposcerat,
Urgent Onusto convenam
Adesse tunc satellites.
Sudore sparsum et sanguine
Miserta Christum femina
Abstergit, ac sudario
Vultus figuram percipit.
Sed Christus inter verbera
Interque risus hostium,
Dolore pressus, denuo
Humi fatiscens concidit.
Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

---

[1] Licet teneamus fuisse probabilius Christum prius felle potatum quam vestimentis exsutum, uti nota l. pag. (21) indicabimus; tamen in præsenti hujus Hymni loco, in quo Mysteria compendiose et absque ordine historico referuntur, non credimus id esse necessario attendendum, eo vel magis, cum qualiscumque demum sententia extra omne dubium nullatenus ponatur.

[2] Hic versus, ad Laudes pro Festo Exaltationis Sanctæ Crucis appositus, in utrisque Vesperis et Laudibus assignatur, ut aliquo saltem modo Fidelium imitemur devotionem, qui versum illum ad omnes Viæ Dolorosæ Stationes repetere consueverunt. Cæterum, similia repetitionis exempla in approbatis Officiis sæpissime inveniuntur, et nominatim in Festo Lanceæ et Clavorum, et Quinque plagarum D. N. J. Christi, necnon in Solemnitate Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis.

[3] Antiphona ex Evangelio divi Matthæi *Cap. XVI. 24.* accipitur, juxta tamen lectionem apud Commune unius Martyris ad Magnificat in II. Vesperis occurrentem.

[4] Hæc Hymnorum conclusio sumitur ex altero Festo Dolorum B. M. V. Dominica III. Septembris recolendo, videturque huic Officio, in quo ultima et præcipua Christi Passionis Mysteria memorantur, apte convenire.

[5] Invitatorium efficitur e verbis *Ps. XCV. 10.*, juxta lectionem quam sequitur Ecclesia ad Missam votivam de Sancta Cruce in priori Versiculo Temporis Paschalis.

IN I. NOCTURNO. [1]

*Ant.* Pilatus, cum audisset sermones Judæorum, sedit pro tribunali: et tradidit eis Jesum, ut crucifigeretur. [2]

*Ps. 2.* Quare fremuerunt. [3]

*Ant.* Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt: et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. [4]

*Ps. 3.* Domine, quid multiplicati.

*Ant.* Humiliata est in pulvere anima ejus: conglutinatus est in terra venter ejus. [5]

*Ps. 21.* Deus, Deus meus.

℣. Non est species ei, neque decor.

℟. Et vidimus eum, et non erat aspectus. [6]

LECTIO I.

De Isaia Propheta.

*Cap. LIII. 1.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. [7] Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. * Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. [8]

℣. Dedit se, ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen æternum. [9] — Propter.

LECTIO II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: * Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.

℣. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. [10] — Aspicientes.

---

[1] Novem Antiphonæ ad Matutinum et quinque ad Laudes, omnia Mysteria Viæ Dolorosæ singillatim considerant: quin opus sit plura simul conjungere, uti necessitate factum tamen est ad Antiphonam IX. Matutini in Officio Sanctissimi Rosarii B. M. Virginis, ubi duo postrema Mysteria dolorosa uniri simul oportuerat.

[2] Ex Evangelio Joannis *Cap. XIX. 13–16.*, textu interruptim assumpto, conficitur.

[3] Psalmi ad Antiphonas et Mysteria Viæ Dolorosæ, servato tamen eorum ordine numerico, aliquatenus referuntur.

[4] Ex eodem Evangelio Joannis *Cap.* ***XIX. 16–17.***

[5] Eligitur e *Ps. XLIII. 25.*, mutato numero singulari in pluralem, et persona prima in tertiam, uti fit in multis locis Breviarii Romani.

[6] Versiculi trium Nocturnorum et Horarum cum Responsoriis earumdem brevibus, sumuntur e libro Isaiæ Prophetæ *Cap. LIII. 1–5.*, et exceptis utrisque Vesperis et Laudibus juxta morem suis repetuntur locis.

[7] Quum ordo mere historicus satis superque in duobus Hymnis et in omnibus Antiphonis ad Matutinum et Laudes jam fuerit servatus, convenientius est ut in Responsoriis post Lectiones mystice et moraliter Mysteria Stationum considerentur. Brevitatis ergo causa, Mysteriis quibusdam analogice conjunctis: I. ℟. primam Stationem ejusdem Viæ Dolorosæ assequitur; II. ℟. secundam, tertiam, septimam et nonam; III. ℟. quartam, sextam, et octavam; IV. ℟. quintam; V. ℟. decimam et decimamtertiam; VI. ℟. undecimam, et *aliquatenus* repetit decimam prævenitque duodecimam; VII. ℟. duodecimam; VIII. ℟. decimamquartam Stationem demum amplectitur. Hæc ratio, licet non semper ubique plenissime conspiciatur, aptissima est ad tædium effugandum pariter et ad pulchritudinem Officio proposito conciliandam, ob diversos respectus quibus Mysteria simul considerantur.

[8] Ex Epistola ad Philippenses *Cap. II. 8.*

[9] Testimonium sequens, e libro I. Machabæorum *Cap. VI. 44.* acceptum, ceu antiphona ad Benedictus in Laudibus de Festo Sanctissimi Nominis Jesu invenitur.

[10] Responsorium sicut et Versus sequens sumuntur simul ex Epistola ad Hæbræos *Cap. XII. 1–3.*

LECTIO III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos: et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Dominus præcipitabit in monte isto mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, * Et opprobrium populi sui auferet de universa terra. [1]

℣. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. [2] — Et.

Gloria Patri. — Et.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. [3]

*Ps. 24.* Ad te Domine.

*Ant.* Angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, ut tolleret Crucem Jesu. [4]

*Ps. 37.* Domine, ne in furore.

*Ant.* Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: iste asperget gentes multas. [5]

*Ps. 55.* Miserere mei Deus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bonaventuræ Episcopi. [6]

*De Stimulo amoris Cap. I.* [7]

Passionis Christi meditatio continua mentem elevabit: quid agendum, quid meditandum, quid quærendum et sentiendum sit, indicabit: te demum ad ardua inflammabit: te vilificari, et contemni, et affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit. O Passio desiderabilis, o mors admirabilis! Quid mirabilius quam quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat et mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi conjungat? Sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat. Sed vere mirabile est, quod Christus in Cruce sitiens inebriat; nudus exsistens, virtutum vestimentis ornat; sed et ejus manus ligno conclavatæ nos solvunt, pedes confossi nos currere faciunt; emittens spiritum vitam inspirat, in ligno decedens ad cœlestia vocat.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. [8]

℣. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. — Exeamus.

LECTIO V.

O Passio mirabilis, quæ suum meditatorem alienat, et non solum reddit angelicum, sed divinum. Nam per meditationem commorans in Christi tormentis etiam seipsum non videt, semper intuetur Dominum suum passum, vult

[1] De Isaia Propheta *Cap. XXV. 8.*

[2] E libro Apocalypsis *Cap. VII. 17.*

[3] E libro Threnorum Jeremiæ Prophetæ *Cap. I. 20.*, cujus verba in I. Lectione ad Matutinum alterius Festi de Septem Doloribus B. M. Virginis adhibentur.

[4] Ex Evangelio Marci *Cap. XV. 21.*, quibusdam verbis omissis.

[5] Ex Isaia Propheta *Cap. LII. 14.*, cujus textus et Mysterium VI. Stationis apte considerat, et difficultates removet quæ de pia Veronica ejusque linteo nominatim expressis forsan oriri possent.

[6] Textus sequentium Lectionum integer admittitur, uti editus fuit inter Opera Omnia Sancti Bonaventuræ, Lugduni anno Domini MDCLXVIII. tomo VII. pag. 193 publicata: solum in Lectione IV. dicitur *quærendum* pro voce evidenter erronea *quiescendum*.

[7] Opus istud, unde Lectiones sumebantur, non omnibus genuinum habetur: quod tamen nihil impedit quominus inde textus accipiatur, uti etiam fit in Breviario Romano quoad alia scripta, de quorum Auctore et genuitate non satis inter doctos constare videtur; ac talia exempla ad Lectiones II. Nocturni in Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis et Sacratissimi Cordis Jesu, aliisque locis non raro inveniuntur. Cæterum, in præsenti casu, hoc idem Opus orationem *Transfige* a Sacerdotibus, celebrata Missa, recitandam suppeditavit; necnon Lectiones II. Nocturni dedit pro VI. die infra Octavam peculiarem Sacratissimi Cordis Jesu, quæ in probata Appendice Octavarii Romani, pag. 433-435. secundum editionem Ratisbonensem anno Domini MDCCCLXXXIII adornatam, inveniuntur.

[8] Responsorium et Versus sumitur utrumque ex Epistola ad Hebræos *Cap. XIII. 12-14.*

Secum Crucem bajulare, et pro Ipso levissime omne bonum et malum vult portare; et ipse in corde portat, cœlum et terram pugillo continentem. Vult Secum spinis coronari, et ipse spe gloriæ coronatur. Vult Secum in ligno sine vestimentis frigescere, et nimio amoris ardore accenditur. Vult Secum acetum gustare, et vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult Secum in Cruce existens sibi illudi, et ipse ab angelis honoratur, et a beata Virgine in filium adoptatur. Secum volens tristari lætatur; Secum volens affligi, consolatur et nimium jucundatur. Cum Christo vult in Cruce pendere, et eum dulcissime Christus amplexatur. Secum vult faciem mortis [1] pallore perfusam inclinare, et ejus caput Christus elevans suavissime osculatur.

℟. Si Christum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu; * Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. [2]

℣. Sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. [3] — Deponite.

LECTIO VI.

O mors amabilis, o mors delectabilis! O cur Crucis illius loco non fui, ut Christus fuisset manibus meis et pedibus conclavatus? Certe illi Joseph ab Arimathæa dixissem: Non auferas Jesum a me, sed me Secum sepelias in sepulchro. Sed si hoc, modo facere non possum corpore, saltem hoc volo mente. Bonum est enim Secum esse, et in ipso volo tria tabernacula facere: unum in manibus, unum in pedibus, sed aliud continuum in latere, ubi [4] volo quiescere, et omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus, et ab ipso quod voluero, impetrabo. Sic faciens dulcissimæ Matris vestigia sequar, cujus animam passionis Filii gladius pertransivit. [5] Rationem vero piisimam, qua Christum Jesum e domo Pilati ad Calvariæ locum devota mente prosequimur, et quatuordecim Viæ Dolorosæ Stationibus ultima et præcipua Dominicæ Passionis mysteria sancte recolimus, a Fratribus Ordinis Minorum longe lateque cum animarum lucru diffusam, et Sedis Apostolicæ Decretis ac Fidelium omnium frequentia celeberrimam, Leo Decimus tertius Pontifex Maximus Officio et Missa propriis benigne censuit decorandam.

℣. Christus, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: * Et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. [6]

℣. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. [7] — Et. Gloria Patri. — Et.

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. [8]

*Ps. 58.* Eripe me.

*Ant.* Filiæ Jerusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. [9]

*Ps. 73.* Ut quid Deus.

*Ant.* Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me, Domine, secundum verbum tuum. [10]

*Ps. 87.* Domine Deus.

---

[1] In editione Lugdunensi habetur vox *pavore*, sed non immerito alicui legendum *pallore* videbitur.

[2] Ex Epistola ad Ephesios *Cap. IV. 21.*, mutato congruenter verbum *deponere* in alterum *deponite*.

[3] Ex Epistola ad Romanos. *Cap. XIII. 14.*

[4] Brevius dictum est *ubi volo quiescere, et omnia negotia mea pertractare*, omissis vocibus, quæ ibi interponuntur, nempe *dormire, videre, bibere, comedere, legere, orare et*, quæ forsan aliquibus non omnino placeant. Nos tamen illas servare potuissemus, ad exemplum Octavarii Romani, sub die VI. infra Octavam Sacratissimi Cordis Jesu, ubi expressiones illæ in integrum retinentur.

[5] Quæ ad calcem hujus VI. Lectionis a nobis adduntur, notissima sunt et probatione omnino non indigent. Si quis tamen hæc aliaque nosse cupiat, adeat egregium opusculum « *Pio Esercizio della Via Dolorosa* » a Rmo. P. Alexandro Cantoli Episcopo Bovinensi confectum, et anno 1872 Romæ editione secunda evulgatum.

[6] Ex Epistola ad Colossenses *Cap. II. 14.*

[7] Ex Epistola ad Galatas *Cap. III. 13.*

[8] E Psalmo *CXLII. 3.*

[9] Ex Evangelio Lucæ *Cap. XXIII. 28.*

[10] Verba hæc, e Psalmo *CXVIII. 25.* apte desumpta, usurpantur etiam in Festo Orationis D. N. J. Christi ad IX. Antiphonam Matutini, eo indubitanter sensu, quo Auctor Hymni ad Vesperas canebat: « Cum premat tristis pavor ima cordis, — Deficit languens Dominus; per artus — Sanguinis sudor fluit, atque guttis — Terra madescit. = At celer summo veniens Olympo — Angelus Jesum recreat jacentem: — Corpori vires redeunt, novoque — Robore surgit. »

℣. Ipse vulneratus est propter inquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 12.*

In illo tempore: Quærebat Pilatus dimittere Jesum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Et reliqua.

Homilia sancti Leonis Papæ. [1]

*Sermo LXI. alias LIX. De Pass. Dom. X.*

Cum et summi sacerdotes, et principes Judæorum, omnisque multitudo crebris vocibus acclamarent: Crucifige, crucifige; Pilatus tradidit Jesum persequentium voluntati, Barabba illis latrone dimisso, ut qui in die festo Auctorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ. Eunte itaque, dilectissimi, ad locum clarificationis suæ Domino, et misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, ut adimpleretur quod scriptum est: Longe a peccatoribus salus; sequebatur eum multitudo populi, et mulierum plangentium et lamentantium eum. Solet enim sexus infirmior, etiam pro iis qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri, et damnatorum exitus, pro naturæ communis consideratione misereri. Sed istum sibi planctum Dominus Jesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam.

℟. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. [2]

℣. Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. — Quoniam.

*Benedictio 8.* Divinum auxilium.

LECTIO VIII.

Exaltatus ergo Christus Jesus in ligno, retorsit mortem in mortis auctorem, et omnes principatus adversasque virtutes, per objectionem passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæviendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, ubi nullum potuit vestigium invenire peccati. Evacuatum est igitur generale illud venditionis nostræ et lethale chirographum, et pactum captivitatis in jus transiit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum: sic suam Christo consummante victoriam, ut in ipso et cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.

℟. Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem: * Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. [3]

℣. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. — Ut.

Gloria Patri. — Ut.

℣ *Si occurrat aliquod Festum Simplex, vel ad modum Simplicis recolendum, non legitur ejus IX. Lectio, sed de ipso fit tantum Commemoratio juxta Rubricas.* [4]

LECTIO IX.

Cum ergo Dominus crucifixi corporis elevatione sublimis, reconciliationem mundi exsequeretur in quadam arce supplicii, latronemque conversum ad Paradisi vocaret habitaculum; vos, principes Judæorum, legisque doctores, nec conscientiæ impietate compuncti, nec effectu sceleris mitigati, fixuris clavorum addebatis tela linguarum, dicentes: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Sed his vocibus vestris stultis atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, et unam simul in vos sententiam ferunt cœlum, terra, sol, sidera, quæ indignos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostentant.

Te Deum.

---

[1] Hujus Homiliæ textus habetur apud Migne *Patrologia Latina*, tom. LIV. pag 347-348.; omissis inter unam alteramve Lectionem quibusdam partibus haud necessariis.

[2] Responsorium et Versiculus sunt ex Epistola ad Romanos *Cap. V. 8.*

[3] Tum Responsorium tum Versus de Epistola ad Romanos *Cap. VI. 4.* accipiuntur.

[4] Nona Lectio Simplicis aut Homiliæ omitti jubetur, ut legi valeat integra Dominicæ Passionis historia hic satis in compendium redacta. Quod si minus placeat hæc Rubrica, sequens apud Breviarium Romano-Seraphicum usitatior in ejus locum apponatur: « *Si occurrat alia IX. Lectio Simplicis aut Homiliæ, tunc VIII. et IX. Lectio Officii conjunguntur.* »

## AD LAUDES

### ET PER HORAS.

*Ant.* Dederunt Jesu * vinum bibere cum felle mixtum; et exsuerunt eum vestimentis ejus. [1]

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* Foderunt * manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. [2]

*Ant.* Cum accepisset * Jesus in Cruce acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato capite, tradidit spiritum. [3]

*Ant.* Joseph ab Arimathæa petiit corpus Jesu: quod e Cruce depositum suo complexu Mater excepit. [4]

*Ant.* Acceperunt * corpus Jesu, et posuerunt illud in monumento novo, in quo nondum quisquam positus erat. [5]

### CAPITULUM.

*Isai. LIII. 6.*

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in Christo iniquitatem omnium nostrum. [6]

### HYMNUS.

Christus dolentes feminas
Affatur almis vocibus:
Super seipsas, filios,
Monetque fletus fundere.

Qui corruentes, illico
Manu benignus allevat:
Pœnis adactus, tertium
Solo recumbit languidus.

Ut vero Jesus Golgothæ
Locum subivit, milites
Cum felle vinum porrigunt, [7]
Eique vestes detrahunt.

Manus pedesque Numinis
Clavi cruenti perforant:
Luxata duris funibus
Cernuntur ossa corporis.

Inter latrones Innocens
Dira levatur arbore:
Crimenque donans impiis,
Divina claudit lumina.

At vir colendus Præsidem
Corpus Magistri postulat:
Crucis refixum stipite,
Quod Mater ulnis excipit.

Fidosque tum per asseclas [8]
Unguento inunctus optimo,
Mundisque vinctus linteis,
Christus sepulchro conditur.

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

---

[1] Prima hujus Antiphonæ pars ex Evangelii verbis apud Matthæum *Cap. XXVII. 34.* occurrentibus efformatur, altera vero nostris vocibus Evangelicæ tamen narrationi semper innixis. Quamvis porro Scriptores Jesum tum felle potatum tum vestimentis exsutum ad hanc X. Viæ Dolorosæ Stationem generatim considerent, non conveniunt tamen omnes quo ordine bina illa Mysteria fuerint peracta. Nos illorum opinioni adhæsimus, qui cum *Potestà* Historia Evangelica *Tom. II. pag. 504-506.* Panormi 1726., necnon *Sepp* Vie de N.-S. Jésus Christ *Tom. III. pag. 19-22.* Paris 1861., aliisque Auctoribus tenent, Christum prius felle potatum fuisse, dein vestibus exsutum. Quæ opinio contextui verborum in Evangelio Matthæi *Cap. XXVII. 33-35.* et Marci *Cap. XV. 22-24.* occurrentium magis congruere videtur, quam sententia quæ ei in oppositum affertur.

[2] Verba hæc prophetica e Psalmo *XXI. 17.* deliguntur, permiscenturque cum Antiphonis historicis, prouti etiam fit ad Antiphonas Laudum in Solemnitate Sanctissimi Rosarii B. M. Virginis adhibendas.

[3] Antiphona ex Evangelio Joannis *Cap. XIX. 30.* accipitur, additis vocibus *in Cruce,* quæ jam e contextu narrationis subintelligebantur.

[4] Verba hæc habentur ad ℟. VI. Matutini in altero Festo Dolorum B. M. Virginis intra mensem Septembris ordinarie celebrando, atque Antiphonæ textus Evangelicis verbis partim innititur, et partim legitimo traditionis testimonio.

[5] Ex Evangelio Joannis *Cap. XIX. 40-41.*, omissis brevitatis gratia quibusdam verbis haud necessario requisitis.

[6] Capitulum hoc, aliaque ad Sextam et Nonam recitanda, ex textu Lectionum I. Nocturni conficiuntur, uti ordinarie et laudabilius fieri ex approbatis Officiis jure comprobatur.

[7] Retinuimus ubique nomen *fellis,* quod in Editione Vulgata apud Matthæum *Cap. XXVII. 34.* occurrit, quin credamus necessarium disquirere utrum vi textus græci intelligendum *proprie* fuerit *fel* sive alia *amara* potio, sicuti etiam attendere quo fine et quo modo illa potio fuerit Christo Domino ministrata. — *Cf. Auctores superius in nota 1. citatos.*

[8] Hac Hymni stropha completur numerus Quatuordecim Stationum Viæ Dolorosæ, quarum Mysteria vel Sacris Scripturis, vel traditione in Ecclesiasticis Officiis aliisque Monumentis probata innituntur. Enimvero Mysterium I., II., V., VIII., X., XI., XII., XIII. et XIV. Stationis plus minusve suis Evangeliorum locis nominatur; Mysterium Stationis III., VII. et IX. satis probatur ex Officio Sanctissimi Rosarii in Hymno ad Matutinum stropha IV, ubi legitur. «Molem Crucis

*Ad Benedictus, Ant.*

Nullam causam mortis invenientes in Jesu, petierunt a Pilato, ut interficerent eum: cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. [1]

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pro eruditione hominum et salute, Crucis tormentum subire non recusasti: concede propitius; ut qui te ad Calvariæ locum devote prosequimur, cœlestis etiam gloriæ triumphum tecum participare mereamur: Qui vivis.

AD PRIMAM.

*In* ℟. *brevi dicitur:* ℣. Qui per Crucem tuam redemisti mundum. [2]

AD TERTIAM.

*Capitulum.* Omnes, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Non est species ei, * Neque decor. — Non. — ℣. Et vidimus eum, et non erat aspectus. — Neque. — Gloria Patri. — Non.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

AD SEXTAM.

CAPITULUM.

*Isai. LIII. 7.*

Christus oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

℟. *br.* Vere languores nostros * Ipse tulit. — Vere. — ℣. Et dolores nostros ipse portavit. — Ipse. — Gloria Patri. — Vere.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

AD NONAM.

CAPITULUM.

*Isai. LIII. 12.*

Christus tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. [3]

℟. *br.* Ipse vulneratus est * Propter iniquitates nostras. — Ipse. — ℣. Attritus est propter scelera nostra. — Propter. — Gloria Patri. — Ipse.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

IN II. VESPERIS. [4]

*Ant.* Christus passus est pro nobis, reliquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. [5]

*Ps.* Credidi, *cum reliquis ut in I. Vesperis.*

*Ant.* Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

*Ant.* Christus, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste.

*Ant.* Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati sumus.

*Ant.* Eramus enim sicut oves errantes, sed conversi sumus nunc ad pastorem et episcopum animarum nostrarum.

*Capitulum de Laudibus.*

---

ter arduæ — Sudans, anhelans, *concidens,* — Ad montis usque verticem — Gestare vi compellitur»; Mysterium IV. Stationis, et XIII. quatenus ibi beata Maria Virgo consideratur Filii corpus genibus excipiens, confirmatur ex Responsoriis IV. et VI. ad Matutinum in altero Festo Septem Dolorum B. M. Virginis; Mysterium denique VI. Stationis, ut a nobis per Antiphonam indicatur, Scripturale semper manet, nullasque habet difficultates. At omnia et singula Mysteria ad Stationes Viæ Dolorosæ recolenda, confirmata manent ex traditione, et maxime ex Decreto S. Cong. Indulgentiarum *in una Montis Regalis die 16 Februarii 1839.* Exquisita enim eadem S. Congregatio ad bina Dubia sibi proposita respondit: I°. Indulgentiæ concessæ visitantibus Viæ Crucis Stationes, datæ sunt non ob Christi Domini Passionis meditationem contemplandam in *genere,* sed *taxative* pro meditatione illarum Stationum quatuordecim, quæ a fidelibus generatim cognoscuntur. Et idcirco: II°. Non posse illis jam cognitis aliæ Stationes subrogari, quemadmodum Inquirens egerat, novis Mysteriis e Sacra Scriptura et Passione Domini selectis. — *Cf. Opus jam supra citatum Rmi. P. Alexandri de Crecchio, pag. 50-52.*

[1] Hæc Antiphona ex libro Actuum Apostolorum *Cap. XIII. 28-29.* summatim præstringit omnes XIV. Stationes Viæ Dolorosæ, quarum Mysteria in Hymnis et Antiphonis ad Matutinum et Laudes jam singillatim fuerant expressa.

[2] Iisdem ferme verbis, ac Versus ad utrasque simul Vesperas et Laudes adhibendus, efficitur.

[3] In tribus Capitulis supra editis, licet e prophetica narratione desumantur, addimus nomen *Christus,* prouti fit ad Capitulum Tertiæ et Nonæ in Festo Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. Christi.

[4] Antiphonæ ad Psalmos pro II. Vesperis omnes ex Epistola I. beati Petri *Cap. II. 21-25.* congrue sumuntur.

[5] In hac, in quarta et in quinta Antiphona adhibuimus personam primam verbi pro secunda, exemplum secuti in Breviario Romano-Seraphico occurrens sub die V. Februarii in Antiphona Sanctorum Martyrum Japonensium ad Benedictus.

HYMNUS. [1]

Christe cor nostrum rapiant amoris
Quæ faces, mundo scelus abstulere,
Ac tuos artus Crucis in nefando
Stipite figunt.

Ne tuo salvas animas cruore,
Mortis astringant laquei vetustæ;
Neu sinas callem Crucis ut redempta
Turma relinquat.

Debiles celso repleas vigore,
Ut Dei semper placitum requirant;
Utque si culpis cecidere, prompti
Surgere possint.

Da, piæ nati Genitricis altos
Lacrymis fusis reputent dolores:
Et Crucem tollant, alacri sequentes
Corde Magistrum.

Horreant mundi speciem dolosi,
In tuam Passi faciem tuendo:
Crimen abstergant, tua proluentes
Vulnera fletu.

Felle amarescat vetitum reorum
Gaudium: nudos spoliata membra
Contegant: clavi teneant acerbo
Vitia ligno.

Da Cruci affixos animo profanis
Emori rebus: positos ab atra
Arbore, et sacro tumulo retectos
Vivere Cœlis.

Christe, qui noxas hominum tulisti,
Ore te puro recinant fideles;
Prædicent Patrem, simul et beatum
Flamen adorent.

Amen.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

*Ad Magnificat, Ant.*

Oportebat Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere: et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes Gentes. Alleluja. [2]

*Oratio ut ad Laudes.*

---

# APPENDIX

## CONTINENS PARTES QUÆ JAM POSITIS SUBROGARI POSSENT.

## A.

*Aliæ Lectiones II. et III. Nocturni pro Festo Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis D. N. J. C.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi. [3]

*Meditatione IX. de humanitate Christi.*

Et nunc Domine, Jesu Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te credo, in te spero, et quibus possum desideriis ad te suspiro. Adjuva imperfectionem meam: ad tuæ passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victoriosæ Crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro; tuum spineum diadema, tuo rubentes sanguine clavos, tuo sancto lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam victoriosam resurrectionem et glorificationem, Christe, supplex adoro et glorifico. Odor enim mihi vitæ spirat in omnibus his. Horum vivifico odore spiritum meum, Domine, a peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, meque conforta, ut et jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat, et onus Crucis, quod post te bajulare me jubes, humeris animæ meæ leve sit atque portabile.

℟. Jesus.

LECTIO V.

Sed audi quæso vocem meam, et inclina super servum tuum suavem illam Crucem, quæ lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et ut et spero, curram alacriter. Portabo infatigabiliter eam quæ ab inimicis est Crucem post te. Illam, inquam, divinissimam Crucem humeris meis impone, cujus latitudo est charitas, super omnem creaturam se extendens; cujus longitudo, æternitas; cujus sublimitas, omni-

---

[1] Integer iste Hymnus petitiones continet omnibus Viæ Dolorosæ Stationibus respondentes, conjunctis tamen pluribus inter se Mysteriis, prouti jam in Hymno ad I. Vesperas fuerat peractum. Ita fit ut varietas habeatur, quin tamen conjunctio Hymnorum aliquando sit necessaria, cum tantum ad Matutinum et Laudes ordo historicus observetur.

[2] Hæc Antiphona e vocibus quæ leguntur in Evangelio Lucæ *Cap. XXIV. 7 et 47.* conficitur, mutato verbo *Oportet* in aliud *Oportebat*, uti jam eodem *Cap. XXIV. 46.* habetur.

[3] Textus harum e Sancto Anselmo Cantuariensi Lectionum invenitur apud Migne *Patrologia Latina*, tom. CLVIII. pag. 758-760.; omissis interdum quibusdam periodis, ad connexionem habendam haud necessariis, ut breviores, quam fieri posset, Lectiones evaderent.

potentia; cujus profunditas, inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas, et pedes meos, et totam formam passionis tuæ servo tuo indue. Da mihi obsecro, continere ab operibus carnis, quæ odisti; et facere justitiam, quam dilexisti; et in utroque tuam quærere gloriam. Libet ut et spongiam per arundinem meo porrigas, et aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare et videre quomodo florens hic mundus tamquam spongia inanis est, et omnia concupiscentia ejus aceto amarior. Vinum myrrhatum suspectum est mihi, pro eo quod tu ex eo bibere noluisti, forte quia nimiam acerbitatem crucifixorum tuorum indicabat.

℟. Si Christum.

LECTIO VI.

Tuæ quoque vivificæ morti servum tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato secundum carnem, vivam autem justitiæ secundum spiritum. Ut autem integram crucifixi imaginem portare me glorier: illud quoque quæso, quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus et efficax sermo tuus penetrabilior omni lancea acutissima, et pertingens usque ad interiora animæ meæ, producat ex ea, tamquam a dextro latere meo, vice sanguinis et aquæ, amorem tuum, et fratrum meorum. Postremo et munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in qua requiescam ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio, post diem laboris, post diem simplicis gloriæ, mane prima Sabbati perpetui, inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, et adimplear lætitia vultus tui.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 12.*

In illo tempore: Quærebat Pilatus dimittere Jesum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi. [1]

*De proditore et Mysteriis Cœnæ Dominicæ in Feria V. Passionis, Sermone III.*

Heu! me miserum, quibus auribus hoc audio: vel qualiter sensibus meis tam funesta commendo. Ecce Dominus meus supplicium patitur rei, in quo nullum vestigium peccati potuit reperiri. Ad victimam vita ducitur, et ad crudelissimum mortis occasum addicta pietas evocatur. Ambitur sacrum caput aculeis spinarum, et divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat. Sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant. Ventum tandem est Crucis ad campum, ubi pias manus terebrant sæva vulnera, et compaginem palmarum rumpit violentior foratura clavorum. Crux clavis configitur, et effossa vestigia, pœnalibusque alligata impedimentis pedum officia perdiderunt. Adhæsit quietum corpus stipiti, et immobile lignum inconcussa membra portavit. Fert pœna ipsa pendentem, et tormentis suis nexi artus incumbunt.

℟. Commendat.

LECTIO VIII.

Sed festinate, oro: et citatis cursibus properate. Sentio enim moliri, nescio quid, creaturam: et intestinis motibus non nihil elementa intelligo parturire. Minatur ecce propria mundus excidia, et rerum natura inusitato pavore terretur. Dies medius tenebrarum tirannide discluditur, et perdit cursum fugitiva luce fraudatum. Sol abscondit radios suos, et orbem globus luminis obscuravit, atque incubatricem noctem dissimulato jure contradictionis admisit. Dies enim non dies est, et nox repentina non est nox. Importunæ tenebræ aliena tempora pervaserunt: moriente vero die, novum dies sensit occasum. Exspectabant cuncta elementa exitum proprii Conditoris: axem suum mundus extremum vergere cupiebat in limitem. Volebat, credo, sæculum ire protinus in ruinam, ne Auctoris sui tacens præteriret injuriam.

℟. Consepulti.

℣ *Si occurrat aliquod Festum Simplex, vel ad modum Simplicis recolendum, non legitur ejus IX. Lectio, sed de ipso fit tantum Commemoratio juxta Rubricas.* [2]

LECTIO IX.

At ubi consummatis omnibus sacramentis, sua sponte spiritum quiete cum victoria mortis exposuit: illico rumpuntur sacrario dicata velamina, et in publicum templi secreta mittuntur, ut admissi sacrilegii clandestina machinatio panderetur. Agitur internis terra concussibus: et molis suæ nutante fundamine, fluctuabunda commotione jactatur. Dederunt petræ crepitum fragore sonigero, et viscerali motu disrupta saxa crepuerunt. Patuerunt portæ protinus inferorum, et monumentorum secreta claves proprias perdiderunt. Vacui facti sunt carceres sepulchrorum, et rediviva corpora Dominum agnoverunt.

Te Deum.

---

[1] Hæ Lectiones III. Nocturni, quidquid sit de earum authenticitate, leguntur tom. III. pag. 184-185. inter Opera Omnia Sancti Joannis Chrysostomi Venetiis anno Domini 1548 edito.

[2] Hujus Rubricæ ratio datur superius ad notam 4. sub pagina (20), ubi et alia in admissæ locum subroganda collocatur.

# FERIA VI. ANTE DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ.

IN FESTO

# MYSTERIORUM SANCTISSIMÆ VIÆ CRUCIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

## AD MISSAM.

**Introitus.** *Hebr. XII. 2.*

Aspiciamus in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta. [1]

**Ps.** *CXVII. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pro eruditione hominum et salute, Crucis tormentum subire non recusasti: concede propitius; ut qui te ad Calvariæ locum devote prosequimur, cœlestis etiam gloriæ triumphum tecum participare mereamur: Qui vivis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*Cap. LIII. 6.*

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in Christo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

**Graduale.** *Hebr. XIII. 12.* Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. ℣. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

Alleluja, alleluja. ℣. *Luc. IX. 23.* Si quis vult post me venire, dicit Dominus: abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. (Alleluja.)

## SEQUENTIA. [2]

*In Missis votivis omittenda.*

Christi mortem, Christiane, [3]
Plange sero atque mane,
Et in planctu gaudeas.
Diligentem pone mentem
Super Christum patientem,
Ut sibi condoleas.
Quam despectus, quam dejectus
Rex cœlorum est effectus,
Ut salvaret sæculum!
Esurivit et sitivit,
Pauper et egenus ivit
Usque ad patibulum.
Recordare paupertatis,
Et extremæ vilitatis,
Et gravis supplicii.
Si es compos rationis,
Esto memor passionis,
Fellis et absynthii.

[1] Verbum *aspicientes* in alterum *Aspiciamus* commutatur.

[2] Textus hujus Sequentiæ sumitur ex Carmine, cui nomen est «Laudismus de Sancta Cruce», quodque inter Opera Omnia Sancti Bonaventuræ tom. VI. pag. 423-424. anno Domini MDCLXVIII. Lugduni edebatur.

[3] Hæc stropha, quæ in editione Lugdunensi post immediate sequentem refertur, a nobis primo loco apponitur utpote accommodatior ad Sequentiam inchoandam.

Cum deductus est immensus,
Et in Cruce tunc suspensus,
Fugerunt discipuli.
Manus, pedes perfoderunt,
Et aceto potaverunt
Summum Regem sæculi.
Cujus oculi beati
Sunt in Cruce obscurati,
Et vultus expalluit.
Suo corpori tunc nudo
Non remansit pulchritudo,
Decor omnis abfuit. [1]
Propter hominum peccata,
Sua caro cruciata
Fuit inter verbera.
Membra sua sunt distenta,
Propter aspera tormenta
Et illata vulnera.
Inter magnos cruciatus
Est in Cruce lacrymatus,
Et emisit spiritum.
Suspiremus et fleamus,
Toto corde doleamus
Super Unigenitum. Amen.

Alleluja.

*Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ỳ. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *I. Petr. II. 22.* Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. ỳ. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. ỳ. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.

*Tempore Paschali, cæteris omissis, dicitur:* Alleluja, alleluja. ỳ. *Luc. XXIV. 7.* Oportebat Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. [2] Alleluja. ỳ. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemisti mundum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. [3]

*Cap. XIX. 12.*

In illo tempore: Quærebat Pilatus dimittere Jesum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super Crucem. Et erat scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus.

Credo.

**Offertorium.** *Philip. II. 8.* Christus Dominus humiliavit semetipsum, factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. [4]

SECRETA.

Misericordiam tuam, Deus, errantibus a via justitiæ ille Agnus immaculatus conciliet: qui ad occisionem ductus, in ara Crucis semet-

---

[1] In editione Lugdunensi, ex qua Sequentiam accepimus, hic habetur vox *aufugit;* apud verum Conradum Hiethling « *Peregrinus affectuose per Terram Sanctam... conductus* » lib. II. pag. 172. legitur verbum *abiit.* Neutra tamen lectio admitti potest, cum ultimus hujus strophæ Versus eisdem duabus postremo syllabis absolvendus sit, ac ultimus strophæ præcedentis, ubi « Et vultus *expall*uit » ubique legitur. Nos credimus prius ab Auctore fuisse positum verbum *abf*uit, quo et rhytmi leges observantur, et sensus dictionis nullimode variatur.

[2] Verbum *Oportet* in aliud *Oportebat,* uti in Officio pag. (23) jam fecimus, mutatum est.

[3] Evangelii textus ad illum tantum producitur Evangelistæ locum, ubi et Mysteria satis considerata sunt, et assignata pars prolixior quam æquum sit nondum evasisse dignoscitur. Illud tamen, quod ex necessitate efficitur in Festis Epiphaniæ Domini, ac Septem Dolorum et Sanctissimi Rosarii B. M. Virginis, ut nempe Evangelii textus unum tantum ex Mysteriis attingat; in casu nostro, cum alias in Evangeliorum decursu non soleant interruptiones admitti, fit præcipue et fere solum ad brevitatem Missæ conciliandam, et postquam jam pluribus Mysteriis jam fuerit convenienter satisfactum.

[4] Addimus verba *Dominus* et *pro nobis,* quæ respective leguntur etiam ad Introitum Missæ Votivæ de Passione Domini atque in Versiculo post Canticum Benedictus ultimo triduo Majoris Hebdomadæ.

ipsum dedit pro nobis oblationem tibi et hostiam, in suavitatis odorem: Qui tecum.

*Præfatio de Cruce.*

**Communio.** *I. Petr. II. 21.* Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. [1]

POSTCOMMUNIO.

Memoria passionis tuæ, Domine Jesu, quam in veneranda Mysteriorum actione jugiter innovamus, ita cor nostrum inflammet: ut ad vocem tui nos invitantis, Crucem tollere, et te fideliter sequi gaudeamus: Qui vivis.

## ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Nulla difficultas, uti merito confidimus, insurgere poterit contra hujus Festi concessionem: quoniam et universa Facta Viæ Dolorosæ jam Sacris Scripturis et Officiis ecclesiasticis vidimus probata; et modus ille, quo plura simul et signato numero Mysteria, licet alias singillatim reculta, una nihilominus die communiter etiam celebrentur, e Solemnitate Sanctissimi Rosarii et Septem Dolorum B. M. Virginis per legitimam Auctoritatem cernitur inductus. Quæ omnia, quamvis per se sufficiant ad rei probationem, magis tamen confirmantur e praxi Apostolicæ Sedis; quæ intuitu alicujus inter Fideles devotionis solet vel universæ Ecclesiæ vel Locis aut Cœtibus particularibus Officia respondentia concedere, prouti devotionem illam ad omnes aut ad aliquas tantum personas noverit extensam. Neque alia ratione prius concessa et propagata dein sunt Festa Sanctissimi Nominis Jesu, Sacratissimi Cordis, Sanctæ Familiæ et alia, necnon Officium Apparitionis B. M. V. Immaculatæ a Sacro Numismate Sociis Congregationis Missionum, seu Lazaristis, novissime a S. R. C. indultum. Qua in re, unusquisque Ordo seu Congregatio Regularis, aut Diœcesis curare diligentissime solet, ut devotiones sibi peculiares divino decorentur Officio et Missa, saltem pro suis individuis, si aliud non possit; uti jam fecit Ordo Servorum B. M. Virginis, qui non satis putans ab Alumnis suis exsolutam duplici communiter Festo per annum, et Officio votivo qualibet Feria VI. non impedita devotionem sibi propriam erga Matrem Christi Perdolentem, sategit ut fere omnes Septem ejusdem Dolores peculiari Festo honestarentur; nempe Purificationis B. M. Virginis, Inventionis Jesu in templo cum ejus amissione connexum, Fugæ in Ægyptum, et utriusque Septem Dolorum Festi, in quo demum quatuor postremi Dolores invicem dependentes explicite recoluntur. [2] Optima igitur causa Franciscani Terræ Sanctæ humiliter expostulant, et se indubie consecuturos sperant a Sancta Sede Officium Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis D. N. J. Christi: quum hæc devotio et communis sit fere omnibus Christifidelibus, et propria sui Ordinis, et peculiarissima ipsis petentibus; qui et in urbe habitant in qua Mysteria illa contigerunt, et eorum Loca vel sacris quotidie frequentant, vel saltem hebdomadali immo crebriori visitatione adire consueverunt.

2. Duo textus sequentes Antiphonam primam ad I. Vesperas subrogare valent: quorum prior juxta lectionem est, quam sequitur Ecclesia pro ℟. VII. ad Matutinum Feriæ V. in Cœna Domini; posterior juxta alteram, quam tenet pro Antiphona VI. ad Matutinum Feriæ VI. in Parasceve. « I°. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me. *Ps. XL. 8.* — II°. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam. *Ps. LIII. 5.* »

3. Antiphona secunda ad I. Vesperas ita legi posset, uti ferme ad Laudes in Officio Commemorationis Dominicæ Passionis: « Et ego tamquam Agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum. *Isai. LIII. 7.* »

4. Antiphona ad Magnificat in I. Vesperis forsan melius sic poneretur: « Qui vult venire post me, **dicit Dominus**: abneget etc. »

5. Hæc altera Hymnorum conclusio, minus quidem auribus jucunda, at forsan magis propria, posset ad omnes Horas diei adhiberi: « Jesu tibi sit gloria, — Qui per Crucem nos liberas, — Cum Patre et almo Spiritu, — In sempiterna sæcula. — **Amen.** »

6. Psalmi ad Matutinum sumi quoque absolute possent, sine ullo ad Antiphonas respectu, ex Officiis Commemorationis Passionis vel Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Christi, aut etiam convenientius e Matutino ad Feriam VI. in Parasceve, qua et Mysteria Viæ Dolorosæ recoluntur, et Psalmi aptiores ex parte a nobis jam desumpti intercurrunt.

7. Si ℟. III. jam positum indolem hujus Officii mysticam moralemque, ac præsertim mœstitiam ipsi et Stationibus in eo comprehensis propriam videatur parum referre, sequens valet apponi; cujus quidem initium legitur etiam ceu ℟. III. Matutini ad Feriam V. in Cœna Domini, Versus autem apud librum Judith. *Cap. VIII. 14.* ocurrit: « **Ecce** vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est: * Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet. — ℣. **Sed** quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis imploremus — Hic. — Gloria Patri. — Hic. » = Versiculi demum locum tenere etiam possent textus: « **Et** ideo ... misericordiam suam. *Judith. VIII. 16-17;* **Propterea** ... oculi nostri. *Thr. V. 17;* **Lugete** ... exaltabit vos. *Jac. IV. 9-10.* »

8. Altera Antiphona ad Matutinum pro V. Statione esset sequens: « Cum ducerent Eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. *Luc. XXIII. 26.* »

---

[1] Hæc Communio legi posset iisdem verbis, uti prima Antiphona ad II. Vesperas respondentis Festi pag. (22) jam relata.

[2] Cf. in Martyrologio Romano Appendicem pro Ordine Servorum B. M. V., quæ in editione Mechliniensi anno Domini 1859. adornata ad pag. 495. invenitur.

9. Quamvis multi sint Patres et Doctores Ecclesiæ, qui vel Sermonibus ad populum, vel Commentariis in Sacram Scripturam, aliisque scriptis agant de Passione Domini; tamen aut generice eamdem pertractant, aut ita plerumque sunt prolixi, ut nequeant ab eis Lectiones solum tres eligi, quin interruptiones immodicæ et in sacris Officiis haud solitæ inducantur. Quapropter hic saltem aliquos, qui ad rem nostram aptius occurrunt, indicabimus, ea ratione quam adhibuimus pro primo ex Officiis hujus Operis. Sunt autem: Sanctus Augustinus apud Migne *Patrologia Latina* tom. XXXVIII. pag. 1084-1087., tom. XXXIX. pag. 2039-2040. et pag. 2042-2043.; Sanctus Leo Magnus *Ibid.* tom. LIV. in novemdecim Sermonibus pag. 313-384. editis; Sanctus Anselmus Cantuariensis *Ibid.* tom. CLVIII. pag. 748-749., pag. 754-756., pag. 770-771., pag. 790-791.; Sanctus Alexander Episcopus Alexandrinus apud Migne *Patrologia Græca* tom. XVIII. pag. 595-602., Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus tom. XXXIII. pag. 818-819.; Sanctus Joannes Chrysostomus in tribus Sermonibus qui leguntur pag. 185-186. Tom. III. inter ejus Opera Omnia Venetiis anno MDXLVIII. edita, sed hoc in casu pro duobus ultimis Sermonibus Evangelium e Missa Votiva de Cruce foret accipiendum; Sanctus Bonaventura in *Fasciculario* inter Opera Omnia ejusdem Sancti tom. VII. pag. 103-104. Lugduni anno MCLXVIII. edito.

10. Versus post ℟. quartum sequens esse valet, uti in Festo Pretiosissimi Sanguinis ad simile Responsorium post I. Lectionem Matutini: « Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. *Hebr. XII. 4.* »

11. Lectiones III. Nocturni optime sumi etiam possent ex alio Sermone ejusdem Sancti Leonis, nempe Sermone LVII. alias LV. et de Passsione Domini VI., quin in textu ulla interruptio admittenda sit, aut pro Simplici Lectionis IX. omissio. Præstabit hic distributionem earum indicare: *Lectio VII.* « Seditiosis igitur clamoribus .... mundi commotione monstratum est.» — *Lectio VIII.* « Pendente enim.... quorum crimen horremus.» — *Lectio IX.* « Tanto igitur pretio .... in laqueos iterum suæ mortis inducat. » = *Cf. Migne* Patrologia Latina, *tom. LIV. pag. 330-331.*

12. In Oratione Officii et Missæ dici posset verbum *dubitasti* pro altero *recusasti*, atque etiam Orationem novam e Dominica Palmarum sumptam accommodare, uti non diversa admodum ratione fit in Festo Commemorationis Dominicæ Passionis, Feria III. post Dominicam Sexagesimæ a Minoritis recolendo. Esset autem sequens: « ORATIO. Omnipotens æterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum Crucem subire fecisti: concede propitius; ut sicut ad Calvariæ locum devote illum prosequimur, ita et patientiæ ipsius habere documenta, et Resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem. »

13. Altera Antiphona, inter plures, ad Magnificat in II. Vesperis: « Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte; et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. *Matth. XX. 18.* »

14. Alii textus pro Missa accipi etiam possent a Votivis de Cruce, ac de Passione Domini ex qua præsertim suppetunt Introitus, Versus ad *Alleluja* post Graduale, necnon Versiculi pro Tempore Paschali. Tum autem pro Missa tum pro Officio, atque simul pro Mysteriis communiter et singillatim acceptis, recursus haberi posset ad Missas quæ pro Quatuordecim Viæ Dolorosæ Stationibus apud Missale Votivum Terræ Sanctæ pag. 19-37. collocantur. Item testimonia adsunt in libro Actuum Apostolorum *Cap. II. 22-23. et 36., III. 13-15., IV. 25-27.;* necnon in Epistola ad Romanos *Cap. VI. 4-8.*

15. Ad Missam Introitus confici posset vocibus quibus efformatum est Offertorium, vel etiam verbis sequentibus: « Christus, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci. *Col. II. 14.* »

16. Immo testimonium ad Introitus Antiphonam acceptum legi posset uti ad Introitum Sanctorum Martyrum Japonensium I. et III. Ordinis sub die V. Februarii apud Missale Romano-Seraphicum; vel potius sequenti modo: « **Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes** in Auctorem fidei etc. »

17. Hic textus inservire posset seu pro Versiculo ad *Alleluja* post Graduale per annum, seu pro alterutro Versu Temporis Paschalis: « Complacuit Deo per Christum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Col. I. 20.* »

18. Si Evangelium desideretur a prima ad ultimam Viæ Dolorosæ Stationem decurrens, in quo et plura Mysteria, quantum fieri possit, comprehendantur; sumi posset e Luca potius, quam ex alio inter reliquos tres Evangelistas, qui et prolixiores sunt et pauciora forsan enarrant facta. Illius enim textus certe longior non esset quam narrationes evangelicæ de Colloquio Christi cum muliere Samaritana, de Illuminatione cœci nati, de Resurrectione Sancti Lazari, quæ Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ, Feria IV. et VI. post Dominicam IV. ipsius Quadragesimæ ac Festo particulari Sancti Lazari respective apud Missale Romanum assignantur; quin comparatio institui necesse sit inter hoc Evangelium assumendum et alia Evangelia et maxime Epistolas in Missali jam posita, unde aut par aut brevius illud quam hæc resultaret. Mutato igitur initio Lectionis primæ ad III. Nocturnum in corpore Festi et in Appendice, sic Evangelium Missæ ordinari posset: « Sequentia « sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. XXIII. 24.* « In illo tempore: Pilatus adjudicavit fieri petitionem « Judæorum. Dimisit .... quisquam positus fuerat. »

# III.

## DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS. [1]

### IN SOLEMNITATE

## SEPTEM GAUDIORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. [2]

UBI ALIQUOD EX MYSTERIIS CONTIGIT DUPLEX I. CLASSIS. [3]
RELIQUIS LOCIS IN CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ DUPLEX II. CLASSIS TANTUM.

### IN I. VESPERIS. [4]

*Ant.* Germinans Virgo germinabit sicut lilium, et exsultabit lætabunda et laudans. [5] Alleluja.

*Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis ut in Festis B. M. V. per annum.*

*Ant.* Gaudium et lætitia invenietur in ea: gratiarum actio, et vox laudis. [6] Alleluja.

*Ant.* In virtute tua, Domine, lætabitur: et super Salutare tuum exsultabit vehementer. [7] Alleluja.

*Ant.* Confessio, et magnificentia coram ea: fortitudo, et gaudium in loco ejus. [8] Alleluja.

*Ant.* Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. [9] Alleluja.

CAPITULUM.

*Isai. LXVI. 10.*

Lætamini, et exsultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam: ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. [10]

---

[1] Officio de Solemnitate Septem Gaudiorum B. M. Virginis celebrando aptissimum habetur Tempus Paschale, sicuti Tempus a Septuagesima ad Pascha pro Festis Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis. Et revera, inter Officia Mexicanorum Mechliniæ sæpe edita, Sabbatum ante Dominicam III. post Pascha deligitur pro eisdem Gaudiis recolendis, et in Conv. Penh. apud Rempublicam Americæ Brasiliensem Feria II. post Dominicam in Albis: semper uti cernimus, intra Tempus Paschale. Nos et hoc Tempus item eligentes, et diem festivam, quo fideles maxime indigenæ operarii facilius peregrinari ad Sanctuarium possint in die Festi, uti jam semper pro aliis Palæstinæ Locis devote consueverunt: huic Festivitati Dominicam ante Pentecosten assignare celebrandæ optimum fore censuimus.

[2] Novum quidem est Officium, ut alteri nonnihil improprio jam concesso subrogetur, at minime nova hæc Solemnitas in laudem B. M. Virginis peragenda; quoniam « Benedictus XIV. festum VII. Gaudiorum B. V. Mariæ introduxit. » — *Cf. P. Clari Vascotti* Institutiones Historiæ Ecclesiasticæ, *Tom. II. pag. 334. Vindobonæ anno 1895. editæ.*

[3] Nempe in Conventibus Nazareth, Sancti Joannis in Montana, Bethlehem, Sanctissimi Sepulchri, ubi Fratres Minores illa loca divinis frequentant officiis, ubi quinque Gaudiorum Mysteria contigerunt. Ex quo patet, solummodo locum Inventionis Pueri Jesu in templo ab ipsis Minoritis non possideri, et locum Assumptionis Deiparæ in Valle Josaphat in eorum præjudicium a Schismaticis anno 1757. violenter occupatum. Quoniam vero devotio in Septem Gaudia B. M. Virginis est communis Ordini universo, Officium pro omnibus Franciscanis in Custodia Terræ Sanctæ degentibus imploratur.

[4] In I. Vesperis, ad Laudes, et in II. Vesperis textus Gaudia B. M. Virginis generice considerant, ita tamen ut per quinque Antiphonas ad Psalmos, per Versum cum suo Responsorio, ac per Antiphonam ad Magnificat seu Benedictus, unumquodlibet ex Gaudiis aliqua saltem remotiori ratione successive comprehendatur. Et quoniam plerumque testimonia ad primas Vesperas persona *tertia,* ad Matutinum et Laudes *prima,* ad II. Vesperas *secunda* enunciantur; hinc ad exemplum Officii proprii de Sancto Vincentio Levita et Martyre ab Hispanis die XXII. mense Januario recitandi, partes illæ perpaucæ, quæ persona ab omnibus fere aliis discrepabant, nonnihil fuerunt accommodatæ.

[5] Antiphona hæc e verbis Isaiæ Prophetæ *Cap. XXXV. 2.,* addito nomine *Virgo,* conficitur; cujus textus per divum Thomam Deiparæ et Mysterio applicatur. — *Cf. ejusd. Auctoris* Expositio in Matthæum Evangelistam, *tom. X. pag. 17. inter Opera Omnia anno MDCCCLXI. Parmæ edita.*

[6] Ex Isaia Propheta *Cap. LI. 3.*

[7] E Psalterii libro *Ps. XX. 2.,* transposito verbo *Domine,* omissaque voce *Rex,* prouti etiam fit ad Missam *In virtute* de Communi unius Martyris non Pontificis.

[8] E libro I. Paralipomenon *Cap. XVI.* **27.**, congruenter verbo *eo* in alterum *ea* commutato.

[9] Ex libro Ecclesiastici *Cap. I. 29.*

[10] Capitulum istud edicitur hoc tantum loco adhibendum, ob rationes jam nota 4. præsentis pag. allatas. Hujusmodi exempla interdum etiam in Breviario Romano conspiciuntur, et præsertim in Festo Dominicæ Nativitatis, necnon in Officio proprio Sancti Vincentii de Paulo a Sacerdotibus de Congregatione Missionum recitando.

HYMNUS. [1]

Gens o fidelis, nunc juvat inclytæ
Dei Parentis pandere gloriam:
Ejusque miram dulciori
Lætitiam celebrare cantu.
Astans ab altis sedibus Angelus
Dum magna promit: Virgo beatior
Excepit alvo Conditorem,
Fitque Parens genitis Adami.
Ut ipsa fœtam visere Proximam
Festinat, ultro sublevat indigos:
Enixa Verbum, dat supremi
His sobolem fieri Satoris.
Dum proferuntur munera Parvulo
Mater coruscam dat populis fidem: [2]
Ut invenit Jesum, perennes
Divitias revehit clientum.
Ictaque partis e nece Filio
Gaudens triumphis, erigit anxios:
Advecta cœlos, hinc benigna
Respicit exsilio gementes.
Audi, qui amantem lætificas pius
Matrem: fac omnes naviter asseclæ,
Spretis caducis, assequantur
Gaudia quæ resident in ævum.
Amen.

℣. Convertet Dominus luctum ejus in gaudium. Alleluja.

℟. Et consolabitur eam, et lætificabit a dolore suo. [3] Alleluja.

*Ad Magnificat, Ant.*

Stola gloriæ vestiet illam Dominus: jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illam: et nomine æterno hæreditabit illam. [4] Alleluja.

*Oratio ut ad Laudes.*

*Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis. Conclusio Hymnorum, ad omnes Horas diei, erit:*

Jesu tibi sit gloria,
Matrem qui adimples gaudiis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. [5]
Amen.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Christum Dominum, in quo Mater exsultat: * Venite adoremus. Alleluja.
*Ps. 90.* Venite.

HYMNUS.

Adeste amantes filii:
Et Matris almæ gaudia,
Quæ Numen illi contulit,
Lætis referte canticis.
Dum misso ab astris Nuntio
Aurem fidelis porrigit:
Pudica, dante Flamine,
Verbum Parentis concipit.
Cum gratulata Proximam
Piis salutat vocibus:
Deo ciente, gloriam
Sibi perennem concinit.
Et usque Virgo permanens,
Desideratum Gentium
Beata fundit, osculis
Fovet, ministrat ubera.
Novique ductu sideris
Magos reperto Parvulo
Conjuncta votis munera
Offerre gaudens aspicit.
Jesu tibi sit gloria,
Matrem qui adimples gaudiis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Exsultabit cor meum, Deus, in Salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini Altissimi. [6] Alleluja.

---

[1] Hoc loco Odem alcaicam eligimus, quæ adhibetur etiam ad Officium Matutini proprium Sancti Vincentii de Paulo Congregationi Missionis concessum; in quo prima Hymni Stropha: « O qui supernæ gaudia patriæ — Haustu perenni plenius ebibis — Ne sperne, Vincenti, tuorum — Vota, preces, gemitus clientum. » In primo autem Hymno aliisque tribus insequentibus, normam in omnibus secuti sumus, qua Hymnos in Festo Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis D. N. J. Christi confecimus; etsi Acrostichidem in I. solum Vesperis hic admittamus.

[2] « Hæc dedit fidem Gentibus ». — Ita Sanctus Petrus Chrysologus ad Lectionem VI. in Officio Puritatis B. M. Virginis.

[3] E Jeremia Propheta *Cap. XXXI. 13.* accipitur, mutatis numero, genere et persona.

[4] Ex libro Ecclesiastici *Cap. XV. 5.*, mutato genere, desumitur.

[5] Assignavimus hic specialem conclusionem, uti ponitur propria in posteriori Festo Septem Dolorum B. M. Virginis.

[6] E Psalterii libro *Ps. XII. 16.*

*Ps.* Domine Dominus noster, *cum reliquis ut in Festis B. M. V. per annum.* [1]

*Ant.* Inventi sunt sermones tui, Domine, et comedi eos: et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei. [2]

*Ant.* Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. [3]

℣. Lætabor, et exsultabo in te. Alleluja.

℟. Psallam nomini tuo, Altissime. [4] Alleluja.

LECTIO I.

Incipiunt Cantica Canticorum. [5]

*Cap. I. 1.*

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

℟. [6] Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo, [7] alleluja: * Quia lætata sum in Salutari tuo. [8] Alleluja.

℣. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exsultationis laudabit os meum. [9] — Quia.

LECTIO II.

*Cap. II. 1.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

℟. Angelus Domini Gabriel nuntiavit Mariæ, alleluja: * Et concepit Virgo de Spiritu Sancto. [10] Alleluja.

℣. Ingressus itaque Angelus salutavit eam, et dixit: Gaudium sit semper. [11] — Et.

---

[1] Quoniam non omnes Antiphonæ e Psalterio deliguntur, et aliquando plures simul textus proveniunt vel ex eodem loco, vel non servato ordine numerali; consueti assignantur Psalmi ut in Festis B. M. Virginis per annum, et nullatenus Antiphonarum proprii: idque non infrequens est apud Breviarium Romano-Seraphicum, et nominatim in Festis Sanctissimi Nominis Jesu, et Sancti Leonardi a Portu Mauritio die XIV. Januarii ac XXVI. Novembris respective celebrandis.

[2] Ex libro Jeremiæ Prophetæ *Cap. XV. 16.*

[3] E Psalterii libro *Ps. LXXXV. 11.*

[4] Sumitur utrumque e Psalterii libro *Ps. IX. 3.*, atque ad Tertiam repetitur juxa morem consuetum.

[5] Lectiones sequentes, in quarum prima aliqualis admissa est interruptio, videntur satis Mysterio convenire, et citantur ex parte etiam a Sancto Bernardino Senensi in Lectione V., ubi ait: « Vere dilecta Virgo Maria, in cellam vinariam ad Regem sponsum tuum introducta. »

[6] In præsenti Officii parte conficienda, hanc jugiter servavimus regulam, ut primo Responsorio generatim Gaudia Deiparæ Virginis consideremus, dein reliquis septem Responsoriis unumquodque ex iisdem Gaudiis distincte recolamus. Ita etiam fit in altero Festo Septem Dolorum B. M. Virginis intra mensem Septembris recolendo, ubi tamen Responsorium omnibus Doloribus commune non primo loco sed ultimo collocatur.

[7] In Responsoriis Officii hujus ante et post asteriscum * addimus vocem *Alleluja*, prouti sæpe fit in Festis Tempore Paschali celebrandis.

[8] E libro I. Regum *Cap. II. 1.*, omissis verbis quibusdam, prouti fit in Antiphona ad Magnificat pro I. Vesperis de Festo Purissimi Cordis B. M. Virginis, iisdem vocibus expressa.

[9] E Psalterii libro *Ps. LXII. 6.*

[10] Ex ultima Antiphona III. Nocturni in Festo Annuntiationis B. M. Virginis, addito nomine *Gabriel* quod invenitur in Antiphona prima ad I. Nocturnum Sanctissimi Rosarii, et altero *Virgo*, quod in Officiis Sancti Gabrielis et ipsius Annuntiationis sæpius intercurrit.

[11] Ex libro Tobiæ *Cap. V. 11.*, sed mutatur vox *eum* in *eam*, ut Deiparæ valeat appropriari. In isto autem Versu et sex insequentibus, illud semper spectavimus, ut et Responsorio præposito ipse adaptetur, et gaudium aliquo modo per sumpta verba exprimatur.

LECTIO III.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.

℟. Cum audisset salutationem Mariæ Elisabeth, exclamavit voce magna, et dixit, alleluja: * Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. [1] Alleluja.

℣. Jucundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Domino. [2] — Benedicta.

Gloria Patri. — Benedicta.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* Providebam Dominum in conspectu meo semper: propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea. [3] Alleluja.

*Ant.* Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius; sed lætitiam, et gaudium. [4]

*Ant.* Lætabor in salutari tuo, Domine: et in nomine Dei nostri magnificabor. [5]

℣. Delectasti me, Domine, in factura tua. Alleluja.

℟. Et in operibus manuum tuarum exsultabo. [6] Alleluja.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardini Senensis. [7]

*Ex Sermone IX. de Visitatione.*

Beata Virgo Maria rependit Domino grates exsultando, propterea subdit: Et exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo. Ex magnificatione Dei recte subsequitur exsultatio spiritus atque mentis, quasi dicat: Exsultavit spiritus meus extra omnem creaturam, et extra semetipsum, et jam præ immensitate gaudii exsultavit in Deo Salutari meo, idest in Jesu, licet omnium, tamen singulariter mei. [8] Dixerat enim ei Angelus: Vocabis nomen ejus Jesum; quod interpretatur Salutare. Exsultavit quippe in filio, quem gestabat in utero, quasi dicat: Totum quod sentio, totum quod discerno, totum quod vivo; in ejus magnitudine contemplanda, et præceptis ejus servandis impendo: nulla prosperitas me extollit, nulla adversitas me frangit; sed in illis solis delectatur spiritus meus, memoria in illius perpetua divinitate, cujus caro mea fœcundatur temporali conceptione. Quasi diceret: [9] De salute quoque, quam humano generi præparari video, totis præcordiis exsulto; video namque de me assumi, quod et credo pro me debere offerri.

℟. Peperit Maria filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, alleluja: * Et reclinavit eum in præsepio. [10] Alleluja.

℣. Conquievit, et siluit omnis terra: gavisa est Virgo, et exsultavit. [11] — Et.

---

[1] Ex Evangelio Lucæ *Cap. I. 41-42.*, aliquibus verbis omissis, ac mutata conjunctione *Ut* in *cum*, prouti fit in Antiphona ad Benedictus pro Festo Visitationis B. M. Virginis.

[2] E Psalterii libro *Ps. CIII. 34.*

[3] E libro Psalterii *Ps. XV. 8.*, iisdemque concluditur verbis, sequentibus omissis, ac ℟. tertium in I. Nocturno Dominicæ II. post Epiphaniam.

[4] E libro Sapientiæ *Cap. VIII. 16.*

[5] E Psalterii volumine *Ps. XIX. 6.*, mutato numero plurali in singularem.

[6] Sumuntur ambo e Psalterio *Ps. XCI. 5.*, et adhibetur, prouti mos est, ad Tertiam quoque et Sextam.

[7] Sermo, unde harum textus Lectionum sumebatur, legitur tom. IV. pag. 112. inter Opera Omnia Sancti Bernardini Senensis anno MDCL. Lugduni edito, adhibitusque ex parte fuit ad conficiendas Lectiones II. Nocturni in Festo Purissimi Cordis B. M. Virginis. Quamvis autem prima fronte videatur Sermo tantummodo super II. Gaudio Deiparæ versari, tamen uti e VI. Lectione probatur, etiam ad reliqua extenditur.

[8] Addimus vocem *mei*, quæ in superius citata editione non invenitur, idque hic efficitur ad sensus complementum.

[9] Hic et in fine Lectionis V. omittitur citatio Auctoris, « ut ait Hugo » et « Hæc Hug. », quæ necessaria non est, immo inutilis et pulchritudinis regulis contraria. Omittique etiam possent, eamdem aliquatenus ob causam, citationes Sacræ Scripturæ et Sancti Bernardi in Lectione VI. inferius appositæ.

[10] Ex Evangelio Lucæ *Cap. II. 7.*

[11] Verba hæc uti a nobis effecta reuptentur, qui tamen vocibus utebamur apud Isaiam Prophetam *Cap. XIV. 7.* occurrentibus, addito nomine *Virgo*.

LECTIO V.

Vere dilecta Virgo Maria, in cellam vinariam ad Regem sponsum tuum introducta, ab ubertate domus ejus inebriata, memoriam suavitatis illius eructasti, et justitia illius exsultasti. Vidisti quippe majestatem, gustasti suavitatem: ideo quod intus hausisti, foris propinasti. Duo enim sunt, quæ boni Angelorum et hominum spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt: scilicet incomprehensibilis Dei majestas, et ineffabilis bonitas; quorum alterum castum timorem gignit, alterum dilectionem parit. Pro majestate namque venerantur Deum; pro bonitate diligunt eum: ne vel dilectio sine reverentia dissoluta sit, vel reverentia sine dilectione, pœnalis. Ad hanc contemplationem mens beatæ Virginis subvecta est, quæ cœlestis patriæ dulcedinem in verbis suis tam amabiliter expressit, quam mirabiliter comprehendit. Cum enim magnificare Dominum se perhibuit, venerandam majestatem in æterna visione contuitam fuisse manifeste declaravit; cum vero se in Salutari suo exsultasse asseruit, gustum internæ dulcedinis se percepisse ostendit.

℟. **M**agi intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, alleluja: * Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham. [1] Alleluja.

℣. Exsultavit Mater, atque lætata est: illis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium. [2] — Et.

LECTIO VI.

Beata Virgo Maria Deo agit gratias exemplificando, scilicet quæ tantum ascendit contemplando majestatem Dei, omne verbum, quod in ea erat, in ipsum refundens, tandem in profundam humilitatem resiliens, et in exemplum se ponens, subdit: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Scilicet præ cæteris eligendo, ut fierem mater Salvatoris mei; Proverbiorum ultimo: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Tripliciter quidem respexit. Primo, inspirando ut humilitatem præ ceteris donis eligerem; Lucæ primo Capite: Ecce ancilla Domini. Secundo, acceptando ut ipsum Dominum conciperem; Bernardus: Et si ex Virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit. Tertio, exaltando ut per ipsam super omnes cœlos ascenderem; Psalmus: Elevata est magnificentia tua super cœlos. [3] Porro devotionem piissimam, qua peculiari Rosario veneramur septem beatæ Virginis Gaudia, quibus a Verbi conceptione usque ad gloriosam Assumptionem in Deo salutari suo mirabiliter exsultavit; apud Alumnos Ordinis Minorum superna, uti narrant, ipsius Deiparæ revelatione invectam, et per Leonem decimum aliosque Romanos Pontifices Indulgentiis ditatam plenariis, Leo decimus tertius Pontifex Maximus Officio et Missa propriis augendam indulsit.

℟. **R**equirentes Jesum parentes ejus, alleluja: * Post triduum invenerunt illum in tempo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. [4] Alleluja.

℣. Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt Salutare tuum. [5] — Post.

Gloria Patri. — Post.

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Exsultabo, et lætabor in misericordia tua, Domine: quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. [6] Alleluja.

*Ant.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. [7]

---

[1] Ex Evangelio Matthæi *Cap. II. 11.*

[2] Verba quidem materialiter ex libro Esther *Cap. VIII. 15–16.* partim sumebantur; at illa considerentur ut si essent solummodo humanitus prolata, quemadmodum sæpe quoad alias Breviarii Romani Antiphonas præstatur.

[3] Veritas assertionum in calce hujus VI. Lectionis positarum, comprobari optime potest ex iis, quæ P. Petrus Mocchegiani a Monsano tradit de Septem Gaudiis Deiparæ in eximio Opere *Collectio Indulgentiarum*, num. **711-723**, et pag. 317-326. ad Claras Aquas anno 1897 edito. Ibi et lector abunde et enucleate dissertum inveniet, quidquid umquam de Corona Franciscana VII. Gaudiorum B. M. Virginis a Waddingo, Ferraris, aliisque Auctoribus dictum quoquo modo fuerit.

[4] Ex Evangelio Lucæ *Cap. II. 45.*

[5] E Psalterii libro *Ps. LXIX. 5.*

[6] E Psalterii libro *Ps. XXX. 8.*

[7] E Psalterio *Ps. XCIII. 19.*

*Ant.* Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. [1]

℣. Ego autem, Domine, cantabo fortitudinem tuam. Alleluja.

℟. Et exsultabo mane misericordiam tuam. [2] Alleluja.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. [3]

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Sophronii Episcopi. [4]

*Homilia in Deiparæ Annuntiatione.*

Quid missus beatus ille Angelus ad Virginem integerrimam dicit? aut quomodo faustissimum hoc nuntium Ipsi defert? [5] Ave gratia plena, Dominus tecum. A gaudio incipit eam alloqui ille gaudii nuntius. Noverat enim et plane sciebat, nuntium illud suum universis hominibus atque omnibus pariter creaturis gaudium parare, et quoslibet a quibuscumque dolores expellere; noverat, ex divina hujus mysterii cognitione mundum lumine collustrari; noverat, erroris disjici caliginem; noverat, retundi mortis aculeum; noverat, vim corruptionis infringi; noverat, inferno victoriam auferri; noverat, salutem perdito affulgere homini, qui horum malorum jugo jamdiu premebatur, ex quo scilicet a paradisi deliciis expulsus, et a beato illo domicilio ejectus fuerat. ¶ Propterea legationis suæ exordium a gaudio ducit; propterea sermonibus suis gaudii voces præmittit; propterea faustis hisce nuntiis gaudium antecedit, utpote quæ omnibus credentibus gaudio futura erant.

℟. Gaude, et lætare, Virgo Maria, alleluja: * Quia surrexit Dominus vere. [6] Alleluja.

℣. Exsue te stola luctus, et vexationis tuæ: et indue te decore et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. [7] — Quia.

LECTIO VIII.

Et sane par omnino erat, ut divina gaudii denuntiatio a sermonibus verbisque gaudium elicientibus sumeret initium. Propterea enim et Angelus gaudium ante omnia renuntiat, quia faustæ legationis suæ non ignorat exitum, ac probe novit colloquium quod habebatur, in totius mundi gaudium manifeste esse cessurum. Et profecto quodnam gaudium, aut quænam reperiri potest jucunditas, quam non longe excedat alloquium ad Virginem illam beatam ac gaudii parentem habitum? ¶ Gaude, o supercœlestis gaudii genitrix. Gaude, o sublissimi gaudii nutrix. Gaude, o salutaris gaudii sedes princeps. Gaude, o immortalis gaudii auctrix. Gaude, o ineffabilis gaudii mysticum diversorium. Gaude, o indeficientis gaudii fons beatissime. Gaude, o gaudii æterni deiferum cimelium. Gaude, o vivificantis gaudii arbor virentissima. Gaude, o innupta Dei mater. Gaude, o Virgo post partum integerrima. Gaude, o spectaculum præ mirabilibus omnibus summe admirandum. Quisnam tuum eloqui splendorem possit? Quisnam portentum, quod ipsa es, enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet? Tu hominum exornasti naturam; tu Angelorum ordines superasti.

---

[1] Ex volumine Psalterii *Ps. XV. 11.* Etiam in Antiphonis et Versibus Matutini aliquatenus Septem Gaudia Deiparæ referuntur, si excipiatur prima Antiphona ad I. et II. Nocturnum; idemque fit in Responsoriis brevibus Horarum.

[2] Sumitur utrumque e Psalterii libro *Ps. LVIII. 17.*, repetiturque de more ad Sextam et Nonam.

[3] Quoniam Septem Deiparæ Gaudia pluribus Evangeliorum locis, Auctore etiam sæpe differentibus, comprehensa dignoscuntur, et idcirco impossibile sit uno omnia textu comprehendi, huic designamus Festo Evangelium primi Gaudii; uti etiam fit in Solemnitate Sanctissimi Rosarii ipsius B. M. Virginis, in qua eligitur textus primo ex Quindecim Mysteriis appropriatus. Cæterum, in casu nostro primum e VII. Gaudiis et maximum est et fundamentum reliquorum, idque melius in hoc Festo quam in Solemnitate Sanctissimi Rosarii comprobatur, habita præsertim ratione Mysteriorum in *gaudiosa, dolorosa,* atque *gloriosa* inibi distinctorum.

[4] Hujus Homiliæ textus legi potest sub die IX. Decembris, secunda infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis apud Breviarium Romanum; quamvis ibidem Lectio VIII. aliter fuerit distributa.

[5] Apud Migne, *Patrologia Græca* tom. LXXXVII. *C.* pag. 3235–3238., hic habentur verba: «et qualia portenta per ipsam magnificentia hæc divina molitur? *Ave* etc.»

[6] Prima Responsorii pars conficitur e Versiculo ad Antiphonam finalem *Regina Cœli* Tempore Paschali adhibendam.

[7] Ex Baruch Propheta *Cap. V. 1.*

℟. Exaltata est sancta Dei Genitrix, alleluja: * Super choros Angelorum, ad cœlestia regna. [1] Alleluja.

℣. Dabis eam, Domine, in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eam in gaudio cum vultu tuo. [2] — Super.

Gloria Patri. — Super.

*Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis.*

℣ *Verum, si celebretur hoc Festum extra Dominicam, neque legenda sit alia IX. Lectio de Simplici aut de Homilia, tunc supradictæ Lectiones ita dividuntur: Lectio VII.* Quid missus, *usque ad* ejectus fuerat; *Lectio VIII.* Propterea, *usque ad* habitum; *Lectio IX.* Gaude, *usque ad finem.*

## AD LAUDES

### ET PER HORAS.

*Ant.* Cor meum, * et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. [3] Alleluja.

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* In Domino * laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur. [4] Alleluja.

*Ant.* Anima autem mea * exsultabit in Domino, et delectabitur super Salutari suo. [5] Alleluja.

*Ant.* Hoc erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exsultationem cunctis gentibus terræ. [6] Alleluja.

*Ant.* Inveni gratiam * apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ. [7] Alleluja.

CAPITULUM.

*Luc. I. 47.*

Exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

HYMNUS.

Si te gementem novimus,
O Virgo Mater, insimul
Videmus almo cedere
Cunctos dolores gaudio.

Reversa dum Jerusalem
Natum requiris anxie:
Hunc mira doctis invenis
Augusta in Ædo colloqui.

Obisse quem tu fleveras
Inter nocentes, vulnera:
Vitæ reductum perpeti
Adesse cernis Filium.

Subjecta mortis ictibus,
Si claudis olim lumina:
Nova decorum gloria
Ad astra corpus evehis.

Tibi fideles servuli,
Qui gratulantur gaudia:
Da Virgo, tersis fletibus,
Ut assequantur præmium.

Jesu tibi sit gloria,
Matrem qui adimples gaudiis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Convertisti, Domine, planctum meum in gaudium mihi. Alleluja.

℟. Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. [8] Alleluja.

*Ad Benedictus, Ant.*

Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea: super excelsa deducet me. [9] Alleluja.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui dilectæ Genitricis animum in te Salutari suo mirabiliter exsultare fecisti: concede propitius; ut qui ejusdem Virginis Gaudia recolimus, a terrenis voluptatibus expediti, supernis consolationibus per ipsam impleamur: Qui vivis.

*Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

---

[1] Ex Antiphona I. ad Matutinum Assumptionis B. M. Virginis.
[2] E libro Psalterii *Ps. XX. 7.*, bis mutato personæ genere ad pronomen *eum*.
[3] E Psalterii volumine *Ps. LXXXIII. 3.*
[4] E Psalterii libro *Ps. XXXIII. 3.*
[5] E Psalterio *Ps. XXXIV. 9.*
[6] Ex Jeremia Propheta *Cap. XXXIII. 9.*, addito verbo *hoc*.
[7] E libro Ruth *Cap. II. 13.*
[8] Sumitur utrumque e Psalterii libro *Ps. XXIX. 12.*, expresso verbo *Domine*, et hoc solum loco usurpatur.
[9] Ex Habacuc Propheta *Cap. III. 18–19.*, omissis aliquibus vocibus, quæ etiam in ℟. II. ad Matutinum Purissimi Cordis ejusdem B. M. Virginis indidem sumpto, reticentur.

### AD PRIMAM.

*In* ℟. *brevi dicitur:* ℣. Qui spiritum Matris lætificasti. [1]

### AD TERTIAM.

*Capitulum.* Exsultavit, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* **L**ætabor, et exsultabo in te: * Alleluja, alleluja. — Lætabor. — ℣. Psallam nomini tuo, Altissime. — Alleluja. — Gloria Patri. — Lætabor.

℣. Delectasti me, Domine, in factura tua. Alleluja.

℟. Et in operibus manuum tuarum exsultabo. Alleluja.

### AD SEXTAM.

CAPITULUM.

*Baruch. IV. 22.*

**E**go enim speravi in æternum salutem vestram: et venit mihi gaudium a Sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno Salutari nostro.

℟. *br.* **D**electasti me, Domine, in factura tua: * Alleluja, alleluja. — Delectasti. — ℣. Et in operibus manuum tuarum exsultabo. — Alleluja. — Gloria Patri. — Delectasti.

℣. Ego autem, Domine, cantabo fortitudinem tuam. Alleluja.

℟. Et exsultabo mane misericordiam tuam. Alleluja.

### AD NONAM.

CAPITULUM.

*Isai. LXI. 10.*

**G**audens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.

℟. *br.* **E**go autem, Domine, cantabo fortitudinem tuam: * Alleluja, alleluja. — Ego. — ℣. Et exsultabo mane misericordiam tuam. — Alleluja. — Gloria Patri. — Ego.

℣. Exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi. Alleluja.

℟. Et anima mea, quam redemisti. [2] Alleluja.

### IN II. VESPERIS.

*Ant.* Lætare, et exsulta in omni corde filia Jerusalem: Rex Israël Dominus in medio tui. [3] Alleluja.

*Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis ut in Festis B. M. V. per annum.*

*Ant.* Noli timere, exsulta et lætare: quoniam magnificavit Dominus, ut faceret. [4] Alleluja.

*Ant.* Et tu exsultabis in Domino, in Sancto Israël lætaberis. [5] Alleluja.

*Ant.* Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: et educet quasi lumen justitiam tuam. [6] Alleluja.

*Ant.* Refrigerabit te filius tuus, et dabit delicias animæ tuæ. [7] Alleluja.

CAPITULUM.

*Soph. III. 17.*

**D**ominus Deus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude.

HYMNUS.

Voce festiva memorent Redempti
Jubila excelsæ Genitricis: inde
Assequi ut normam valeant, et almæ
Gaudia vitæ.

Ipsa, quæ Verbum generare Patris
Virgines inter legitur beata:
Nos Deo jungat, tribuatque sanctos
Reddere fructus.

Ipsa, quæ fœtam comiter revisit
Proximam, nostros videat labores:
Quæ parit Numen, revehat perennis
Munera pacis.

Quæ Magos cernit Puerum colentes,
Nos Deo sistat tenebris ademptos:
Læta quæ Jesum reperit, profusa
Dona requirat.

---

[1] Allusive intenditur Lucæ Evangelium *Cap. I. 47.*

[2] E Psalterii volumine *Ps. LXX. 23.*

[3] E Sophonia Propheta *Cap. III. 14-15.*, quibusdam verbis omissis, uti in Versiculo ad I. Vesperas Purissimi Cordis B. M. Virginis.

[4] Ex Joële Propheta *Cap. II. 21.*, omisso nomine *terra.*

[5] Ex Isaia Propheta *Cap. XLI. 16.*

[6] Ex libro Psalterii *Ps. XXXVI. 4-6.*, quibusdam verbis omissis.

[7] E libro Proverbiorum *Cap. XXIX. 17.*

Quæ resurgentem placide salutat
Filium, nostros levet ipsa agones:
Nosque, dum cœlum penetrat, supernis
Cœtibus addat. [1]

Christe, qui dignam cumulas Parentem
Gaudiis: mœstos releva Fideles,
Ut tibi lætas modulentur usque
Carmine laudes.

Amen.

℣. Post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis. Alleluja.

℟. Sit nomen tuum, Deus Israël, benedictum in sæcula. [2] Alleluja.

*Ad Magnificat, Ant.*

Super Omnipotentem tunc deliciis affluues, et elevabis ad Deum faciem tuam: rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. [3] Alleluja.

*Oratio ut ad Laudes.*

*Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

℣. *Tempore Paschali ad Matutinum dicitur prima tantum Antiphona cujusque Nocturni ante Psalmos ejusdem Nocturni: reliquo vero anni tempore, dicuntur tres Antiphonæ ad unumquodque Nocturnum; et ubique omittendum erit* Alleluja, *præterquam in Antiphonis Laudum cum suo versiculo, in Antiphonis ad Magnificat in utrisque Vesperis, necnon in Responsoriis Matutini, et in* ℟℟. *brevibus ad Tertiam, Sextam et Nonam.* [4]

---

# APPENDIX

## CONTINENS PARTES QUÆ JAM POSITIS SUBROGARI POSSENT.

## A.

*Aliæ Lectiones II. et III. Nocturni pro Festo Septem Gaudiorum B. M. Virginis.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardini Senensis. [5]

*Ex Sermone IX. de Visitatione.*

Beata Virgo Maria, quia ex humilitate intellexit, quantum erat exaltanda, subjungit dicens: Quia rexpexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; scilicet cœli, et terræ, et inferni. Cœli, quoad Angelos, quos restauravit: terræ quoad homines, quos reconciliavit: inferni, quoad captivos, quos liberavit. Hæc est, de qua in mysterio, Judith decimoquinto Capite dictum est: Tu gloria Jerusalem, scilicet cœlestis, cujus ruinam reparasti, quantum ad Angelos: tu lætitia Israël, quantum ad captivos: tu honorificentia populi tui, scilicet hominum, quibus fratrem et reconciliationem generasti. Vel omnes generationes, id est, Angeli et homines, pauperes et divites, magni et parvi, servi et liberi, justi et impii. [6] Et breviter omnis conditionis generatio, quia omnes beatificant eam.

℟. Peperit.

LECTIO V.

Et subdens causam tantæ regratiationis, ait: Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quasi diceret: Hoc ipsum quod me beati-

---

[1] Hæc Hymni stropha claudit numerum Septem Gaudiorum B. M. Virginis, quorum Mysteria sunt in Sacris Libris rite comprobata, præter sextum et septimum, quæ ecclesiasticis Officiis et authentica Ecclesiæ traditione innituntur. Immo dici etiam possunt et ista in Sacris Scripturis Gaudia fundari, cum Deipara seu sola seu cum aliis discipulis Christum a morte resurgentem vidit, et in cœlum vel sine vel cum corpore, omnibus assentientibus, creditur assumpta; et ideo in utroque casu et in qualicumque demum opinione, semper Gaudium vere sensisse eadem Virgo comprobatur, semperque divinæ eidem Matri delecta Officii testimonia videntur convenire.

[2] Sumuntur ambo ex libro Tobiæ *Cap. III. 22.*

[3] Ex libro *Cap. XXII. 26.*

[4] Retinendam alicubi credimus vocem *Alleluja*, cum in Officio et Gaudia semper considerentur, et verbis lætitiam exprimentibus illud efficiatur: quæ ratio sufficiens habetur ad retinendam vel in Officiis Votivis et Sanctorum Suffragiis ipsam vocem *Alleluja*. Demum, e Festis Sanctissimi Nominis et Transfigurationis D. N. J. Christi deducitur, verbum *Alleluja* etiam Officiis extra Tempus Paschale recitandis posse convenire.

[5] Hujus sermonis textus sumebatur ex eodem loco (pag. tamen 113.), unde et Lectiones ad II. Nocturnum in Officii corpore pag. (32-33.) fuerant acceptæ. In principio Lectionis IV. completur evangelicum testimonium per verba: «*Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: ecce etc.», atque ante Lectionem V. aliqualis adest interruptio.

[6] Hic visum nobis est omitti verba, cæteroquin haud necessaria: «*Judæi et Gentes, masculi et feminæ*». Dici quoque tamen posset: «*id est, Angeli et homines, Judæi et Gentes, pauperes et divites*»; etsi, ut cernitur, aliqua semper cum omissione verborum et inversione.

ficant omnes generationes, non mihi attribuo, non meis meritis ascribo; sed potius ei, qui fecit mihi magna. Magnum quippe est, quod virgo sum: majus, quod utrumque simul et mater et virgo sum: sed maximum, si cujus mater sum, attendatur, quia scilicet unigeniti Filii Dei, et omnium Salvatoris. Et licet hæc magna facta sint omnibus generaliter: mihi tamen facta sunt singulariter, et ad meam inæstimabilem gloriam in me et de me per Spiritum sanctum completa potenter.

℟. **Magi.**

LECTIO VI.

Proinde, Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus: quæ per experientiam sentio. Qualia autem sunt, non exprimo: quia nec plene auris Angelica intelligere potest. Ista quippe magna, non solum creaturis sunt maxima, sed etiam maxima et insuperabilia sunt illi, qui potens est, immo omnipotens est, et sanctum nomen ejus. Et tamen nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit, dum scilicet hominem Verbo univit, ut idem sit factor qui et factura, filius meus Jesus, super omnia benedictus Deus, qui ad omnium salutem est factus; sed æterna dispositione, et immensa mea dilectione facta sunt ad meam gloriam singularem.

℟. **Requirentes.**

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Andreæ Cretensis Episcopi. [1]

*In Nativitate B. Mariæ, Orat. IV.*

Veneratione colamus festæ lucis splendorem; offeramus Virgini præclaros virginitatis titulos. Nostri Reginæ generis, ceu dona pretiosaque unguenta, Prophetarum oracula dono adhibeamus. Gabrielis ei acclamemus salutationem. Dicamus gaudii parenti: Gaude, aveque gratiosa, gaude illustri splendore magnifica, per quam pulsis tenebris, lumen vicissim inductum est. Gaude, gratiosa, per quam cessavit lex, et gratia illuxit. Gaude initium gaudii, ac maledictionis finis. Gaude, vere gratiosa; Dominus tecum: Qui ex te postea, antea tecum: illud virtute, hoc actu; nunc quidem, tuum sibi uterum in hospitium aptans; tunc autem, carnali ex te ratione magnum Incarnationis mysterium adornans.

℟. **Gaude.**

LECTIO VIII.

Gaude, quæ sola benedictionem, nempe Dominum sinu complexa es, ut primam proavia maledictionem exsueret. Gaude, divinum virginitatis complexa thesaurum, unde incorruptus prodiit partus manseruntque nihilominus inviolatæ virginitatis divitiæ. Gaude, casta mater, ac Virgo lactans. Gaude, diadema pulchritudinis, generisque ac hominum Regina, regalibus undique magnifice decorata prærogativis. Gaude, sacrum Christi delubrum, qui solus singulariter in sanctis cœlorum secundum ordinem Melchisedech sacerdotio defunctus sit. Gaude, virga Aaron, radix Jesse, sceptrum David, regale indumentum, corona gratiarum, non scriptus virginitatis typus, sanctitatis bractea, rationale manifestationum.

℟. **Exaltata.**

℣ *Si hoc Festum transferri contigerit in diem non habentem IX. Lectionem propriam de Sancto aut de Homilia, erit sequens.*

LECTIO IX.

Salve, legis ac gratiæ mediatrix, veteris novique Testamenti obsignatio, totius prophetiæ perspicua plenitudo, inspiratæ a Deo veritatis Scripturarum acrostichis, Dei ac Verbi animatus ac mundissimus tomus, in quo, sine voce ac scripto, inscriptor ipse Deus ac Verbum quotidie legitur. Salvesis, reformationis nostræ primitiæ, Deique ad nos promissionum ac prædictionum limes: prædictum olim divinæ gloriæ sanctuarium, exspectata Gentium salus. Salve vera scala Jacob, mons fumigans, arca sanctificationis; illa, inquam, undique circumtecta auro, nimirum illustrante Spiritu Sancto; urna ex auro ducta, Christum, cœleste illud manna, portans, orbisque universi immortalem escam.

**Te Deum.**

## DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

### IN SOLEMNITATE

## SEPTEM GAUDIORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Habac. III. 18.*

Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea: super excelsa deducet me. [2] Alleluja, alleluja.

**Ps.** *XXXIII. 2.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

℣. **Gloria Patri.**

[1] Hujus Homiliæ textus legitur apud Migne, *Patrologia Græca* tom. XCVII. pag. 863-866.

[2] In Introitu atque in Offertorio, aliqua verborum fit omissio, uti nempe ad Responsorium I. Matutini et pro Antiphona ad Benedictus in Laudibus, ubi eadem sumuntur testimonia.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui dilectæ Genitricis animum in te Salutari suo mirabiliter exsultare fecisti : concede propitius ; ut qui ejusdem Virginis gaudia recolimus, a terrenis voluptatibus expediti, supernis consolationibus per ipsam impleamur : Qui vivis.

℣. *Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis, et legitur ejus Evangelium in fine.*

Lectio libri Sapientiæ.

*Cant. Cap. II. 1.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles : similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra : ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni : columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. XXXIV. 9.* Anima mea exsultabit in Domino, et delectabitur super Salutari suo. Alleluja. ℣. *Ps. LXXXIII. 3.* Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. (Alleluja.)

## SEQUENTIA [1]

*in Missis votivis omittenda.*

Gaude, Virgo mater Christi,
Namque Verbum concepisti,
Gabriele nuntio.
Fac, nos igne sancti Amoris
Accendamur, ut honoris
Fructus det devotio.

Gaude : digne prædicavit
Te cognata, et exsultavit
Hujus infans gaudio.
Fac resolvi nos peccatis,
Atque ornari largitatis
Tuæ beneficio.

Gaude, o Virgo Deo plena,
Prolem edens sine pœna,
Cum pudore innoxio.
Fac, te Matrem qui lætantur
Invocare, perfruantur
Almæ pacis præmio.

Gaude, quod ab Oriente
Magi, stella prælucente,
Dona ferunt Filio.
Fac, donemur pietate,
Fide, Spe, et Charitate,
Puritatis lilio.

Gaude : Jesum dum quærebas,
Invenisti, et obstupebas
In Doctorum medio.
Fac, o nobilis Patrona,
Ne perdamus cœli bona
In hoc mundi exsilio.

Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget Resurrectio.
Fac, ab imo vitiorum
Surgat mens, et supernorum
Gustum spiret actio.

Gaude : felix astra scandis,
Et est honor tibi grandis,
Regis aucta imperio.
Fac, ad cœlos ascendamus,
Ubi tecum gaudeamus
In æterno solio. Amen.

Alleluja.

---

[1] Hæc Sequentia, quæ e diversis Auctoribus collecta fuit, atquæ a nobis paululum emendata et aucta, si non placeat, omittatur. Nos illam hic addimus, ut Festum præsens aliquatenus Solemnitatem Septem Dolorum imitetur, utque ambæ devotiones Ordini Seraphico magis appropriatæ, nempe Viæ Dolorosæ D. N. J. Christi et Septem Gaudiorum B. M. Virginis, iisdem juribus exornentur.

℣ *Extra tempus Paschale, post Epistolam absolute dicitur:*

**Graduale.** *Isai. LXI. 10.* Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. ℟. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Alleluja, alleluja. ℟. *Ps. XII. 6.* Exsultabit cor meum, Deus, in Salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini Altissimi. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℟. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Luc. I. 46.* Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo Salutari meo. ℟. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. ℟. Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. [1]

☩ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. I. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Credo.

**Offertorium.** *I. Reg. II. 1.* Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: quia lætata sum in Salutari tuo. Alleluja.

SECRETA.

Ad epulas tuas, misericors Deus, in voce exsultationis et confessionis accedentes, beatæ Virginis merita nos tibi reddant acceptos: ut inebriari ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potari valeamus. Per Dominum.

*Præfatio de B. M. V.* Et te in Exsultatione. [2]

**Communio.** *Ps. XXIX. 12.* Convertisti, Domine, planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Domine Deus, qui in te sperantes inhabitas, eosque facis in æternum lætari: concede nobis, beatæ Virginis Gaudia celebrantibus; ut per Sacramentalem Filii tui in corde nostro mansionem, lætitia inenarrabili et glorificata exsultemus in cœlis. Per eumdem.

℣ *Si hoc Festum celebretur extra Tempus Paschale, nullibi omittendum erit* Alleluja; *idque ob peculiarem indolem hujus Festi.*

---

[1] Eisdem his verbis, usque ad secundum Versum, efficitur Tractus etiam in Missa Purissimi Cordis B. M. Virginis, uti ex Appendice ad Graduale Romanum anno 1888 Ratisbonæ edita, comprobatur.

[2] Hujus Præfatio Solemnitatis ad asteriscos *** sumit voces *Et te in Exsultatione*, quemadmodum e contrario in Festo Septem Dolorum dici jubemur verba *Et te in Transfixione*. Attamen in *Conv. Penh.* apud Rempublicam Brasiliensem Americæ, Festum Gaudiorum B. M. Virginis, quod est Titulare illius Ecclesiæ, habet ad Præfationem *Et te in Gaudiis;* quam tamen lectionem nostræ postponendam merito censemus, habita præsertim comparatione hujus Festivitatis cum altera Septem Dolorum, ubi certe verba *Et te in Doloribus* assignata non videmus. — Cf. Kalendarium Romano-Seraphicum ad usum Fratrum et Monialium in Brasilia, pag. 38., pro anno Domini MDCCCXCVII. Assisii editum.

## ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Officii hujus ac Missæ convenientiam iisdem rationibus insinuare possumus, quas pag. (27) agentes de Festo Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis D. N. J. Christi, in medium protulimus; immo, in præsenti casu, difficultates pauciores valent insurgere, quoniam non de novo Festo inducendo hic agitur, sed solummodo de novis tribuendis testimoniis Festo jam pridem indulto. Et demum, si de Septem Doloribus B. M. Virginis apud omnes memoria celebratur, et quidem non semel sed bis per annum; non apparet ratio cur apud Minoritas semel coli prohibeantur Septem Deiparæ Gaudia, eo vel magis postquam de eisdem Festum jam non uno loco peragatur.

2. Quamvis devotio erga Septem B. M. Virginis Gaudia multis in locis ab antiquo tempore fuerit diffusa, attamen non convenit inter omnes quænam ex Gaudiis, quæ Deipara per Filium suum in terris habere sæpissime potuit, septenarium numerum pro recolenda Solemnitate constituant. Auctor quidem præclarus Prosper Guéranger, in Opere « *L'Année Liturgique. — Le Temps Pascal.* », quod anno 1876 Pictavii editum fuit, duas Sequentias habet, quæ diversa Gaudia connumerant. Etenim *pag. 158-162.* Operis citati, primam Sequentiam edit, qua dicit olim ab Ecclesiis Germaniæ celebrata fuisse Septem Gaudia B. M. Virginis, in qua illa ex Gaudiis considerantur, quibus beatæ Genitricis animus replebatur in ejus Annuntiatione et Partu, Adoratione Magorum, Christi Resurrectione et Ascensione, ac Descensione Spiritus Sancti, et Assumptione ipsius B. M. Virginis. Insuper, idem Auctor *pag. 221-222.* alteram Sequentiam refert, quam etiam affirmat per Ecclesias Germaniæ olim recitatam, in qua uti Gaudia Virginis reputantur ejus Annuntiatio et Partus. Magorum Adoratio, Præsentatio, Resurrectio et Ascensio Domini, ac Deiparæ Assumptio. In Officio autem Sanctissimi Rosarii ut Mysteria *Gaudiosa* habentur Annuntiatio, Visitatio Deiparæ, ac Nativitas, Præsentatio et Inventio Domini Jesu; et ut *Gloriosa,* quæ gaudium semper admixtum habent, Resurrectio et Ascensio Domini, Descensio Spiritus Sancti, et Assumptio et Coronatio Virginis Mariæ. Apud Franciscanos denique septenum Gaudiorum numerum constituunt Annuntiatio, Visitatio, Partus B. M. Virginis, Magorum Adoratio, Inventio et Resurrectio Filii, ac ipsius Deiparæ in cœlos Assumptio. Hanc postremam rationem numerandi Septena beatæ Mariæ Gaudia, etiam Sanctus Thomas Episcopus Cantuariensis tenuisse dicitur, uti assertum vidimus pag. 704. in Breviario Mariano, quod Ilerdæ in Hispania anno Domini MDCCCLIX. edebatur. Ex quibus omnibus patet, solummodo Annuntiationem, Partum Virginis, Magorum adorationem, et ipsius Assumptionem inter Septem Gaudia ab omnibus recenseri; et terna, quæ ad complendum numerum Gaudia desunt, sumi diversimode per Auctores ex Visitatione Virginis, atque Præsentatione, Inventione et Ascensione Domini, ac Descensione Spiritus Sancti.

3. Nos vero, ut dignum omnino et necessarium erat, rationem illam elegimus, quam in numerandis Septem Deiparæ Gaudiis Franciscani omnes semper tenuerunt, quamque ipsa Dei Mater traditur olim revelasse. Enimvero, præter auctoritatem Sancti Thomæ Cantuariensis, si Breviario Mariano fides sit adhibenda et ibi citato Auctori *Baling. Kalend. Mar. 29. Decemb.;* habemus authenticum Sedis Apostolicæ suffragium, quæ Minoritis Septem illa speciatim Gaudia venerantibus Indulgentias plenarias concessit et confirmavit, necnon assensus aliarum opinionum, ubi qualitas Mysteriorum a Minoribus electorum in una alterave sententia comprobatur. Neque prætereundum est, Gaudia Coronæ Franciscanæ id peculiare sibi jugiter habere, ut omnia directe per divinum Filium almæ Genitrici fuerint ingesta: omniaque, vel *pure* sint Gaudia, uti ejus Annuntiatio, Visitatio, Partus, et Magorum Adoratio; vel illa saltem Dolorem subsequantur, uti in Inventione amissi Nati, Resurrectione occisi Filii, atque sua ipsius post mortem (nisi tamen repugnet dici aliquem tunc adfuisse dolorem) in cœlos Assumptione. Quæ tamen non semper spectantur in aliorum sententiis: gaudium utique sensit Virgo in Præsentatione Jesu, sed illam dolore statim turbatam esse novimus, cum jam Dominicæ Passionis Prophetiam e Simeone audiret, uti etiam asseritur ad ℟. I. in altero Festo Septem Dolorum mense Septembri recolendorum; dein lætitia, quam Virgo Mater de Christo in cœlos ascendente habuit, aliquatenus imminuta est in amittenda corporali præsentia Filii sui super terram; gaudium denique, quo cor Virginis in die Pentecostes exsultavit, *primarie* et *directe* a Spiritu Sancto et non a Filio considerant Fideles elargitum. Optimo igitur jure, cum ex Officio a Mexicanis recitando nullatenus deducatur, quænam sint Gaudia quæ objectum Festi constituant, quoniam illud est maxima ex parte aliis per annum Festivitatibus Officium commune; retinuimus in casu nostro illa specifice Gaudia, quæ Franciscani venerari solent, quæque tot rationibus solide innituntur.

4. Officium, quod in honorem Septem Gaudiorum Deiparæ inter Officia Mexicanorum pluries Mechliniæ edita invenitur, subministrare Lectiones posset tum pro I. tum pro II. Nocturno. Lectiones autem III. Nocturni non videntur satis Mysteriis Gaudiorum convenire, cum earum Evangelium ad nullum ex iisdem Gaudiis referatur, sed circa Deiparam juxta Crucem Domini consistentem, uti in Festo videlicet Septem Dolorum, unice versetur.

5. Lectio tertia ad I. Nocturnum absolvi non inconvenienter posset etiam ante verba: « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. » Immo potius, hac omissa periodo, conservari posset reliqua textus pars usque ad finem Lectionis præfatæ.

6. Antiphona IV. ad Matutinum legi posset, uti ℟. tertium ad I. Nocturnum Dominicæ II. post Epiphaniam: « A dextris est mihi Dominus, ne commovear: propter hoc dilatatum est cor meum, et exsultavit lingua mea. »

7. Lectiones II. Nocturni sumi etiam cum aliqua interruptione possent e Sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo, uti habetur apud Migne *Patrologia Latina,* tom. CLVIII. pag. 785-787., addita clausula quæ pag. (33) ad Lectionem VI. Festi adjungitur. Advertatur tamen quod, sicut de duobus postremis Coronæ Franciscanæ Gaudiis Sanctus Anselmus non agit, ita clausula illa non tam apte forsan cum antecedentibus necteretur.

8. Lectiones III. Nocturni semper confici possent ex Homiliis quorumlibet Sanctorum Patrum et Doctorum, qui Evangelium Lucæ *Missus est Angelus* interpretentur; quorum tamen hic necessarium non est loca indicare, cum satis superque agnoscantur, et in Breviarum Romanum Lectiones sæpius inde transferri soleant. Si nihilominus Lectiones desiderentur, quæ etiam de Gaudiis quomodocumque pertractent, sequentes præ aliis ad rem Auctores occurrunt. Sanctus Gregorius Thaumaturgus apud Migne *Patrologia Græca* tom. X. pag. 1150-1151., et pag. 1155-1158.; Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus *Ibid.* tom. LXXXVII. *C.* pag. 3242-3250. num. XXI., XXII., XXIV., et XXVII. inibi edito Sermone; Sanctus Joannes Damascenus *Ibid.* tom. XCVI. in Sermonibus quæ pag. 643-762. inveniuntur, et maxime pag. 694-698. et pag. 710-711.; Sanctus Bonaventura in libro, cui titulus est *Speculum Beatæ Mariæ Virginis,* inter Opera Omnia ejusdem tom. VI. (pag. præsertim 430.) Lugduni anno MDCLXVIII. editum.

9. Ultima Lectio hujus Officii, nempe VIII. jam pag. (34) posita, convenienter absolvi etiam posset ad verba: « Gaude, o spectaculum præ mirabilibus omnibus summe admirandum. »

10. Capitulum Nonæ habere insuper valet verba *et quasi sponsum decoratum corona,* ante alia *et quasi sponsam* inserenda. Nos illa omisimus exemplum secuti in Missali Romano ad Introitum de Immaculata Conceptione B. M. Virginis occurrens, in quo forsan ob disconvenientiam masculini generis in verbo *sponsum* omissa fuerunt.

11. Testimonium sequens inservire posset ad primam Antiphonam in II. Vesperis efficiendam: « Lauda, et lætare filia Sion: quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. *Zach. II. 10.* » Verba enim, quibus hæc Antiphona in casu exprimeretur, et altera ex *Joëlis Prophetæ Cap. II. 21.* sumpta jamque locum II. Antiphonæ in eisdem Vesperis occupans, a Sancto Joanne Damasceno fuerunt Beatæ Mariæ Virgini applicata. — *Cf. Migne* Patrologia Græca, *tom. XCVI. pag. 683.*

12. Si testimonia, quæ ad conficiendam Missam assumuntur, non admodum Correctoribus placeant, novi textus abunde suppetunt in corpore Officii respondentis; præsertim ad Matutinum et Laudes, ad quas potius Festi partes quam ad alias recurratur, ut ubique quoad fieri possit textus in persona *prima* communiter ibi admissa efferantur.

13. Alia testimonia ad substituendos novos textus in Officio seu Missa, quoties aliqui ex electis non probentur: « 1° Ego autem, et anima mea in Domino lætabimur. *Tob. XIII. 9.* = 2° Tu scis, quod numquam lætata sit ancilla tua, nisi in te Domine Deus. *Esth. XIV. 18.* = 3° Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. *Eccli. LI. 37.* »

# IV.

## DOMINICA ULTIMA JULII. [1]

IN COMMEMORATIONE

## FLAGELLATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

IN SANCTUARIO DUPLEX I. CLASSIS CUM OCTAVA

IN CONVENTU SANCTISSIMI SEPULCHRI DUPLEX II. CLASSIS ITEM CUM OCTAVA

RELIQUIS HIEROSOLYMÆ LOCIS DUPLEX II. CLASSIS TANTUM. [2]

### IN I. VESPERIS.

*Ant.* Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. [3]

*Ps. 115.* Credidi. [4]

*Ant.* Circumdederunt me flagellis suis, convulneraverunt lumbos meos, et non pepercerunt. [5]

*Ps. 119.* Ad Dominum.

*Ant.* Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam. [6]

*Ps. 128.* Sæpe expugnaverunt.

*Ant.* Conciderunt me vulnere super vulnus: irruerunt in me quasi gigantes. [7]

*Ps. 139.* Eripe me.

*Ant.* Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis. [8]

*Ps. 140.* Domine clamavi.

*Capitulum de Laudibus.*

HYMNUS

Sol mœrens radios protinus obtegat,
Mœstis cuncta suis luctibus ingemant;
Mundi namque Opifex almus ab impio
Pœnis deditur asperis.
Infensa, heu nimium! turba nocentium
Qua sontem Dominum funibus alligant:
Atque in jus rapiunt, Præses ut annuens
Hunc turpi nece tolleret.

---

[1] Quemadmodum Festa Pretiosissimi Sanguinis et Sanctissimi Redemptoris diebus Dominicis peraguntur; ita etiam Officium hoc Flagellationis ultima Dominica Julii statuitur recitandum, ut Fideles et Religiosi facilius celebrare solemnitatem Titularis possint, et devote Sanctuarium visitare, quemadmodum in aliis Festis agere consueverunt. Potuisset quoque poni Feria VI. ante Dominicam Passionis, omisso Officio Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Christi, quod jam mense Julio denuo erat celebrandum; at uniformitas cum Ordine universo in perpetuum tolleretur, et ob peregrinationem ad Sepulchrum Sancti Lazari eadem Feria peragendam, Mysterium Flagellationis debita recoli solemnitate nequiret. Tempus demum Quadragesimale jam aliquod ex Officiis Dominicæ Passionis habet, nec congruum videbatur bina hujusmodi Officia per unam eamdemque Hebdomadam celebrari. Electa ergo Dominica est sub omni respectu ad agendam Festivitatem commodior.

[2] Dissimilis autem ritus assignatur pro relatione diversa, qua Mysterium istud Dominicæ Flagellationis ad Hierosolymæ loca refertur. Enimvero et ibi Ecclesia Titularis exsurgit in loco, ubi Christus flagellatus fuisse traditur; et habetur apud Conventum Sanctissimi Sepulchri Columna, ad quam ligatus est Dominus dum flagris cæderetur; et denique omnes Religiosi designati ad Officium recitandum habitant in urbe sancta, quæ istas aliasque Christi Domini pœnas testis olim viderat.

[3] Ex libro Job *Cap. XVI. 12.*, ex quo loco et ℟. VII. ad Matutinum Feriæ VI. in Parasceve sumptum videtur, cum ibi habeamus: « Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me. » Igitur ex hoc, quod et in aliis Antiphonis præstatur, concludendum est et lecta testimonia Flagellationi vel saltem Passioni Dominicæ convenire, et numerum singularem in eis optime mutari posse in pluralem, justis quandoque exigentibus causis.

[4] Psalmi sunt e Feria V. in Cœna Domini, præter ultimum qui omitti debuit, ut locus daretur Psalmo CXXVIII., unde Antiphona III. Vesperarum sumpta fuerat.

[5] Ex libro Job *Cap. XVI. 14.*, mutato numero singulari in pluralem, positaque voce *flagellis* pro altera *lanceis*. Balthasar Corderus, hæc Jobi verba commentatus, ait ad rem nostram: « Allegorice hæc verba Christo tribuuntur a corona militum flagellato: nam ad instar lanceolarum fuerunt ea flagella taxillata, quibus sacratissimum Christi corpus undique discerptum fuit. » — *Cf.* Supplementum ad Commentaria in Scripturam Sacram R. P. Cornelii a Lapide, *tom. III. pag. 360. Parisiis anno MDCCCLXVI. editum.*—Videtur autem ℟. III. ad Matutinum in Feria II. Majoris Hebdomadæ indidem acceptum, cum ibi legatur: « et non pepercerunt... et lanceis suis vulneraverunt me. »

[6] E libro Psalterii *Ps. CXXVIII. 3.*

[7] E libro Job *Cap. XVI. 15.*, mutato numero singulari in pluralem, uti fit in ℟. VII. ad Matutinum Feriæ VI. in Parasceve, ubi legimus: « Et sicut gigantes steterunt contra me ».

[8] E libro Job *Cap. XVI. 11.*

**H**aud sistit facinus! territus improbis
Immitis populi vocibus arbiter,
Quo sævis placeat, tradere barbaro
Audet supplicio Deum.
**A**udite! exsuitur Cœlituum decor:
Rex regum, Dominus vel dominantium,
Vinclis ad columen stringitur: efferis
Flagris cæditur Innocens.
**Q**uis credat? rabidus carnificum furor
Jam carnem teneris excutit artubus:
Nec plagæ innumeræ saxea pectora,
Fusus non cruor emovet.
**H**eu probrum! validis tunditur ictibus,
Qui factus miseris Victima, Pontifex,
Cum votis pretium sanguinis offeret,
Læsum pacificans Patrem.
**C**æso multiplici verbere debita
Cor nostrum pietas conciliet Deo:
Quæ delens maculas criminis, ardeat
Sacris jugiter ignibus.
**A**men.

℣. Ego autem in flagella paratus sum.
℟. Et dolor meus in conspectu meo semper. [1]

*Ad Magnificat, Ant.*

**F**ilius hominis tradetur Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. [2]

*Oratio ut ad Laudes.*

*Et agitur commemoratio Dominicæ occurrentis.*

℣ *Conclusio Hymnorum per totam Octavam erit:*

**C**æso flagellis asperis [3]
Jesu tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
**A**men.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* **C**hristum flagellis cæsum: * Venite adoremus.

*Ps. 90.* Venite.

HYMNUS. [4]

**F**ugete pacis Angeli: [5]
Mortalis en ultro Deus,
Culpæ gerens imaginem
Pœnas reorum sustinet.
**I**ræ furenti ut hostium
Judex nefastus annuat,
Quem jam fatetur integrum
Mandat flagellis subjici.
**M**olles in agnos irruit,
Premente ceu fame, lupus;
Sic æstu iniquo perciti
Cepere Christum milites.
**H**inc ad columnam nexibus
Vincire duris, impia
Cinctaque loris dextera
Divina membra cædere.
**N**udantur ossa carnibus,
Artus inundant sanguine;
Et vulnus addit vulneri
Sævus furor cædentium.
**U**t mitis Agnus conticet
Tondente coram, sic manet
Dum flagra corpus sauciant,
Cruorque large diffluit.
**C**æso flagellis asperis
Jesu tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
**A**men.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis. [6]

*Ps. 16.* Exaudi, Domine.

---

[1] E Psalterii libro *Ps. XXXVII. 18.*, addita voce *autem* pro altera *quoniam*, uti fiet in Antiphona IV. ad Matutinum hujus Officii. Utrumque autem solummodo hic usurpatur, prouti fit etiam in aliquibus Breviarii Romani locis.

[2] Ex Evangelio Lucæ *Cap. XVIII. 32.*, additis verbis *Filius hominis* ibi antea *diverso casu* relatis.

[3] Hic eadem sermonis adhibetur constructio, qua in Festo Lanceæ et Clavorum D. N. J. Christi clauduntur Hymni: « Clavis forato et lancea, — Jesu tibi sit gloria. »

[4] In prima hujus Hymni stropha et alibi quædam e Santolii carminibus pulcherrima delibantur; quod fit etiam ad primam stropham in Hymno Laudum. Prætulimus autem hæc potius servare, quam Officii pulchritudinem per novas ex integro strophas adimere.

[5] Ex Isaia Propheta *Cap. XXXIII. 7.*, ubi ait Vates: « et angeli pacis amare flebunt. »

[6] Antiphonæ trium Nocturnorum e subjecto semper Psalmo sine Versus citatione desumuntur, earumque verba a Patribus, Doctoribus, Scriptoribusque ecclesiasticis Dominicæ Passioni, immo plerumque ipsi Flagellationis Mysterio rite applicantur. Id et alia manifesta fient ex Lectionibus II. et III. Nocturni in Festo et per Octavam recitandis.

*Ant.* Ipsi vero dinumeraverunt omnia ossa mea: consideraverunt, et inspexerunt me.

*Ps. 21.* Deus, Deus meus.

*Ant.* Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

*Ps. 34.* Judica, Domine.

℣. Non est species ei, neque decor.

℟. Et vidimus eum, et non erat aspectus. [1]

LECTIO I.

De Isaia Propheta. [2]

*Cap. LIII. 1.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Christus peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: * Cujus livore sanati sumus. [3]

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. — Cujus.

LECTIO II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico; retrorsum non abii: * Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. [4]

℣. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. [5] — Corpus.

LECTIO III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos: et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia, quæsierunt me interficere: et non pepercerunt in faciem meam spuere, * Et flagellis suis vulneraverunt me. [6]

℣. Effuderunt furorem suum in me, fremuerunt contra me dentibus suis. [7] — Et.

Gloria Patri. — Et.

---

[1] Versiculi omnes, ad Matutinum et Laudes atque Horas minores ac II. Vesperas adhibendi, ex Isaia Propheta *Cap. LIII. 1–5.* accipiuntur.

[2] Lectiones sequentes videntur satis Mysterio Dominicæ Flagellationis convenire, cum earum verba ad II. et III. Nocturnum inferius in die Festi et per Octavam ab Auctoribus respectivis etiam de Christo flagellis cæso legamus accepta.

[3] Verba, quibus hoc Responsorium cum suo Versu constat, habentur etiam in ℟. III. ad Matutinum Feriæ V. in Cœna Domini et ℟. I. Sanctissimæ Sindonis D. N. J. Christi; quamvis hic pauciora verba, quam quæ illic leguntur, fuerint assumpta.

[4] Ex Isaia Propheta *Cap. L. 5.*

[5] E libro Job *Cap. XVI. 18.*

[6] Verba hæc leguntur etiam in ℟. III. ad Matutinum Feriæ II. Majoris Hebdomadæ, omissis aliquibus verbis ob amorem brevitatis, mutatoque nomine *lanceis* in aliud *flagellis,* uti fecimus ad Antiphonam secundam in I. Vesperis.

[7] Versus iste, qui indidem sumitur ac Responsorium, efformatus videtur e libro Job *Cap. XVI. 10.*, ubi in singulari numero legitur: «Collegit furorem suum in me, . . . infremuit contra me dentibus suis.» Pari modo probari licet et Responsorium esse accommodatum, et consequenter, uti alibi dictum est, aliquando mutari optime posse numerum aliaque in textibus Scripturæ Sacræ, cum id opportunum habeatur.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* Ego autem in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper. [1]

*Ps. 37.* Domine, ne in furore.

*Ant.* Obmutui et non aperui os meum, Domine, quoniam tu fecisti: amove a me plagas tuas.

*Ps. 38.* Dixi: Custodiam.

*Ant.* Declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.

*Ps. 54.* Exaudi, Deus.

℣. Vidimus eum despectum et novissimum virorum.

℟. Virum dolorum, et scientem infirmitatem.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis. [2]

*Tractatu de Passione Domini. Cap. 4.*

Quænum ex vinculis vitis nostræ, dulcis Jesu, fuit vinculum quo ligatus fuit ad columnam, cum flagellaretur. Quamquam et ipsa flagella, quæ corpus ejus circuibant, non incongrue possumus vincula appellare. Sed quamvis immitia, quamvis dura, quamvis injusta, diligo flagellorum istorum vincula, quibus sacratissimum corpus tuum datum est contingere, quæ tuo purissimo sanguine non mediocriter sunt imbuta, o bone Jesu. Si enim sanguis tuus in flagellatione fuit tam copiose effusus, ut columna guttis illius respersa adhuc, sicut asseritur, rubra servet vestigia; quantum sanguinis credam ipsis flagellis corpus tuum mitissimum scindentibus inhæsisse? Tam dure flagellatus est Dominus, ut sanguis ejus sursum in aëra resultaret. [3]

℟. Filius hominis tradetur Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: * Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. [4]

℣. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. [5] — Et.

LECTIO V.

*Ibidem. Cap. 40.*

O cum quanta quantitate putas illum sanctissimum sanguinem e conscisso corpore et flagellato distillasse in terram! O quanta putas sævitia impiorum frementium, quanto fremitu sævientium flagellatum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat ut nos a flagellis liberaret æternis! Sine causa, inquit, flagellis cæciderunt me. Vere sine causa, nisi forte miserrimi et perversi bona opera tua pœnis digna judicarent, qui veritatem tuam in mendacio detinuerunt. Sed et hic moraliter erudimur, ut flagella benignissimi Patris nostri discamus æquanimiter tolerare; qui pessimorum flagella pro nobis indignis tam patienter sustinuit dulcis Jesus. Quis enim flagella non sufferret homo, in flagella paratus, ad laborem natus, in peccatis nutritus et conversatus, hæreditati cœlestis aulæ destinatus, quæ nonnisi mundos recipit; cum videat Regem omnium regum, et Dominum dominantium dulcem Jesum, qui peccatum non fecit et in cujus ore non est dolus inventus, tam gravibus flagellationibus esse contritum?

---

[1] Addimus verbum *autem*, uti consimili voce verterunt græce Septuaginta Interpretes, quod testatur Bellarminus Expositione in Psalmos. — *Cf.* Supplementum ad Commentaria in Scripturam Sacram R. P. Cornelii a Lapide, *tom. I. pag. 244. Parisiis anno MDCCCLXVI. editum.*

[2] Tractatus iste jam Sancto Bernardo pluries attributus, unde et Lectiones II. Nocturni in Festis Sacrorum Quinque Vulnerum et Sacratissimi Cordis Jesu, necnon Lectiones III. Nocturni in novissimo Officio B. M. Virginis sub titulo de Perpetuo Succursu recipiuntur, habetur apud Migne *Patrologia Latina*, tom. CLXXXIV. pag. 645. et 714. Editores Operum Omnium Sancti Bonaventuræ, pag. VIII-XI. in Præfatione ad volumen « Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ Decem Opuscula ad Theologiam mysticam spectantia » anno 1896 ad Claras Aquas (Quaracchi) editum, auctoritate decem Codicum, quorum unus si non sæculo XIII. exeunte saltem ineunte XIV. exaratus est, contendunt hoc Opus, cui et nomen est *Vitis Mystica*, restituendum esse Seraphico Doctori Sancto Bonaventuræ, cum alias et Mabillonius et Labbæus et Bellarminus libellum ipsum jam a Sancto Bernardo abjudicarint. Posset igitur anteponi titulus: « Sermo Sancti Bonaventuræ Episcopi. » Advertatur tamen, laudatos Editores alium secutos fuisse breviorem textum, qui et sæpe distat aliquantulum a lectione apud Migne *loc. cit.* exsistente.

[3] Voces, quæ dein hic apponuntur, ob nomen *palus* ex comparatione Christi cum vite electum omissæ, si non omnibus displiceant, in calce Lectionis addantur. Verba autem, quæ litteris italicis adsunt in phrasibus «alligatus *est*» ac «Quid enim *melius*», sunt ex Editione ad Claras Aquas peracta. Textus ergo, qui sequitur apud Migne *loc. cit.* post vocem *resultaret*, esset: « Vide autem quam bene huic ligationi conveniat, quod vitis ad palum ligatur. Quid enim melius per palum quam ipsa columna, cui Dominus Jesus est alligatus, accipitur? Sicut enim vitis palo, ita Christus columnæ alligatur. »

[4] Ex Evangelio Lucæ *Cap. XVIII. 32.*, expressis verbis *Filius hominis*, ante eumdem locum *auferendi casu* positis.

[5] E libro Threnorum Jeremiæ Prophetæ *Cap. III. 30.*

℟. Circumdederunt me viri mendaces: sine causa flagellis cæciderunt me: * Sed tu Domine defensor vindica me. [1]

℣. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. — Sed.

LECTIO VI.

Audi, o homo stulte et insipiens, et erudire; et non solum non refuge, sed etiam apprehende disciplinam, ne forte quandoque pereas de via justa, Domino tibi irascente: qui proprio Filio suo non pepercit, sed propter te tradidit flagellandum. [2] Non pepercit Filio suo naturali, consubstantiali sibi et coæterno et impassibili, quin pro salute tua ipsum faceret nasci in tempore et passibilem; et flagellis contereret, sicut scriptum est: Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Et quomodo parcet tibi filio adoptivo, cum sensus tui proni sint in malum? Quin in chamo et fræno maxillas tuas constringet, ut saltem vexatio det tibi intellectum: quatenus ad ipsum approximare cogaris, qui licet moleste, salubriter tamen flagellat omnem filium quem recipit. [3] Quo autem fidelius documenta percipiantur, quæ nobis amantissimus Redemptor in sua passione reliquit; Leo Papa Decimus tertius, hoc Officium iis Hierosolymæ locis ubi Dominus flagellatus fuisse traditur, et ubi asservatur Columna cui alligatus fuit ipse Jesus dum flagris cæderetur, benigne concessit.

℟. Christus cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: * Cujus livore sanati estis. [4]

℣. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. [5] — Cujus.

Gloria Patri. — Cujus.

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Quem tu percussisti, Domine, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

*Ps. 68.* Salvum me fac.

*Ant.* Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

*Ps. 72.* Quam bonus.

*Ant.* Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me.

*Ps. 87.* Domine Deus.

℣. Quasi absconditus vultus ejus et despectus.

℟. Unde nec reputavimus eum.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini. [6]

*Comment. in Joann. Evang. Lib. XII.*

Injuste quidem Pilatus Christum flagellat, et militum catervis deridendum permittit, coronaque spinea circumdandum, purpurea veste induendum, cædendum alapis, aliisque probris afficiendum. Existimabat enim sensim placatum iri Judæorum populos, tametsi hac sola pœna ingenti quidem plecti viderent illum noxæ omnis expertem. Flagris autem cæsus fuit injuste, ut justa nos plaga liberaret: illusus est atque alapis percussus, ut nos illudamus illusori Satanæ, et peccatum ex prævaricatione nobis incussum vitemus. Arbitrabimur enim, si sapimus, omnes propter nos et pro nobis exstitisse Christi passiones, easque vim habere solvendi avertendique mala, quæ nobis propter defectionem a Deo merito contingunt.

---

[1] Verba, quibus utraque pars ista Officii formabatur, verisimiliter ex Job *Cap. XVI. 14.* vel *XIX. 6.* proveniunt, et leguntur etiam ad Matutinum Dominicæ Palmarum et Feriæ IV. Majoris Hebdomadæ, et quidem locum ultimi respective Responsorii utrobique tenent.

[2] Verba, quæ dein hic apponuntur, non adsunt in editione ad Claras Aquas (Quaracchi) peracta.

[3] Addimus verba sequentia, ut exprimantur rationes ob quas duobus præcipue Locis Officium imploratur, quamvis pro universis Franciscanis in Civitate Hierosolyma morantibus ipsum assignetur. Tale exemplum, inter alia, habetur ad Lectionem VI. Matutini de Apparitione B. M. Virginis de Bono-Consilio; ubi dicitur Festivitatem illam Patribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Oppido Genestani degentibus prius fuisse concessam, deinde ad universum Ordinem extensam, quin tamen in Breviario Romano-Seraphico ulla Minoritarum mentio fiat, apud quos etiam de Apostolicæ Sedis Indulto Officium illud recitatur.

[4] Ex Epistola I. beati Petri *Cap. II. 23-24.*, quibusdam verbis omissis.

[5] Ex eadem Epistola I. beati Petri *Cap. II. 21.* — Ordinem autem Versiculorum aliquando permutari posse, e ℟. III. de Communi Apostolorum aliisque Breviarii Romani locis rite approbatur.

[6] Hujus Homiliæ textus, qui ante Lectionem IX. aliquantum interrumpitur, legi potest apud Migne *Patrologia Græca*, tom. LXXIV. pag. 627-630.

℟. Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis : * Corripiam ergo illum, et dimittam. [1]

℣. Quid enim mali fecit iste ? nullam causam mortis invenio in eo. [2] — Corripiam.

LECTIO VIII.

Quemadmodum enim ad destruendam mortem omnium suffecit pro nostra vita eum qui mortem nesciebat, morti carnem suam permisisse : unus enim mortuus est pro omnibus : ita sciendum est sufficere ad liberandos omnes verberibus et ignominiis, quod ea passus sit pro nobis Dominus. Nam quodammodo ejus livore sanati sumus, ut scriptum est. Omnes enim erravimus unusquisque in via sua, ut ait Propheta beatus Isaias, et Dominus tradidit eum peccatis nostris, et pro nobis dolores sustinet. Attritus enim est propter scelera nostra ; et dorsum quidem suum dedit ad flagella, et genas suas ad alapas, ut et ipse ait alicubi.

℟. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : * Tunc dimisit illis Barabbam ; Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. [3]

℣. Et accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus. — Tunc.

Gloria Patri. — Tunc.

℣. *Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis ; alias erit sequens.*

LECTIO IX.

Et exivit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Peccatum quidem non pudet fateri. Immerito quippe flagris cæsum Jesum dixit, eumque se illis exhibiturum pollicetur, hoc tam miserabili spectaculo immanem eorum rabiem expletum iri suspicatus. Quin etiam accusare propemodum videtur eos ut interficiendi Christi injusta cupiditate ardentes, et a quibus palam et aperte leges violare cogatur, magno suo damno atque periculo. Impletur itaque in Christo et verum esse comperitur quod dictum est : Venit princeps hujus mundi, et in me non inveniet quidquam. Observa enim quo pacto Satanas, omnibus sursum ac deorsum pervolutis, nihil plane criminis in Christo reperiat, quod impactum Christo Servatori reum illum efficiat.

Te Deum.

## AD LAUDES
### ET PER HORAS.

*Ant.* Pilatus autem * volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis cæsum. [4]

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* A planta pedis * usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. [5]

*Ant.* Intelligite * quia non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. [6]

*Ant.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. [7]

*Ant.* Terra, ne operias * sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. [8]

CAPITULUM.

*Isai. L. 5.*

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico ; retrorsum non abii : corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.

---

[1] Ex Evangelio Lucæ *Cap. XXIII. 14.* et *22.*, omissis verbis quæ ibi interponuntur.

[2] Versus accipitur ex eodem Lucæ Evangelio *Cap. XXIII. 22.* Ex contextu autem, et maxime ex VIII. Responsorio sequenti, dignoscitur quisnam loquatur, et quibus sermonem ille dirigat. Immo possent quorumcumque nomina ubique reticeri, uti deducitur e ℟. III. ad Matutinum Dominicæ IV. Adventus, ubi absolute et sine ullo personæ nomine referuntur verba Præcusoris quæ discipulis suis fecit, uti habetur in Evangelio Joannis *Cap. III. 30.* et *I. 27.*

[3] Responsorium cum sequenti Versu sumuntur ex Evangelio Matthæi *Cap. XXVII. 24* et *26.*, aliqua verborum facta inversione, ut altera pars Responsorii post asteriscum * reassumi melius queat.

[4] Ex Evangelio Marci *Cap. XV. 15.*, omissis aliquibus verbis, uti fit in Antiphona IV. ad Matutinum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Christi.

[5] Ex Isaia Propheta *Cap. I. 6.*, addita voce *capitis*, quæ habetur etiam in Antiphona IV. ad Laudes Septem Dolorum B. M. Virginis mense Septembri recolendorum.

[6] Ex libro Job *Cap. XIX. 6.*, omisso nomine *Deus*. — Verba autem, quæ Deo tribuuntur, hominibus appropriari convenienter posse, deducitur etiam ex nota [3] ad pag. (43).

[7] E libro Threnorum Jeremiæ Prophetæ *Cap. I. 12.*

[8] Ex libro Job *Cap. XVI. 19.*

HYMNUS.

Quo forma Christi transiit?
Non vultus idem, non decor:
Atro fluentem sanguine,
Et membra cæsum vidimus.

In quem nec audent figere
Cives superni lumina,
Inter viros inglorius
Aspectus ille redditur.

Qui vestit agri lilia,
Cunctisque amictum providet:
Spectante turba, vestibus
Pudica membra exsolvitur. [1]

Vinclis columnæ astringitur,
Qui compeditos liberat;
Numenque justos diligens
Ut sons flagellis plectitur.

Ægris medentem, proh dolor!
Quasi leprosum cernimus:
A planta ad usque verticem
Non est in Illo sanitas.

O vir dolorum, poscimus:
Ut flagra, livor, vulnera
Nostris residant cordibus,
Tuique flammas nutriant.

Cæso flagellis asperis
Jesu tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

*Ad Benedictus, Ant.*

Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus: et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum. [2]

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui secundum divitias misericordiæ tuæ, ut nos ab æternis suppliciis eriperes, in membris tuis dira flagella pertulisti: da nobis, malum quod fecimus, digna castigatione punire; et jugi vulnerum tuorum memoria, novas offensas devitare: Qui vivis.

*Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

AD PRIMAM.

*In* ℟. *brevi, per totam Octavam dicitur:*

℣. Qui attritus es propter scelera nostra. [3]

AD TERTIAM.

*Capitulum.* Dominus Deus, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Non est species ei, * Neque decor. — Non. — ℣. Et vidimus eum, et non erat aspectus. — Neque. — Gloria Patri. — Non.

℣. Vidimus eum despectum et novissimum virorum.

℟. Virum dolorum et scientem infirmitatem.

AD SEXTAM.

CAPITULUM.

*Isai. LIII. 4.*

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

℟. *br.* Vidimus eum * Despectum et novissimum virorum. — Vidimus. — ℣. Virum dolorum et scientem infirmitatem. — Despectum. — Gloria Patri. — Vidimus.

℣. Quasi absconditus vultus ejus et despectus.

℟. Unde nec reputavimus eum.

AD NONAM.

CAPITULUM.

*Isai. LIII. 5.*

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. *br.* Quasi absconditus vultus ejus * Et despectus. — Quasi. — ℣. Unde nec reputavimus eum. — Et. — Gloria Patri. — Quasi.

℣. Nos putavimus eum quasi leprosum.

℟. Et percussum a Deo et humiliatum.

IN II. VESPERIS.

*Ant.* Filius hominis tradetur Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. [4]

*Ps.* Credidi, *cum reliquis ut in I. Vesperis.*

---

[1] Eadem sermonis constructio habetur apud Virgilium, ÆNEADOS *lib. III. versu 545.*, ubi Vates canit: « Et capita ante aras Phrygio velamur amictu. »

[2] Ex Evangelio Marci *Cap. X. 33.*

[3] Ex Isaia Propheta *Cap. LIII. 5.*

[4] Ex Evangelio Matthæi *Cap. XX. 18-19.*, quibusdam verbis omissis.

*Ant.* Scindetur caro ejus: et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. [1]

*Ant.* Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus flagellis tradidit illum. [2].

*Ant.* Audite obsecro universi populi, et videte dolorem meum. [3]

*Ant.* Tu Domine Jesu, quia pius es, misertus es nostri: et in flagellis tuis luisti iniquitates nostras. [4]

*Capitulum de Laudibus.*

HYMNUS.

En Dei Natus superumque splendor
Impiis offert temeranda flagris
Membra: jam sancto patitur cruentas
Corpore pœnas.

Nempe Hic humani generis misertus,
Se Patri dignam placitamque præbet
Victimam, mundi scelus et profuso
Sanguine tollit.

Par erat culpas hominum piari,
Et per Insontem refici ruinas:
Hostiam divam merito poposcit
Numinis ira.

Magna sic alti pietas Parentis
Improbis clemens famulis pepercit,
Et piam diris voluit flagellis
Subdere Prolem.

Christe qui nostri memor, abstulisti
Criminis labem, tribuas benigne:
Ne dolor tantus pretiumque nobis
Irrita cedant.

Ne stolam, sacro nitidam cruore,
Culpa deturpet maculis; tuosque
Mors nec astringat famulos, novoque
Vulnere lædat.

Ergo te Jesu redament in ævum,
Quos tuus livor vehit ad salutem;
Atque cum summo Genitore et almo
Flamine laudent.
Amen.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum.
℟. Et livore ejus sanati sumus.

*Ad Magnificat, Ant.*

Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: iste aspergget gentes multas. [5]

*Oratio ut ad Laudes.*

*Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

℣ *Infra Octavam Flagellationis D. N. J. C. fit de omnibus Festis occurrentibus, quæ novem habeant Lectiones; ast Octavæ commemoratio numquam erit omittenda, cujuscumque ritus sit Festum, quod infra ipsam recolitur.* [6]

℣ *Hoc Festum omnibus in Locis ubi celebratur, non cedit nisi occurentibus Festis majoris ritus. Reliqua vero Festa debent aut transferri, aut eo anno omitti, aut ad ritum simplicem redigi, prouti in Rubricis Breviarii Romani ordinatur.* [7]

---

[1] Ex libro Job *Cap. XXXIII. 21.*, mutato verbo *Tabescet* in aliud *Scindetur* vel *Cædetur*, quia caro Christi non vidit corruptionem. Hoc tamen testimonium, retenta voce *Tabescet*, Mysterio Dominicæ Flagellationis applicatum vidimus in Opere, cui nomen *Tertullianus prædicans*, pag. 493. in tom. II. anno Domini MDCLXXIX. Parisiis edito.

[2] Ex Epistola ad Romanos *Cap. VIII. 32.*, addita voce *flagellis*, prouti alias fit in multis Breviarii Romani locis.

[3] E libro Threnorum Jeremiæ Prophetæ *Cap. I. 18.*

[4] Verba hæc uti a nobis prolata considerentur, qui tamen utebamur vocibus in libro Judith *Cap. VII. 20.* occurrentibus.

[5] Ex Isaia Propheta *Cap. LII. 14.*

[6] Eædem videlicet rationes intercurrunt ac pro Octava Initii Signorum D. N. J. Christi in Cana Galilææ, quæ jam pag. (8) nota [3] fusius explicantur.

[7] Apud Ecclesiam namque Flagellationis, Mysterium hoc est Titulare, et consequenter primarium; apud Conventum vero Sanctissimi Sepulchri, in quo asservari diximus Columnam Dominicæ Flagellationis, ob Octavam et ritus qualitatem, primarium *per accidens* reputatur; aliis demum Hierosolymæ Locis iterum ut primarium *per accidens* habetur, quoniam decet hoc Festum eadem die ubique celebrari, ut ab omnibus uniformitas servetur, et ne quando Sacerdotes ad Sanctuaria Loci et Columnæ Flagellationis accedentes, Missam ab Officio discrepantem adhibere cogantur. Quamvis, alia de causa, hoc Festum absolute dici possit *primarium*, cum in eo *verum vitæ Dominicæ factum* in aliis Festivitatibus non tam explicite contentum, et non titulus sæculis posterioribus invectus uti Festum Pretiosissimi Sanguinis, aut instrumentum Dominicæ Passionis uti Festum Coronæ Spineæ, recolatur.

## FERIA SECUNDA.

# DE II. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bonaventuræ Episcopi. [1]

*Collatione LXIX. in Joannem.*

Circa Christi flagellationem nota, quod Christus fuit flagellatus in capite; unde Matthæi vigesimo septimo, Marci decimo quinto: Percutiebant caput ejus arundine. Fuit etiam cæsus in facie; unde Lucæ vigesimo secundo: Percutiebant faciem ejus; et Joannis decimo octavo: Unus ministrorum assistens dedit ei alapam. Fuit etiam flagellatus in toto corpore; unde Matthæi vigesimo septimo et Marci decimo quinto: Tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

℟. Filius.

LECTIO V.

Nota igitur, quod tripliciter solet homo cædi sive flagellari. Aliquando cæditur homo ad vituperandum, sicut solet homo alium cædere de palma ad ignominiam. Aliquando cæditur sive flagellatur ad ejiciendum, sicut ostiarii solent intrare volentes flagellare sive cædere, ut prius ejiciant. Aliquando flagellatur vel cæditur ad puniendum, sicut solent cædi malefactores. Et hæc tibi proponuntur in speculum contemplationis, ut attendas, quantum debeas illi qui pro te sustinuit omne genus flagellorum. Fuit enim flagellatus in facie, quæ est flagellatio vituperantium; fuit flagellatus in capite, quæ est flagellatio ejicientium; fuit flagellatus in toto corpore, quæ est flagellatio punientium.

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

Hæc etiam tibi proponuntur in remedium liberationis. Merueras enim, o homo peccator, a summo Judice confundi in culparum discussione; ejici in sententiæ promulgatione; puniri in sententiæ exsecutione. Sed ecce, ab istis liberant te flagella Christi, qui pro te clamat in Psalmo: Ego in flagella paratus sum. Flagellatur in facie, ne pro peccatis confundaris; flagellatur in capite, ne a regno ejiciaris; flagellatur in toto corpore, ne pro peccatis tuis in toto corpore puniaris. Proponuntur tibi etiam flagella Christi in exemplum imitationis, ut sive confundaris, sive ejiciaris, sive torquearis; accipias a Christo, qui primus hæc sustinuit, exemplum humilitatis.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

De Homilia sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

*Comment. in Joann. Evang. Lib. XII.* [2]

Exivit ergo Jesus foras, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Monstravit impie flagellatum, et militum ludibriis indigne violatum universi Dominum Pilatus, sperans vel hoc solo indignissimo spectaculo satiatum iri Judæorum intemperiem. Sed hi ab omni erga eum humanitate adeo sunt alieni, ut etiam belluina crudelitate superata, usque tollantur in pejus, ac vehementius inclament morti crudelissimæ addicendum, et omnium fœdissimum supplicium pati cogant. Quod enim supplicii genus tam est acerbum, ut cum Crucis supplicio comparari possit? Solis autem, ut vi-

[1] Sermonem sumpsimus ex pag. 617. in tomo VI., qui inter Opera Omnia Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ anno Domini MDCCCXCIII. ad Claras Aquas (Quaracchi) edebatur.

[2] Hodie continuatur Homilia quæ in Festo legi cœpta est, quæque apud Migne *Patrologia Græca*, tom. LXXIV. pag. 631-634. invenitur, addito tamen nomine *Pilatus* ante voces *Ecce Homo*.

detur, Judæorum principibus tantæ impietatis originem sapientissimus Evangelista tribuit.

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Vide enim quo pacto, acri veluti quadam cum animadversione dicat: Quum ergo vidissent eum Pontifices et ministri clamabant dicentes, Crucifige, crucifige. Nam cum infima plebecula Christi ærumnis mediocriter moveretur: miraculorum enim ab eo factorum meminerat: primi clamorem tollunt ipsi, et subditæ multitudinis animum efferata rabie succendunt. Verum igitur est quod de iis apud Prophetas scriptum est: Pastores stulte egerunt, et Dominum non quæsierunt. Propterea non intellexit omnis grex, et dispersi sunt. Quod quidem verum est. Nam, quia ducibus caruerunt quibus Christum agnoscerent pecudes, hoc est populi multitudo, idcirco perierunt, et in exitiosum adversus Christum furorem delapsi sunt.

℟. Videns.

LECTIO IX.

Impietatis enim originem apud te perpendito, et eam Judæorum principibus utique tribues. Hi nefarii consilii auctores proditorem sacris pecuniis conduxerunt, hi cohorte ministris adjuncta Christum non secus ac impurissimum latronem vincire jusserunt: hi ad Pilatum adduxerunt, et nunc cum verberibus affectum omnibusque contumeliis propemodum obrutum cernentes, ira magis ac magis æstuant, et præ immani invidia vociferantur. Propositum quippe iis erat vineæ interficere dominum, cujus hæreditatem impune se habituros sperabant, et si de medio Christus forsan tolleretur, se tum regnaturos et supremis honoribus potituros. Sed, ut ait Psalmista: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Nihil enim ex animi sententia iis contigit, sed contra quam optabant res evenerunt.

Te Deum.

---

FERIA TERTIA.

## DE III. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Commentariis sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini in Isaiam Prophetam. [1]

*Libro IV. Oratione V.*

Ego autem non renuo, neque contradico. Dorsum meum præbui ad flagella, ac genas meas ad alapas, neque faciem meam averti ab ignominia sputorum. Intercurrit persona ipsius Christi, suam obedientiam Judæorum contumaciæ opponentis: Ego autem, inquit, non renui, nec contradico. Nam cum Deus et Pater vellet summatim comprehendere omnia in me, tum cœlestia, tum etiam terrestria: demisi me ut exinanirem meipsum, et ad humanæ mendicitatis descendi mensuram, homo apparens, ut obediens essem usque ad mortem, et quidem mortem Crucis. Præbui igitur tergum meum ad verbera, et genas meas ad alapas. Faciem autem meam non averti ab ignominia sputorum. Hoc enim ei contigit pati, cum et Judæorum ignorantia in illum debaccharetur, et Pilatus plagis laceraret, et ex impiis ministris unus contumeliose tractaret, cæderetque, et reliqui despuerent.

℟. Filius.

LECTIO V.

Verum hic unicus erat scopus patientis, ut voluntatem bonam Patris exsequeretur. Siquidem Christus dixit: Descendi de cœlo, non

---

[1] In omnibus secuti sumus textum, qui exhibetur apud Migne *Patrologia Græca*, tom. LXX. pag. 1091-1094., admittentes aliquam interruptionem in principio Lectionis IV., addentesque ibidem verbum *inquit*, jam prius expressum in omisso textu.

ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: ut ex omni quod dedit mihi, nihil perdam, sed resuscitem illud in extremo die. Itaque quo procuraret his, qui in ipsum credunt, vitam; non contumelias recusavit, non verbera, non sputorum tentationem, quamtumvis Deus esset natura, et verus Dominus. Ait deinde ut homo: Dominus mihi adjutor factus est. Propterea non sum confusus, sed posui faciem meam sicut firmam petram. Et cognovi me nulla ignominia affectum iri, quia prope est qui me justificat.

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

Disserit igitur, ut dixi, humano more, et semper exinanitionis mensuræ congruenter. Verum his verbis subindicare videtur supplicium, quod illis, impietatis in ipsum ergo, incumbit. Factus est enim, inquit, Dominus mihi auxiliator. Perinde est, ac si dicat: Cum darem tergum meum ad verbera, et genas meas ad alapas, et passionem Crucis paterer, factus est auxiliator Pater. Succurrit enim, neque concessit, ut Filius suus prorsus rubore afficeretur, ac pudefieret. Nam supplicio affecti sunt, et delictorum suorum in me pœnas solverunt, qui ausi sunt cum Deo pugnare. Cum adjungit: Prope est qui me justificat, eleganter rursus innuit pœnam in illum bacchantium non abesse procul, nec deinde procrastinandam; sed velut prope esse, et ipsorum factorum comitem fore quasi et pedisequam.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. [1]

*Ex Tractatu CXVI. in Joannem.*

Cum Judæi clamassent, non Jesum sibi a Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non Salvatorem, sed interfectorem; non datorem vitæ, sed ademptorem: tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet quod idem Præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur; aut fortassis et jussit, quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id jussisse non dixit.

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Et milites, inquit, plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, Rex Judæorum; et dabant ei alapas. Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus: sic Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutores libuisset facere, perferenda: sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia: sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat: sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

℟. Videns.

LECTIO IX.

Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Hinc apparet non ignorante Pilato hæc a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit; illa scilicet causa, quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime biberent, et ulterius sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio: et dicitur eis, Ecce homo. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia.

Te Deum.

---

[1] Textum ad Homiliam hic conficiendam omnino sumpsimus, prouti apud Migne *Patrologia Latina*, tom. XXXV. 1941-1942. editum videmus.

## FERIA QUARTA.

# DE IV. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bonaventuræ Episcopi. [1]

*E Libro De ligno vitæ.*

Quamvis non ignoraret Pilatus, Judaicam gentem adversus Jesum non justitiæ, sed invidiæ zelo commotam, cùm patenter assereret nullam se in eo mortis causam vel modicam invenire; humano tamen timore devictus, replevit animam suam amaritudinibus, et piissimum Regem crudelis tyranni, Herodis videlicet, judicio subdidit. Quem et ludibrio habitum et ad se remissum crudeliori mandato nudum in conspectu derisorum astare præcepit, ut atrocissimis verberibus virgineam illam et candidissimam carnem flagellatores truculenti divellerent, plagas plagis, livores livoribus crudeliter infligentes.

℟. Filius.

LECTIO V.

Decurrit ille sanguis pretiosissimus per illa sacra latera innocentis et amantissimi juvenis, nullo prorsus in eo reperto reatu. Et tu, perdite homo, totius confusionis et contritionis hujus causa exsistens, quomodo non in fletum erumpis foras? Ecce, innocentissimus Agnus, ut te a sententia justæ damnationis eriperet, injusto propter te elegit judicio condemnari. Ecce, quæ non rapuit, pro te solvit; Et tu, anima mea nequam et impia, nec devotionis exsolvis gratitudinem, nec compassionis rependis affectum!

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

Vide nunc, anima mea, quomodo ille, qui est super omnia benedictus Deus, a planta pedis usque ad verticem, totus in aquas passionis demergitur: et ut te totam de illis passionibus extraheret, intraverunt aquæ usque ad animam suam. Coronatus etenim spinis, sub crucis onere dorsum curvare jubetur, et suam ipsius portare ignominiam, et ad locum deductus supplicii, veste nudatur, ut ex flagellorum ictibus per dorsum et latera carnis patefactis livoribus atque scissuris, videretur quasi leprosus; et dehinc clavis transfossus, appareret tibi dilectus tuus propter te sanandam concisus vulnere super vulnus.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi. [2]

*Homilia LXXXIV. alias LXXXIII. in Joann.*

Flagellavit eum Pilatus, forte ut sedato Judæorum furore, illum erueret. Quia enim per priora non potuerat illum eruere, ut malum his sisteret, flagellavit, et cætera permisit, ut chlamydem et coronam ipsi imponerent, quo illorum frangeret iram. Ideo coronatum ad eos adduxit, ut illam videntes ipsi illatam contumeliam, furorem compescerent et virus totum evomerent. Et quomodo milites hæc faciebant, non mandante Prætore? In Judæorum

---

[1] Textus harum e Doctore Seraphico Lectionum accipitur e pag. 407. in tom. VI. inter ejus Opera Omnia anno Domini MDCLXVIII Lugduni edito: admissa tamen aliqua interruptione inter V. et VI. Lectionem.

[2] Hæc Homilia verbis Chrysostomi effecta, legitur apud Migne *Patrologiæ Græca*, tom. LIX. pag. 455-458.; sed in Lectione IX. textus cum interruptione sumitur, ad brevitatem Officii consequendam.

gratiam: siquidem initio non ab illo jussi noctu profecti sunt, sed in gratiam Judæorum et pecuniæ causa, omnia audebant.

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Attamen cum tot tantaque fierent, stabat ille silens, ut etiam fecit cum examinaretur, nihilque respondit. Tu vero non solum hæc audias, sed etiam in mente semper retineas; cum orbis et Angelorum Regem vides a militibus irrisum, et verbis et rebus, omniaque cum silentio ferentem, illum reipsa imitare. Cum enim dixisset Pilatus, Regem Judæorum, habitum illi vestemque deridendam circumponunt. Deinde educens illum, dixit: Nullam causam invenio adversus eum. Exiit ergo habens coronam, neque ita sedata est ira, sed clamabant: Crucifige, crucifige eum. Videns ergo Pilatus omnia frustra tentari, dicit: Accipite eum vos, et crucifigite. Unde palam est eum priora illorum furori concessisse. Ego nullam, inquit, causam invenio adversus eum.

℟. Videns.

LECTIO IX.

Nos autem hæc non solum legamus, sed in mente feramus, coronam spineam, vestimentum, calamum, alapas, plagas oculis inflictas, sputa, irrisiones. Hæc quippe in mente frequenter versata omnem iram sedare possunt. Etiamsi irrideamur, etiamsi quid injuste patiamur, frequenter dicamus: Non est servus major domino suo. Ideo enim hæc omnia passus est, ut ejus vestigia sequamur. Attamen ille non solum hæc pertulit, sed etiam omnia fecit, ut eos qui hæc moliti fuerant, a destinato supplicio liberaret: nam Apostolos ad illorum salutem misit. Audis enim dicentes illos: Scimus quia ignoranter fecistis; et sic illos ad pœnitentiam attrahunt.

Te Deum.

---

## FERIA QUINTA.

# DE V. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS

### DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Isidori Episcopi. [1]

*De Fide catholica contra Judæos.*

*Lib. I. Cap. 27.*

Quia clamaverunt Judæi Pilato ut crucifigeretur Jesus, [2] hoc jam per Jeremiam Christus de Synagoga prædixerat, dicens: Reliqui domum meam, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in silva, dedit contra me vocem suam; blasphemans utique, et dicens: Crucifige, crucifige. Et alibi ipse dicit: Super quem aperuistis os vestrum? et adversus quem laxastis linguas vestras? Et Isaias: Ruit, inquit, Jerusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum contra Dominum. Item ipse: Exspectavi ut facerent judicium, fecerunt autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem.

℟. Filius.

LECTIO V.

*Cap. 29.*

Quia flagellatus est, et palmarum sustinuit ictus, Job de eo sic dicit: Exprobrantes, et conspuentes, percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Et in Psalmis ipse dicit: Ego ad flagella paratus sum. Et iterum: Congregata sunt in me flagella, et ignoravi. Similiter et per Isaiam: Non sum, inquit, contumax, neque contradico: corpus meum dedi

---

[1] Textus, unde sequentes Lectiones sumebantur, habetur apud Migne *Patrologia Latina*, tom. LXXXIII. pag. 481-483., omissa hic citatione Capitulorum et versuum, quæ et ibi intra parenthesim includuntur.

[2] Addita sunt nomina *Judæi* et *Jesus*, quæ in præcedentibus jam fuerant expressa.

percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. [1] Item de ipso Jeremias: Dabit, inquit, percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

*Cap. 33.*

Nam quia dum pateretur, tacuisse scribitur, hoc Prophetarum voces testantur. Isaias enim sic de illo ait: Tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. Hic enim in passione Pilato interroganti nihil locutus est; sed in humilitate judicium ejus sublatum est; de quo et ipse alibi: Non clamabit, nec audiet quis in plateis vocem ejus. Item idem Christus per eumdem Prophetam: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: corpus meum dedi percutientibus. Et ipse alibi: Tacui, silui, numquid semper tacebo? Primo enim tacuit, ut judicaretur, quando sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, nec aperuit os suum, suamque compescuit potestatem.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventuræ Episcopi. [2]

*Commentario in Joannem Cap. XIX.*

Hic intendit Jesum Pilatus liberare judicio severitatis, flagellans innocentem, ut zelum mitiget Judæorum; et sunt hic tres particulæ. In prima describitur Christi ignominiosa flagellatio; secundo, flagellati ostensio, ibi: Exivit iterum Pilatus foras; tertio, Judæorum induratio, ibi: Cum ergo vidissent eum Pontifices. Ignominiosa Christi flagellatio insinuatur primo in afflictione, deinde in derisione. Afflictionem tangit, cum dicit: Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Chrysostomus: Flagellavit eum Pilatus, fortassis absolvere volens et mitigare judaicum zelum; unde Lucæ vigesimo tertio dixit Pilatus: Emendatum illum dimittam, idest flagellis afflictum, ad magis mitigandum Judæorum zelum.

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Exivit iterum Pilatus foras. Hic ponitur Christi flagellati et illusi ostensio, ut moveantur ad pietatem. Et primum quidem replicatur innocentia, unde: Dicit, Ecce adduco vobis eum foras. Rationem subdit: Ut cognoscatis, quia nullam causam invenio in eo, scilicet mortis vel afflictionis; et tamen afflixi eum. Exiit ergo Jesus. Augustinus: Non clarus imperio, sed plenus opprobrio; unde sequitur: Portans spineam coronam et purpureum vestimentum, in quibus illuserant ei, secundum illud Matthæi vigesimo: Tradent eum Gentibus ad illudendum et flagellandum.

℟. Videns.

LECTIO IX.

Et dicit eis: Ecce homo; ecce, ostensio flagellati et vituperati in hoc, quod se regem fecerat. Augustinus: Spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est; fervet ignominia, frigescat invidia. Cum ergo vidissent eum. Hic ad ostensionem sequitur tertio induratio pertinaciæ Judæorum, maxime Pontificum; unde dicit: Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Isaiæ quinto: Exspectavi, ut faceret judicium; et ecce clamor. Bis dicunt crucifige, ad ostendendam mentis pertinaciam; Jeremiæ duodecimo: Facta est hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem; et Psalmus: Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens, propter clamorem.

Te Deum.

---

[1] Hic omittuntur verba: «Et per Jeremiam dicit: Posui scapulas meas ad flagella, et maxillas meas ad palmas.» Enimvero, hoc non est novum testimonium, neque e Jeremia desumptum; sed idem textus est ac præcedens Isaiæ attributus: «Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus», secundum versionem Septuaginta Interpretum. Memoriæ igitur lapsu tamquam duo diversa testimonia Isidorus citavit. — *Cf. nota 2. pag. 472. Cap. XXVI. ibid.* apud Migne.

[2] Hujus Homiliæ verba sumuntur e pag. 490-491. in tomo VI. inter Opera Omnia Sancti Bonaventuræ edito ad Claras Aquas (Quaracchi) anno MDCCCXCIII., quadam tamen textus parte hic omissa inter VII. et VIII. Lectionem.

## FERIA SEXTA.

# DE VI. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS

### DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bonaventuræ Episcopi. [1]

*Sermo I. in Dominica Quinquagesimæ.*

Christus destruxit delectationis complacentiam, sustinendo dolorem in flagellatione. Unde: Tradidit Pilatus Judæis Jesum flagellis cæsum. Christus ad hoc voluit amaritudinem doloris sustinere in flagellatione, ut destrueret dulcedinem carnalis delectationis. Non ergo, charissimi, evacuemus in nobis effectus divinæ flagellationis, quam sustinuit pro nobismetipsis; non Filium Dei rursus flagellemus per delectationem peccati: quia mitigandus est ejus dolor, non amplius innovandus. Unde Bernardus: Heu me miserum! Deus meus adaptatur ad verbera: ecce jam cæditur, rumpitur sancta caro violentia flagellorum, et crudelia vulnera scapularum totam carnem confundunt. [2]

℟. **F**ilius.

LECTIO V.

*Sermo II. in eadem Dominica.*

Talia passus est Dominus, antequam occideretur corporaliter: quia talia patitur anima, ut post occidatur spiritualiter. [3] Anima enim flagellatur adversitatibus. De quo: En famuli tui flagellis cædimur. Pharao diabolum significat, quia flagellis tribulationis multos sibi servire cogit, dum propter inopiam alii furantur, vel pejus faciunt: alii propter angustias blasphemant: alii propter injurias oderunt et occidunt. Unde quibusdam perversis tamquam flagellis utitur diabolus; et lingua mala utique flagellum diaboli est: A flagello linguæ absconderis. Contra hæc flagella Christus flagellatus est, ut te a flagellis dæmonum erueret.

℟. **C**ircumdederunt.

LECTIO VI.

Nota quod diabolus flagellis suis inducit pronitatem, multiplicitatem, diuturnitatem in peccatis. Ideo Christus ad satisfaciendum contra pronitatem, promptus fuit ad flagella; Psalmus: Ego in flagella paratus sum. Item contra multiplicitatem peccatorum, multiplicata sunt super eum verba flagellorum: Multiplicata sunt super me flagella. Item contra diuturnitatem, diu flagellatus est verberibus et verbis: Fui flagellatus tota die. Flagellis enim linguæ flagellatus est ab hora captivitatis suæ, usque ad horam mortis. Sed heu! a malis Christianis flagellis pejoribus [4] cæditur, quam a Judæis. Flagellatus est Christus flagellis Judæorum: flagellatur nunc flagellis falsorum Christianorum.

℟. **C**hristus.

---

[1] Habentur isti duo Sermones, unde Lectiones sunt confectæ, tom. III. pag. 60-61. inter Opera Omnia Sancti Bonaventuræ anno Domini MDCLXVIII. Lugduni edito.

[2] Verba quæ Doctor Seraphicus divo Bernardo attribuit, inveniuntur in quodam Sermone Sancti Joannis Chrysostomi, III. de Quinta Feria Passionis, qui tom. III. pag. 184. inter ejus Opera Omnia Venetiis anno MDXLVIII. edita legi potest. Ibi tamen habetur: «Heu me miserum!... Ecce Dominus meus aptatur ad verbera, ecce jam cæditur: rumpit sanctam crucem (*sic! lege* carnem) violentia flagellorum, et repetitis ictibus crudelia vulnera scapularum terga conscindunt.» Igitur posset textus ille sub Chrysostomi nomen forsan melius citari.

[3] Aliqua hic adest interruptio, et deinde ponuntur verba *De quo*, pro eo ut dicatur *De tertio*, quod incongruum foret.

[4] In Editione Lugduni ponebatur vox *prioribus*, quam in alteram *pejoribus* censuimus corrigendam.

IN III. NOCTURNO

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia sancti Thomæ Aquinatis. [1]

*Lectio I. in Cap. XIX. Joann.*

Supra prosecutus est Evangelista de his, quæ Christus passus est a Judæis; hic prosequitur de his, quæ specialiter passus est a Gentilibus: a quibus quidem tria passus est, secundum quod ipse prædixerat: Tradetur enim Gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum. Primo ergo Evangelista agit de Christi flagellatione; secundo de ejus illusione, ibi: Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; tertio de ejus crucifixione, ibi: Exivit iterum Pilatus foras, et dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. [2]

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Dicit ergo: Tunc idest post clamorem omnium, apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit, non quidem propriis manibus, sed per milites: et hoc ideo ut Judæi satiati ejus injuriis, mitigarentur et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Naturale est enim ut ira quiescat, si videat eum, contra quem irascitur, humiliatum et punitum. Quod quidem verum est in ira, quæ quærit nocumentum proximi cum mensura, sed non in odio, quod totaliter quærit exitium ejus qui habetur odio. Ecclesiastici duodecimo: Inimicus si inveniet tempus, non satiabitur sanguine. [3]

℟. Videns.

LECTIO IX.

Isti autem ex odio movebantur ad Christum, et ideo flagellatio non sufficiebat. Psalmo septuagesimo secundo: Fui flagellatus tota die. Isaiæ quinquagesimo: Dedi corpus meum percutientibus. Sed numquid hæc intentio Pilatum excusat a flagellatione? Non quidem: quia in omnibus quæ sunt per se mala, nullum eorum potest fieri totaliter bonum per bonam intentionem: affligere autem innocentem, et præcipue Dei Filium, est maxime per se malum; et ideo nulla intentione excusari potest.

Te Deum.

---

## SABBATO ANTE DOMINICAM I. AUGUSTI.

# DE VII. DIE INFRA OCTAVAM FLAGELLATIONIS

## DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SEMIDUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Antonii Patavini. [4]

*In die Parasceves.*

Filius hominis tradetur Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum: in variis Evangeliorum locis. Heu! captivorum libertas traditur, Angelorum gloria illuditur, omnium Deus flagellatur: speculum sine macula, et candor lucis æternæ conspuitur, morientium vita occiditur! Et quid nobis miseris ulterius restat agendum, nisi ut eamus et moriamur cum illo? O anima, compone collyrium; fac tibi planctum amarum super mortem Unigeniti, super passionem Crucifixi. Dominus innocens traditur a discipulo, illuditur ab Herode, flagellatur a

---

[1] Homiliæ textus pro hodierna die et sequenti, sumitur e pag. 613-614. in tom. X., qui inter Opera Omnia Doctoris Angelici anno Domini MDCCCLXI. Parmæ editus fuit.

[2] Hic complemus evangelicum testimonium, quod in editione citata his indicatur verbis: « *Exivit iterum Pilatus etc.* »

[3] Servata Capitulorum Sacræ Scripturæ citatione, hic et alibi non indicantur versus respectivi, ut sic tædium effugetur: idque fit etiam in Festo Omnium Sanctorum Ordinis Seraphici sub die XXIX. Novembris recolendo, ubi et numerus Capitum insuper reticetur. Item supra omittitur « ut dicit Philosophus in Rhet. », post verba « et punitum. »

[4] Hunc Sermonem invenimus pag. 166-167. inter Opera Omnia ipsius Sancti Antonii Patavini anno Domini MDCLIII. Lugduni edita, omissa tamen parte textus ante VIII. Lectionem hujus Officii.

Præside, conspuitur a Judæorum plebe, crucifigitur a militum cohorte.

℟. **F**ilius.

LECTIO V.

Fuit ergo flagellatus a Pontio Pilato. Unde Joannis decimo nono: Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Dicit Isaias: Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem: quandocumque pertransierit, tollet vos. Ne scilicet flagellum istud, per quod mors æterna vel diaboli potentia significatur, vos conculcet, omnium Deus, Dei Filius fuit ad columnam tamquam latro ligatus et atrocissime flagellatus in tantum ut sanguis emanaret. O mansuetudo divinæ pietatis! o patientia paternæ legis vel benignitatis! o profundum et inscrutabile æterni consilii arcanum! Videbas, Pater, Unigenitum tuum coæqualem, ad columnam latronum ligatum, et flagellis sicut hominem homicidam laniari: et quomodo te continere potuisti?

℟. **C**ircumdederunt.

LECTIO VI.

Gratias tibi agimus, Pater sancte, quia per dilecti Filii tui vincula et flagella, a vinculis peccati et flagellis diaboli sumus liberati. Sed heu! Pontius Pilatus in terra flagellat Christum. Pontius interpretatur Pater declinans; Pilatus, malleator vel ore contundens. Et significat illum, qui declinat a bono proposito, et post votum tendit ad vomitum. Hic ore blasphemiæ, et linguæ malleo contundit Christum, et flagellat etiam in membris suis. Egressus enim Satan a facie Domini, ordini detrahit, istum vocat superbum, istum accusat gulosum; et ut ipse innocens appareat, vere innocentes ut nocentes judicat, ut sub multorum ignominia suam valeat iniquitatem palliare.

℟. **C**hristus.

IN III. NOCTURNO.

℣ *Si hesterna die actum non fuerit de Octava Flagellationis D. N. J. Christi, dicatur simpliciter* Homilia, *minime autem* De Homilia; *vel sumantur Lectiones diei præcedentis.* [1]

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

De Homilia sancti Thomæ Aquinatis. [2]

*Lectio II. in Cap. XIX. Joann.*

Primo ponitur Pilati demonstrantis intentio, quæ erat eum liberare; unde dicit: Exivit ergo iterum Pilatus, scilicet a prætorio, et dixit eis, scilicet Judæis exspectantibus: Ecce adduco eum vobis foras; et hoc ideo ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam, scilicet mortis. Quare ergo turpiter tractasti, impie Pilate, sine causa? Scilicet ne Judæi credant quod ob favorem Eum dimittam. Qualis enim favor præstatur ei, cui tot inferuntur flagella? Vel ideo ut hæc ejus ludibria inimici libentissime viderent, [3] ut ulterius sanguinem non sitirent. Quasi dicat: Si reus esset mortis, ita condemnarem eum sicut flagellavi; fortassis tamen aliqua levia fecit contra legem, propter quæ flagellationem tantum promeruit, non autem mortem.

℟. **O**btulistis.

LECTIO VIII.

Secundo ponitur Christi manifestatio, et hoc facto; unde dicit: Exivit ergo Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum. In illo habitu illum ostendit in quo a ministris illuditur, ut saltem quiescant dum ad eos exit, non clarus imperio sed plenus opprobrio. Psalmo sexagesimo octavo: Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. [4] In quo instruimur ut opprobria omnia propter nomen Jesu Christi parati simus sustinere. Isaiæ quinquagesimo primo: Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.

℟. **V**idens.

LECTIO IX.

Tertio ponitur demonstrantis explicatio, et hoc per verba Pilati; unde dixit eis, Ecce homo, quasi despective loquendo, quod ali-

---

[1] Id præcipitur etiam in quinta ex regulis, quas cl. Bartholomæus Gavantus Octavario Romano præmisit.

[2] Homilia hujus diei sumitur ex eodem loco, ac illa quæ heri recitanda ponebatur.

[3] In editione Operum Sancti Augustini, cujus hæc sunt verba, apud Migne *Patrologia Latina* tom. XXXV. pag. 1942., habetur vox *biberent*, quæ melius convenit cum sequenti verbo *sitirent*.

[4] Omittitur citatio versiculorum Sacræ Scripturæ, retenta solummodo Capitum indicatione, quemadmodum fit etiam in Lectionibus ad III. Nocturnum de Inventione Corporis Sanctæ Claræ, cujus Festum a Minoritis sub die XXIII. Septembris celebratur.

quis sic despectus vellet sibi usurpare regnum. Ecce de quali homine creditis hæc, ut secundum hoc conveniat ei illud Psalmi vigesimi primi: Ego sum vermis, et non homo. Si ergo Regi invidetis, iam parcite: quia dejectum videtis. Fervet ignominia, frigescat invidia: ut dicit Augustinus. Hic ponitur demonstrationis Christi effectus in Judæis: quia quantumcumque viderent eum dejectum et desolatum et flagellatum, eorum invidia non frigescit, sed ardescit potius et crescit. Unde cum vidissent eum, adductum foras, Pontifices et ministri clamabant: Crucifige, crucifige eum.

Te Deum.

---

## DOMINICA I. AUGUSTI.

IN DIE OCTAVA

# FLAGELLATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

IN ECCLESIA TITULARI

ATQUE IN CONVENTU SANCTISSIMI SEPULCHRI

DUPLEX.

*Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones et* ℟℟. *ut in die Festi.* (45)

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Laurentii Justiniani Episcopi. [1]

*De triumphali Christi agone. Cap. XIV.*

Qualia Christus gessit, ut mortalium omnium sibi valerent vendicare affectum. Ut igitur, o homo scias, quanti te æstimaverit Christus, ut compassione patiaris cum illo, utque amori ipsius vices rependere possis, hortor atque commoneo: quatenus in spiritu in prætorium Pilati introëas, diligentissimeque consideres, quid tuus propter te in eo sustineat Deus. Lacrymas habeto paratas, cordis gemitum tene, ut quum lamentationes, carmen, et væ in libro vitæ repereris scripta, non solum te, verum etiam qui te audierint, provoces ad lamentum. Nullus, ut arbitror, a fletu continere se debet, quum Dei Filium, ut ibi durissime flagelletur, in prætorium mente conspexerit introduci.

℟. Filius.

LECTIO V.

Nunc itaque horrendum coram te positum attende spectaculum. Accedunt ministri crudelitatis ad Dominum, quatenus detractis vestibus illum nudum exhibeant. Porro tamquam agnus coram tondente se non aperuit os, convitia patienter audit, tranquillo animo se exspoliari permittit. Tanta siquidem mansuetudinis est usus modestia, ut forte de astantibus quosdam incitaret ad lacrymas. Cujus, oro, tam ferreum pectus tanti non emolliret duritiam benignitas Redemptoris? Ligatur, cæditur, totoque flagris corpore dissipatur. Nunc scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt. Vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt. Hinc livor tumens, inde sanguis erumpens. Variatum cute decoriata reddit corpus; adeo ut membrorum compages visibiles fierent.

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

Prophetæ vaticinium tunc completum fuit, dicentis: Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: reputavimus eum quasi leprosum,

---

(1) Lectiones sequentes accepimus ex editione satis vetusta Operum Omnium ejusdem sancti Laurentii, quam in Conventu nostro Bethlehemitano consulere potuimus. Ex Operibus Justiniani sumuntur etiam Lectiones II. Nocturni pro IV. die infra Octavam Annuntiationis B. M. Virginis in Appendice Octavarii Romani, pag. 446-447. juxta editionem anno MDCCCLXXXIII. Ratisbonæ peractam.

et percussum a Deo, et humiliatum. Ipsius autem revera livore sanati sumus: nam propter iniquitates nostras vulneratus est, et attritus propter scelera nostra. Vulneribus tandem circumquaque in carne diffusis, vinculisque solutis, proprias compellitur resumere vestes. Secessit igitur solus, et doloris nimietate debilitatus sine alicujus adminiculo induit se. Hoc unico exemplo potentum, superborumque superfluos damnat famulatus. Non habuit majestatis Dominus adjutorem, saltem vel minimum, qui in tanta necessitatis vehementia suffragii manum apponeret.

℟. Christus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Cap. XIX. 1.*

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardini Senensis. [1]

*Tomo I. Sermone LI.*

Pilatus, dimisso Barabba, et lotis manibus, implacabilem sævitiam Judæorum intelligens, adinvenit modum alium liberandi Jesum, ut scilicet flagellari faceret et illudi, ut saltem in ejus verberibus et opprobriis satiati, annuerent eum taliter liberari. Proinde flagellavit eum, et prout moris erat Præsidum Romanorum, ligatum ad quamdam aulæ columnam, prius exuentes eum vestimentis suis. Tunc verificatum est illud Isaiæ: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus. Considera igitur, quid erat videre Filium Dei toto corpore denudatum, veluti mansuetissimum agnum, tam dira sustinere flagella, ut a planta pedis usque ad verticem in toto corpore appareret horribilis et leprosus. Unde Isaias in persona omnium Prophetarum ait: Nos reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

℟. Obtulistis.

LECTIO VIII.

Defluxit ille sanguis pretiosissimus per illa sacra latera innocentis et amantissimi juvenis, nullo prorsus in eo reperto reatu. Et tu, perdite homo, totius confusionis et contritionis causa exsistens, quomodo non in fletum foras erumpis? Quo flagellato et a columna soluto, milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et vestem coccineam sive purpuream circumdederunt ei. Et veniebant ad eum, et salutabant eum dicentes: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant arundine caput ejus, et dabant ei alapas, expuentes in faciem ejus, et ponentes genua adorabant eum. Et sic flagellatus ostenditur Judæis, ut saltem compassione commoti velint eum tradere libertati. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum, in totius populi solatium et derisum. Et dicit eis Pilatus, Ecce homo; quasi dicere velit: Accusatis eum se fecisse Filium Dei: ecce quod nunc apparet non Filius Dei, sed miserabilis homo.

℟. Videns.

℣ *Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis, de qua et in utrisque Vesperis ac Laudibus agetur juxta Rubricas Commemoratio.*

℣ *Si aliquam ob causam de die Octava Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi agi extra Dominicam contigerit, neque alia IX. Lectio Simplicis aut Homiliæ habeatur, erit sequens.*

LECTIO IX.

Egredimini ergo filiæ Sion, id est animæ sanguine Christi redemptæ, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, scilicet impia synagoga. Et tu humani cordis superbia, quæ opprobria abhorres et ad honores aspiras: attende, quis est hic qui egreditur, habens imaginem quasi Regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus, Jesus Rex tuus et Deus tuus: qui quasi vir leprosus et novissimus virorum existimatus est, ut te ab æterna confusione eriperet, et a superbiæ peste sanaret. Væ igitur his semel, et væ iterum atque iterum, qui post tam præclarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, rursum ostentui habentes Filium Dei.

Te Deum.

---

[1] Textus Lectionum invenitur pag. 276. in tom. I. Operum Omnium ipsius Sancti Bernardini Senensis anno MDCL. Lugduni edito: sed congruenter omissis in Lectione VII. verbis *anima mea*, post alia *Considera igitur;* necnon voces *scilicet cum adhuc esset nudus*, post reliquas *capiti ejus*.

# APPENDIX

## CONTINENS PARTES QUÆ JAM POSITIS SUBROGARI POSSENT.

## A.

*Aliæ Lectiones II. Nocturni pro Festo aut Octava Flagellationis D. N. J. Christi.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bonaventuræ Episcopi. [1]

*Meditation. Vitæ Christi, Cap.* **76.**

Ducitur ergo Jesus ad Pilatum, et mulieres a longe sequuntur, quia appropinquare non possunt. Accusatur tunc a Judæis [2] in multis, et Pilatus ipsum misit ad Herodem. Herodes vero cupiens videre de suis miraculis, gavisus est; sed nec miraculum ab illo habere potuit, neque verbum. Igitur ex hoc reputans eum stultum, fecit in derisionem ipsum indui veste alba, et remisit eum Pilato. [3] Reducto autem eo ad Pilatum, illi canes cum audacia magna atque constantia, prosequuntur suas accusationes: sed Pilatus, causam mortis non inveniens in eo, ipsum dimittere nitebatur. Dixit ergo: Ipsum corripiam, et dimittam. O Pilate, tu Dominum tuum castigas? Nescis quid agis, quia nec mortem nec flagella meretur: recte ageres, si te ad suum nutum corrigeres. Jussit autem eum durissime flagellari.

℟. Filius.

LECTIO V.

Spoliatur ergo Dominus, et ad columnam ligatur, et diversimode flagellatur. Stat nudus coram omnibus juvenis elegans et verecundus, speciosus forma præ filiis hominum; suscipit spurcissimorum flagella dura et dolorosa, caro illa innocentissima et tenerrima, mundissima et pulcherrima. Flos omnis carnis, et totius humanæ naturæ, repletur livoribus et fracturis. Fluit undique regius sanguis de omnibus partibus corporis; superadditur, reiteratur et spissatur livor super livorem, et fractura super fracturam, quousque tam tortoribus quam inspectoribus fatigatis, solvi jubetur. Columna autem, ad quam ligatus fuerat, vestigia cruoris ostendit, sicut in historiis continetur.

℟. Circumdederunt.

LECTIO VI.

Hic ergo eum diligenter considera per longam moram, et si hic non compateris, cor lapideum puta te habere. Tunc impletum est, quod ait Isaias Propheta: Vidimus, inquit, eum, et non erat aspectus, et reputavimus eum quasi leprosum, et humiliatum a Deo. O Domine Jesu, quis fuit tam audax et tam temerarius, qui te spoliavit? Et qui illi audaciores, qui te ligaverunt? Sed qui illi audacissimi, qui te tam durissime flagellaverunt? Sed tu, sol justitiæ, tuos radios subtraxisti, et ideo factæ sunt tenebræ, ac tenebrarum potestas. Omnes sunt te potentiores. Amor tuus, et iniquitas nostra sic te debilem [4] fecerunt. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua sic affligeris.

℟. Christus.

---

## DOMINICA ULTIMA JULII.

### IN COMMEMORATIONE

# FLAGELLATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

### AD MISSAM.

**Introitus.** *Ps. XXXIV. 15.*

Adversum me: *et reliqua omnia ut in Missa IV. apud Missale Votivum Terræ Sanctæ, quæ pag. 5. ejusdem Operis collocatur.* [5]

*Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis, et legitur ejus Evangelium in fine.*

℣ *Infra Octavam Missa fit jugiter de Sanctis occurrentibus, addito quotidie Symbolo, facta ejusdem Octavæ Commemoratione cujuscumque ritus sit Festum quod infra illam peragitur* [6], *adhibitaque Præfatione de Cruce quoties propria non habeatur. Et in Semiduplicibus, quando in Officio diei alia desit Commemoratio, ad Missam dicitur tertia Oratio de Sancta Maria* Concede.

---

[1] Liber iste Meditationum, qui plerisque genuinus non habetur, prostat pag. 386-387. tomo VI. Operum omnium Sancti Bonaventuræ anno Domini MDCLXVIII. Lugduni edito.

[2] Hic additur congrue vox *Jesus*, omittitur *illæ* ante verbum *mulieres;* mutatur *illis* in *Judæis* ante vocem *in multis*.

[3] Hic adest interruptio, ob brevitatem sectandam.

[4] Ob malam significationem vitandam, maxime apud Italos, hic vox *imbecillem* mutatur in alteram *debilem*.

[5] Omnia, quæ ibidem circa Missam præfatam adnotantur, etiam ad præsentem casum applicata manent.

[6] Ratio hujus Rubricæ, quæ et pro Officio præscribitur, superius pag. (8) nota [3] requiratur.

# DOMINICA I. AUGUSTI.

IN DIE OCTAVA

# FLAGELLATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

IN ECCLESIA TITULARI ET IN CONVENTU SANCTISSIMI SEPULCHRI.

**Missa.** Adversum me: *ut in die Festi, cum Commemoratione Dominicæ occurrentis, aliisque juxta Rubricas, ac legitur ultimum Dominicæ Evangelium in fine.*

## ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Mysterium Dominicæ Flagellationis, jam Sacris Scripturis et Ecclesiæ Patribus aliisque Auctoribus celeberrimum, optimo equidem jure, nos Officio ac Missa propriis honestandum a legitima Apostolicæ Sedis auctoritate imploramus. Quamvis enim, ut verbis utamur Innocentii Papæ Sexti ad Lectionem VI. Matutini in Festo Lanceæ et Clavorum D. N. J. Christi, quamvis Dominicæ « Passionis salutaria Instrumenta sint « a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de « ipsa etiam Passione in eadem Ecclesia solemnia an- « nis singulis Officia celebrentur et fiant; dignum « tamen et conveniens reputamus, si de ipsius Pas- « sionis specialibus Instrumentis, et præsertim in « partibus, in quibus Instrumenta ipsa dicuntur ha- « beri, *solemne ac speciale Festum* celebretur et fiat. » Hæc autem omnia in casu nostro argumenta inveniuntur, et abundantius forsan quam in aliis concessionibus talium quandoque Officiorum. Hierosolymis enim, uti alibi diximus, venerandum hujusmodi Instrumentum Dominicæ Passionis habetur, magna nempe illius sacræ Columnæ pars ad quam, jubente Pilato, Christus Jesus ligatus et flagellatus esse traditur; atque insuper a fidelibus publica illa Ecclesia apud eamdem Civitatem devotissime invisitur, quæ in loco ubi Dominus tormentum illud sustinuit, ædificata consurgit. Et quod magis est, uterque locus a Sede Apostolica sufficienter recognitus esse cernitur, cum utrumque Sanctuarium visitantibus Indulgentiam plenariam largita fuerit, ac permiserit die 31 Augusti anni 1865 ut in loco Flagellationis Missæ de Pretiosissimo Sanguine aut de Passione Domini possent ceu Votivæ recitari. Hisce demum causis addatur specialissima in casu nostro ratio, quæ ad Officium exquirendum impellit, carentia scilicet alicujus apti Officii de Flagellationis Mysterio; ex quo hucusque factum est, ut Ecclesia publica neque Titularis solemnitatem habeat, neque idcirco illud in Sanctorum Suffragiis commemorare valeat: quæ omnia quantum a jure Liturgico abnormiter repugnent, facile quisque videt. Tot igitur rationibus freti, Franciscani Terræ Sanctæ merito confidunt a Sancta Sede novum Festum se consecuturos, utpote quæ jam de Oratione in Monte Oliveti ac de Sacra Spinea Corona, aliisque Mysteriis et Instrumentis Dominicæ Passionis jam Officium ac Missam dignata est concessisse in casibus a nostro nullatenus diversis.

2. Cum folium hoc typis mandaturi essemus, ex Diario Gallico « **L'Univers et le Monde** *Vendredi 29 Avril 1898.* » rescivimus in Ordinario Cœtu Sacræ Rituum Congregationis habito ad Vaticanum die XXVI. ejusdem mensis et anni, actum fuisse de concedendis Officio et Missa propriis in Festo Columnæ Flagellationis D. N. J. Christi, quæ Romæ ad S. Praxedis in veneratione habetur. Hucusque nos ignoramus an Officium et Missa, de quibus præfata die agebatur, eadem sint ac quæ Rmus. Pater Aurelius de Buja hodiernus Terræ Sanctæ Custos jam ab anno 1894. S. R. Congregationi approbanda proposuerat; quorumque exemplar Rmus. idem Pater anno 1895. a Congregatione Ordinis Generali, Assisii mense Majo ad S. Mariæ Angelorum celebrata rediens, secum Hierosolymam retulit, ut simul cum aliis tribus Officiis ibi ceu Promanuscriptum ederetur. Illud autem exemplar reapse a nobis est superius editum, nonnullis partibus aliquantulum correctis ad majorem pulchritudinem Officio comparandam; hocque fecimus, quoniam Officium et Missam nondum a S. R. Congregatione definitive approbata putaremus. En petitionis formula:

Beatissime Pater,

Frater Aurelius a Buja, Sacræ Custodiæ Terræ Sanctæ Custos, ad pedes Sanctitatis Tuæ humiliter provolutus enixe exorat, ut pro eadem Custodia approbare dignetur Officium proprium cum relativa Missa Flagellationis Domini N. J. C., ad fovendam pietatem tum peregrinantium tum maxime Fratrum, qui sacra asservant Terræ Sanctæ loca, mysteriis vitæ mortisque divini Redemptoris decorata, et illud præsertim in quo religiose colitur Columna cui Dominus, dum flagellaretur, alligatus fuit.

Et Deus, etc.

*Enixe commendantur preces pro approbatione Officii proprii Flagellationis D. N. J. C., in favorem Fratrum Minorum in præfata S. Custodia degentium.*

Romæ ad S. Ant. 20 Januarii 1895.

(L. ✠ S.) Fr. Raphaël ab Aureliaco
*Proc. Glis. Ord. Minorum.*

Ad pag. autem 4. in exemplari petitionis, diversis lineis, scriptum est: « Ordinis Minorum S. Francisci. — Ex Congressu diei 9 Februarii 1895. — Ponatur in folio cum animadversionibus Rmi P. D. Promotoris S. Fidei. — P. Raffaele 4292. »

3. Omnes autem variationes a nobis novissime in Officium ac Missam inductæ, vel textum breviorem pulchrioremque reddunt, vel Hymnos elegantiores efficiunt, vel ad evitandas repetitiones et res quæ improbari possent, inserviunt. Qua in re, hoc nobis advertendum est, ex duabus ante conclusionem strophis Hymno ad Matutinum et Laudes ademptis, novum et quartum Hymnum effectum fuisse, ut hoc Officium tribus præcedentibus jam editis similis ubique redderetur. Reliquæ autem mutationes, nullius fere momenti, hic bene omittuntur; sed semper præsto sunt et exhiberi possunt, si exquirantur. Quidquid autem sit de qualitate Officii pro Ecclesia Sanctæ Praxedis, nos approbationem hujus nostri Officii, uti superius editum est, enixe desideramus, scientes non esse rem insolitam ut diversis Officiis unum idemque Mysterium recolatur: sicuti ad rem nostram effici videmus in Mysteriis Sacratissimi Cordis Jesu, Spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum, ac Pretiosissimi Sanguinis Domini, aliisque interdum Festis.

4. Antiphona prima ad I. Vesperas, ne hoc Officium incipiat ut alterum Sanctissimæ Viæ Crucis D. N. J. Christi: « Alieni insurrexerunt adversum me: et fortes quæsierunt animam meam. *Ps. LIII. 5.* »

5. Aliæ Antiphonæ ad Matutinum: « 1° Convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. *Ps. II. 2.* = 2° Defecit in dolore vita mea: et anni mei in gemitibus. *Ps. XXX. 11.* = 3° Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. *Ps. XXXI. 10.* = 4° Exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Ps. LXIII. 4.* = 5° *Quoniam Dominus flagellatus est:* non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. *Ps. XC. 10.* »

6. Si Psalmi longiores, quam æquum sit, Correctoribus videantur; sumi etiam possent vel omnes vel aliqui e Festis Commemorationis Dominicæ Passionis aut Pretiosissimi Sanguinis aut denique ex ultimo triduo Majoris Hebdomadæ. Quamvis autem hoc aliquando fiat, non est tamen probatiori in Sacris Officiis consuetudini conforme; juxta quam a vetustis temporibus derivatam, semper subjicitur initium Psalmi, quantumcumque prolixi, unde Antiphona sumebatur, uti cernitur in Officiis omnibus de Tempore.

7. Alius Versus post ℟. II. ad Matutinum: « Dixerunt impii: Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. *Sap. II. 19.* »

8. In Antiphonam VI. Matutini ita S. Hilarius, apud Migne *Patrologia Latina* tom. IX. pag. seu potius columna 350.: « *Declinantes in eum iniquitatem* « falsorum testimoniorum et sententiæ mortis, *in ira* « *quoque molesti sunt ei,* dum **flagellis,** dum co- « laphis, dum alapis desæviunt. » Melius igitur hic Antiphona ponitur, quam apud exemplar Roma relatum.

9. Lectiones per integram hic Octavam ideo sunt appositæ, ut facile præ Correctorum manibus habeantur textus ad substituendas Lectiones diei Festi atque Octavæ, si delectæ improbentur; et reapse ut inserviant pro diebus infra Octavam, quoties hoc Festum vel alia die, vel cum Octava quomodolibet privilegiata, vel ab aliis Ecclesiis recolatur, in quarum Kalendario sedes liberæ infra Octavam occurrant.

10. Præstat hic, ad Lectiones II. et III. Nocturni efficiendas, alios Scriptores indicare, eo vel magis quoniam Commentatores in Evangelia ita breviter Mysterium exponant, ut eorum textus vix ad unam alteramve Lectionem sufficiant efformandam. Opportune occurrunt: Sanctus Augustinus apud Migne *Patrologia Latina* tom. XXXVI. pag. 668-669. « **V**ideamus quomodo... occideretur extorsit? — **I**pse Dominus dicat... eum occidere voluerunt. — **S**ed nos interrogemus... quo Christus occideretur.»; item Sanctus Augustinus *Ibid.* tom. XXXVI. pag. 762-763. « **V**erbum Judæorum agnoscimus in Sapientia Salomonis... Deum Judicem fallebant? — **Q**uod fecit Pilatus... fecit et hoc. — **S**ed si reus... Crucifige, crucifige. »; Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus apud Migne *Patrologia Græca* tom. XXXIII. pag. 790-794. num. XIII. et XV.; S. Joannes Damascenus *Ibid.* tom. XCVI. pag. 598.; Sanctus Bernardinus Senensis pag. 397. in tom. II. et pag. 327-328. in tom. III. inter ejus Opera Omnia Lugduni anno MDCL. editis.

11. Versus post ℟. V. Matutini: « Irruerunt in me fortes: neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi. *Ps. LVIII. 4.* »

12. Ad calcem Lectionis VI. asseruimus, Columnam conspicua ex parte Hierosolymis asservatam, vere illam esse, ad quam Christus ligatus est, dum jussu Præsidis flagris cæderetur. Columna quæ Romæ est ad Sanctæ Praxedis, non videtur haberi posse uti Columna Flagellationis; cum et integra sit, et non tantæ longitudinis ut porticum Ecclesiæ sustentare potuerit. Sanctus enim Hieronymus, aliique post eum, de Columna Flagellationis hæc in Epitaphio Paulæ apud Migne *Patrologia Latina* tom. XXII. pag. 884. tradit: «Ostendebatur illi [*scilicet* Paulæ] Columna *Ecclesiæ porticum sustinens,* infecta cruore Domini, ad quam vinctus, dicitur flagellatus.» Sed tamen Columna Romæ exsistens illa esse creditur, ad quam cæsus est Christus in domo Caiphæ tota nocte antequam Præsidi traderetur. Sed de hac quæstione fusius alibi.

13. Sanctus Cyrillus Alexandrinus alias Lectiones pro III. Nocturno dare posset, hac adhibita partitione. In die Festi Lectio IX. ex textu omisso efficiatur, nempe: « Milites ergo... significare ajunt. », uti legitur apud Migne *Patrologia Græca* tom. LXXIV. pag. 630.; et pro altera die infra Octavam, sequentes sint Lectiones: « **E**t exivit iterum... inveniet quidquam. — **O**bserva enim... justificationem vitæ. — **I**gitur laboravimus... legem Patris sui. » *Ibid.* pag. 630-631.

14. Nova ad Benedictus Antiphona: « Propter scelus populi sui percussit eum Dominus, et voluit conterere eum in infirmitate. *Isai. LIII. 8.* et *10.* »

15. In Missa prior Versus pro Temp. Pasch., ut melius cum voce *Alleluja* jungatur, ita augeri posset: « *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim* Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur. »

## V.

## DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ. [1]

IN FESTO

# INVENTIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

IN MEDIO DOCTORUM.

HIEROSOLYMIS DUPLEX II. CLASSIS

RELIQUIS LOCIS IN CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ DUPLEX MAJUS. [2]

*Officium ac Missa integre propria, quæ in Breviario ac Missali Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis sub Feria VI. post Dominicam Sexagesimæ reperiuntur.* [3]

℣ *Quando Epiphania in Dominica venerit, Festum Inventionis Domini recolitur Sabbato sequenti; quemadmodum nempe de ipsa Dominica infra Octavam ageretur.* [4]

℣ *In I. Vesperis Festi nisi Epiphaniæ Solemnitas in Sabbato occurrerit, atque in Laudibus ac Missa* [5] *et in II. Vesperis ubivis agitur Commemoratio de Octava Epiphaniæ: sed plane omittitur Commemoratio de Dominica, nec legitur IX. Lectio de Homilia aut ultimum ejus Evangelium; quoniam in locum ipsius Dominicæ est hoc Officium subrogatum.* [6]

### ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Mysterium hoc Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, jam in pluribus Diœcesibus atque Institutis Religiosis cum Officio et Missa integre propriis celebratum, meritissime etiam videtur esse colendum a Fratribus Minoribus de Custodia Terræ Sanctæ, præsertim in urbe Hierosolyma: quoniam iidem Minoritæ non solummodo Factum illud Evangelicum ceu GAUDIUM QUINTUM Coronæ Franciscanæ (uti et Servitæ TERTIUM DOLOREM Virginis Mariæ) venerantur; verum et in regione habitant omnium Christi Mysteriorum teste, quorum plurima, ante quam Ordo Minorum universus, per Officium et Missam colunt aut coluerunt.

2. Ne autem quis objiciat detrimentum, quod Octava Epiphaniæ Domini singulariter privilegiata dehinc sit e Festo noviter inducendo passura; advertimus in primis, detrimentum ipsum a Sacra Rituum Congregatione non magni admodum esse factum, cum idem Officium aliis Locis indulgeret; ac proinde tanti pariter ab ea æstimandum non esse, ut Festum ipsum extendere ad Loca neget, pro quibus majores causæ adesse videntur. Deinde, si verius loquamur,

---

[1] Apud Ordinem Servorum Beatæ Mariæ Virginis (nisi dein immutatio contigerit) Festum hoc celebratur Feria VI. post Dominicam Sexagesimæ; quoniam inter Festa mobilia Ordini illi concessa, quæ ex usu Martyrologii inscripta die præcedenti ibidem collocantur, ita pag. 493 apud Martyrologium Romanum anno 1859 Mechliniæ editum legitur in Appendice eorumdem Religiosorum: « FERIA QUINTA POST DOMINICAM SEXAGESIMÆ. — Commemoratio Inventionis Domini Nostri Jesu Christi in medio Doctorum. » Attamen, nos Dominicam infra Octavam Epiphaniæ seligendam retinendamque censuimus: quippe quæ non solum in Appendice Diurnalis Mutinensis inferius citanda, in Appendice quadam Angliæ, et apud Breviarium Ordinis Prædicatorum Festo hujusmodi celebrando præstituitur; sed etiam et correspondet diei, qua Ecclesia Evangelium illud in **Proprio de Tempore** legendum jubet, et nullum hinc aliis Sanctorum Festis creat impedimentum.

[2] Licet hoc Officium in tota Custodia Terræ Sanctæ recitandum assignetur, ob multam semper cum iis Locis relationem: tamen ritus altior pro Civitate Hierosolyma ejusque suburbiis assignatur; quum et inibi Mysterium olim evenerit, et insuper ritus duplex II. Classis omnibus ferme Mysteriis in Terra Sancta peractis tribuatur in ejus Kalendario.

[3] Recurri etiam posset ad Appendicem pro Diœcesi Parmensi et aliis Locis, ubi Festum idem recolatur.

[4] In Appendice Diurnalis Romani anno Domini MDCCCLXXXVI. Mutinæ edita, pro isto Inventionis Festo, quod Parmæ et alibi Dominica infra Octavam Epiphaniæ recolitur sub ritu *dup. maj.*, sequens apponitur Rubrica: « Si dies Epiph. Dominica fuerit, festum Inventionis fiet in seq. Feria quarta, idest die IX. Januarii. » Nos autem, nescientes qua de causa talem peculiaris illa Rubrica contineat regulam, censuimus in casu Festum Inventionis esse potius agendum Sabbato sequenti, quo et Ecclesia Evangelium Mysterii ordinat in Officio ac Missa legendum. Enimvero, præterquam quod in aliis Appendicibus Rubrica illa non invenitur; si pro Terra Sancta in praxim esset deducenda, tunc vel iterum in Officio Dominicæ in Sabbato Factum legendum foret, vel Lectiones dierum infra Octavam Epiphaniæ satis invertendæ.

[5] Hic et in aliis omnibus Missis quæ edita Officia subsequuntur, non apposuimus Rubricas speciales, quæ translationem Festorum moderantur. Si tamen inseri velint, ipsæ ex textu relativi Officii commode valent sumi vel efformari.

[6] Ita clare ordinat, et optimis quidem e causis jam pag. (2) ad notam 2. superius indicatis, Rubrica peculiaris apud Appendicem Diurnalis Mutinensis relata: « Sed plane omittitur commem. de Dominica. »

dicere haud possumus Dominicam infra Octavas Domini ad Octavas pertinere: quoniam et ad Officium Dominicæ ipsius non omnia ab Octavis veniunt, et nulla ad Missam indidem accipiuntur; præterquam quod Octavarum Commemoratio in eis præscripta Dominicis, sententiam nostram magis magisque confirmat. Quapropter, si in Officio Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ (uti etiam Nativitatis atque Ascensionis et Corporis Christi) multæ partes ab Officio Octavæ desumuntur; hoc non ideo fit quia Officium nominatim de Octava reputetur, sed quia inter Antiphonas aliasque partes vel de Psalterio vel de Octava sumendas et æque ad Dominum pertinentes, præferuntur potius textus Octavæ quam Psalterii, perinde ac si de Hymnorum conclusione ageretur. Hæc omnia in notis docuerunt pariter EPHEMERIDES LITURGICÆ Anno 1898 pag. 402-411; ubi et earum Redactio autumavit exemplum in Dominicis infra Octavas Nativitatis et Epiphaniæ atque Ascensionis et Corporis Christi ostensum, posse ad omnem Dominicam infra Octavas Domini quascumque occurrentem, etiamsi in Kalendario universali non descriptas, probabiliter extendi.

3. Demum, quoties de una eademque agitur Persona, ab Ecclesia detrimentum Octavæ sæpius non consideratur; uti cernitur e Festo Sanctissimi Nominis Mariæ sub ritu *dup. maj.* in die Octava Nativitatis ejus occurrente, quæ regula ad similes casus extenditur. Immo hac Festi introductione, nisi legitima Auctoritas aliam ei diem præstituere malit, tollitur satis incommodum in uno eodemque Officio exsurgens, dum in Lectionibus III. Nocturni (ut alias hic omittamus partes) Christus ceu **Puer annorum duodecim** consideratur, atque in Responsoriis statim post eas subjungendis adhuc uti **Infans vagiens inter Matris ulnas** et per Magos in incunabulis adoratus perhibetur; quod tamen, reservata tantum Octavæ Commemoratione, qua Factum ab Officio vel tempore diversum valet celebrari, minime recurrit.

## VI.

## DIES XXVI. JANUARII. [1]

### IN FESTO

# SANCTÆ PAULÆ ROMANÆ VIDUÆ.

BETHLEHEMI DUPLEX MAJUS. [2]

*Omnia de Communi nec Virginis nec Martyris, præter sequentia:*

### IN I. VESPERIS.

*Quando dicendæ sint integræ, tunc Antiphonæ et Capitulum atque Hymnus de Laudibus, Psalmi vero ut in I. Vesperis de Communi Virginum.*

℣. Tenuisti, Domine, manum dexteram meam.

℟. Et in voluntate tua deduxisti me. [3]

*Ad Magnificat, Ant.*

**E**gredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, dicit Dominus: et veni in terram, quam monstrabo tibi. [4] Alleluja.

*Oratio ut ad Laudes.*

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* **L**audemus Deum nostrum * in sanctis operibus beatæ Paulæ. [5]

*Ps. 90.* Venite.

*Hymnus* Hujus oratu, *de Communi non Virginum.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones* Mulierem fortem, *de Communi non Virginum.*

---

[1] Hac siquidem die nomen ejusdem Sanctæ Paulæ apud Martyrologium Romanum recurrit, et Officium ejus agitur a Clero sæculari Patriarchatus Hierosolymitani, atque olim a Fratribus etiam Minoribus colebatur. Festum vero Sancti Polycarpi Episcopi et Martyris fixe transferatur in primam diem liberam, idest XXVII. Februarii.

[2] Decet enim omnino, ut eadem sanctissima Vidua Romana, quæ suis virtutibus ac morte et sepulchro illustravit ipsa Bethlehemitanæ urbis Loca, ritu saltem duplici majori ibidem recolatur. Idque eo vel magis, si attendatur ritus duplex II. Classis, quo Sancta Maria-Magdalena apud etiam Minores Terræ Sanctæ ubique gaudet, et quo Sancti Zacharias et Elisabeth Dominici Præcursoris Parentes apud Montana Judææ, atque Paulus primus Eremita et Antonius Abbas cum Cyrillo Alexandrino atque Athanasio Doctoribus necnon Apollonia et Catharina Virginibus ubique per Ægyptum ex Indulto Apostolico jam fruuntur.

[3] E libro Psalterii *Ps. LXXII. 24.*

[4] E libro Genesis *Cap. XII. 1.*

[5] Invitatorium istud actis virtutibusque præclaris Sanctæ Paulæ conveniens, legitur etiam apud Breviarium Romanum sub die VIII. Julii in Festo de Sancta Elisabeth Regina Portugalliæ.

IN II. NOCTURNO.

*Lectiones propriæ* Paula matrona Romana, *quæ in Appendice pro Clero sæculari Patriarchatus Hierosolymitani reperiuntur.* [1]

IN III. NOCTURNO.

*Lectiones de Homilia in Evangelium* Simile est regnum cœlorum, *de Communi non Virginum.*

## AD LAUDES
### ET PER HORAS.

*Ant.* Erat hæc in omnibus * famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. [2]

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* Dispersit, * dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. [3]

*Ant.* In lege Domini * voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. [4]

*Ant.* Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. [5]

*Ant.* Auris audiens * beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. [6]

CAPITULUM.

*Ruth. II. 12.*

Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israël, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas.

*Hymnus* Fortem virili pectore, *de Communi non Virginum.*

℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam. [7]

*Ad Benedictus, Ant.*

Hæc in operibus bonis testimonium habens, filios educavit, hospitio recepit, tribulationem patientibus subministravit, et omne opus bonum subsecuta est. [8]

ORATIO.

Deus, qui beatam Paulam famulam tuam, spretis mundi deliciis, post insignia virtutum incrementa, ibi voluisti nasci cœlo, ubi Unigenitus tuus natus est mundo: concede propitius; ut ejus exemplo terrena cuncta despicientes, cœlestia consequi mereamur. Per eumdem.

## AD TERTIAM.

*Capitulum.* Reddat tibi Dominus, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

## AD SEXTAM.

CAPITULUM.

*Judith. XIII. 31.*

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

℟. *br.* Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

## AD NONAM.

CAPITULUM.

*Judith. XV. 11.*

Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit, et ideo eris benedicta in æternum.

℟. *br.* Elegit eam. ℣. Diffusa.

## IN II. VESPERIS.

*Omnia ut in I. Vesperis, præter sequentia:*

℣. Defecit caro mea, et cor meum.

℟. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. [9]

*Ad Magnificat, Ant.*

Erumpet quasi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. [10] Alleluja.

*Oratio ut ad Laudes.*

---

[1] Lectiones istæ, quemadmodum et Oratio in Laudibus apposita, olim adhibebantur etiam a Minoritis; uti cernitur pag. 3-5. in Opusculo Peculiaria Officia pro Custodia Terræ Sanctæ, quod Hierosolymis anno 1853 edebatur.

[2] E libro Judith *Cap. VIII. 8.*

[3] E libro Psalterii *Ps. CXI. 9.*

[4] E libro Psalterii *Ps. I. 2.*

[5] Ex Evangelio Lucæ *Cap. II. 37.*

[6] E libro Job *Cap. XXIX. 11.*

[7] E libro Psalterii *Ps. LXXII. 28.*

[8] Ex Epistola ad Timotheum *Cap. V. 10.*, quibusdam omissis verbis; prouti sæpe fit in Officiis, et nominatim in Festo Inventionis Sanctæ Claræ sub die XXIII. Septembris apud Breviarium Romano-Seraphicum.

[9] E libro Psalterii *Ps. LXXII. 26.*

[10] Ex Isaia Propheta *Cap. LVIII. 8.*

## DIES XXVI. JANUARII.

IN FESTO

# SANCTÆ PAULÆ ROMANÆ VIDUÆ.

*Missa integre propria, quæ apud Missale Votivum Terræ Sanctæ sub num. LVIII. pag. 83. edita invenitur; sed additur* Credo *in Missa super ipsius Sepulchrum celebranda.*

### ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Festum ipsius Sanctæ Paulæ olim a Fratribus etiam Minoribus de Custodia Terræ Sanctæ sub ritu *dup. min.* et cum Lectionibus II. Nocturni atque Oratione propriis agebatur, antequam illic Diœcesana Patriarchatus Latini Officia, ex Decreto S. R. Congregationis 20 Augusti 1868, forent generatim omissa. Attamen, inter Festa quæ suis e causis expuncta minime fuerunt, etiam Officium ejusdem Sanctæ videtur saltem fuisse pro Conventu Bethlehem retinendum.

2. Enimvero, præterquam quod Minores in ea civitate habitant, quam sanctissima hæc Vidua diuturno sanctificavit incolatu, possident insuper: I° **Cœnobium Sanctæ Catharinæ,** quod ex parte illud ipsum creditur, quod sancta Mulier viris Religiosis sub disciplina Hieronymi positis curaverat ædificandum; uti videri potest apud Franciscum Quaresmium ELUCIDATIO TERRÆ SANCTÆ vol. II. pag. 470 juxta editionem venetam: II° Monasterii alterius locus, nunc **Crypta Lactis** nuncupatus; ubi Paulam cum Eustochio habitasse ac saltem etiam obisse, Auctores multi testantur, ac præsertim Burchardus de Monte Sion anno 1283, Brosserius Savonensis 1285-99, Ricoldus de Monte Crucis 1294, Marinus Sanutus circ. 1310, Odoricus Forojuliensis 1320, atque Jacobus de Verona 1335: III° Ipsius beatæ **Paulæ Sepulchrum,** quod ab Indigenis et Peregrinis præsertim in Quotidiana Processione apud Basilicam Nativitatis fieri solita invisitur, Indulgentias partiales Septem annorum totidemque quadragenarum lucrantibus, juxta testimonium Quaresmii Vol. I. pag. 362.

3. Hinc omnibus de causis inter Officia, quæ post dimissionem Festorum Hierosolymitanæ Diœcesis, in Kalendario Fratrum Minorum de Custodia Terræ Sanctæ optime retinebantur; omni quidem e congruentia, saltem pro Civitate Bethlehem, servandum erat Officium beatæ Paulæ: ne secus accidat hanc Sanctam, quæ in die propria multis in Locis per Officium ac Missam honoratur, illic solummodo ubi vitam et mortem ac sepulturam habuit, debiti honorem cultus non obtinere. Hæc autem magis ex eo videntur approbari, quod bina Sanctorum Zachariæ et Elisabeth Officia non tantum sub ritu duplici II. Classis in Montanis Judææ servata, sed etiam ubique per Terræ Sanctæ Custodiam sub ritu duplici retinebantur.

4. Alia Antiphona in II. Vesperis: *Ps. XLIV. 11; Ps. LXII. 9.* — Antiphonæ vero II., IV. ac V. Laudum: *Act. IX. 36; Judith. VIII. 5-6; 29.* — Antiphona ad Benedictus: **Unam**.... templum ejus. *Ps. XXVI. 4; Ps. XV. 5; Ps. CXLI. 6.* — Antiphona demum in II. Vesperis: **Notas** mihi.... usque in finem. *Ps. XV. 11; Ps. XVI. 15; Ps. XXIX. 12; Philip. I. 21.*

5. Alii textus: *Ps. XXV. 8; Ps. XLII. 5; Ps. LXII. 2; Ps. LXXXIII. 2, 3, 11; Ps. XCIII. 19; I. Cor. IX. 27; II. Cor. I. 5.*

## VII.

## DIE XXII. APRILIS. [1]

IN FESTO

# SANCTI BONI LATRONIS.

IN CONVENTU SANCTISSIMI SEPULCHRI DUPLEX II. CLASSIS
RELIQUIS HIEROSOLYMÆ LOCIS DUPLEX MINUS. [2]

*Omnia uti apud Breviarium Romanum Typicum sub die XXIV. Aprilis* inter OFFICIA PROPRIA PRO ALIQUIBUS LOCIS; *præter Lectiones sequentes:*

[1] Sanctus iste, apud Martyrologium die XXV. Martii positus, quum dies XXIV. Aprilis apud Minores Festo *dup. maj.* Sancti Fidelis a Sigmaringa Martyris ex Ordine Capuccinorum occupetur, sub die XXII. ejusdem mensis cum Officio celebrandus esse statuitur; assignata in I. Vesperis et Laudibus juxta Rubricas Commemoratione Sanctorum Soteris et Caji Pontificum et Martyrum, atque IX. eorumdem Lectione ex duabus primis ad II. Nocturnum conflata.

[2] Congruit enim ut Sanctus ipse, qui apud Patres maximis semper laudibus celebratur, ritum potiorem obtineat illic, ubi gloriosam Christo dedit confessionem, quam in aliis Hierosolymæ Locis. Prætérea, sedulo nobis cavendum est, ne Festum

℣ *In I. Vesperis extra Conventum Sanctissimi Sepulchri, in Laudibus autem ubique agitur Commemoratio Sanctorum Soteris et Caji Pontificum et Martyrum; atque de ipsis recitatur ad Matutinum Lectio IX., ex duabus in II. Nocturno Lectionibus confecta.* [1]

IN I. NOCTURNO. [2]

LECTIO I.

De Isaia Propheta. [3]

*Cap. LV. 6.*

Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.

℟. Posui adjutorium.

LECTIO II.

*Cap. LVII. 15.*

Quia hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem: et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar: quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum: abscondi a te faciem meam, et indignatus sum: et abiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum.

℟. Iste cognovit.

LECTIO III.

*Cap. LIX. 1.*

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestræ

---

hoc extra Paschale Tempus amandetur, ut congruæ ad Matutinum habeantur Antiphonæ, ac præsertim ut Versus III. Nocturni eisdem verbis atque ultima Antiphona ipsius Nocturni constans, aliæque maneant partes invariatæ. Hinc nos, ritum duplicem II. Classis et minorem respective assignantes, incommodum ita evitamus: ut vel Festum in primam diem ab Officiis ritus duplicis II. Classis vacuam (ob privilegium a S. R. Congregatione 17 Januarii 1883 Ordini Minorum concessum), ideoque intra Tempus Paschale amandetur; vel ob ritum duplicem minorem, translatione, eo anno quo impeditur, careat.

[1] Cf. Breviarium Romano-Seraphicum sub die XXVI. Aprilis atque X. Junii; ubi respective Festa Sanctorum Cleti et Marcellini Pontificum et Martyrum ex Decreto S. R. Congregationis 15 Junii 1871, atque Sanctæ Margaritæ Viduæ et Scotorum Reginæ ex Decreto ejusdem S. R. Congregationis 28 Januarii 1875, ob noviter concessa Officia simplificantur.

[2] In omnibus quidem Sanctorum Festis, si Officia per annum Votiva necnon dierum infra Octavas vel communiter ipsius etiam diei Octavæ excipiantur, ponendæ sunt in I. Nocturno Lectiones non de Scriptura occurrente verum de Communi assignatæ, quoties post eas Responsoria utcumque propria recitentur. Hæc autem regula, quæ ad ritum vel semiduplicem et Festa Sanctorum duo tantum Responsoria propria protenditur habentium, confirmatur non solum exemplis in Breviario Romano sub die XXI. Januarii, V. Februarii, XXVI. Junii, VIII. Julii, XI. et XXII. ac XXIII. Novembris, necnon XIII. Decembris; sed etiam ad omnes similes casus applicari debet, uti in Decreto S. R. Congregationis *die 27 Augusti 1836 in Minoricen. ad 10.* aperte declaratur. Nihilominus, si agitur de Sancto Bono Latrone, norma illa in praxim deduci congrue nequit: etenim eidem Sancto, qui inter Martyres certe ab Ecclesia ipsi Officium de Communi Confessoris non Pontificis assignante haud computatur, nonnisi perridicule tribuerentur Lectiones de primo aut secundo loco hujus Communis; quum vel ab initiis in priori casu textus sacer incipiat **Justus si morte præoccupatus fuerit**, in posteriori autem **Beatus vir qui inventus sine macula!** Neque alia ratione respondendum censuerunt Ephemerides Liturgicæ Anno 1888 pag. 278, cuidam sciscitanti quænam Lectiones essent intra Quadragesimam legendæ ad I. Nocturnum Boni Latronis, cujus Festo apud Kalendarium Diœcesis Varsaviensis, S. R. Congregatione probante, assignatur dies XXVI. Martii; ubi et Inquirenti consuluerunt, ad evitanda incommoda e Lectionibus **Justus** vel **Beatus vir** orientia, ut recursum haberet ad legitimam Auctoritatem. Hinc merito eadem S. R. Congregatio, *13 Februarii 1892 in Calagurritana et Calceaten. ad XXIX.*, declaravit in Officio Boni Latronis standum esse assignationi Breviarii Typici, ubi sub die XXIV. Aprilis Lectiones de Scriptura occurrente indicantur; non autem Decreto *27 Augusti 1836 in Minoricen.* superius citato, ubi in Festis propria Responsoria habentibus, Lectiones generatim propriæ aut de Communi ordinantur.

[3] Quoniam omnino decet, uti supra vidimus, Festum Boni Latronis saltem apud locum ubi Christum gloriose confessus est, ritu duplici secundæ Classis decorari; ideo Lectiones propriæ, et ex omnibus quas requisivimus diligenter, hic aptiores apponuntur. Ipsæ autem Lectiones etiam ubi Sanctus ritum tantummodo duplicem habet, recitandæ collocantur.

diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates; conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, Domine, et peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus.

℟. **A**mavit eum.

---

## DIE XXII. APRILIS.

### IN FESTO

## SANCTI BONI LATRONIS.

### AD MISSAM. [1]

**Introitus.** *Ps. XXX. 17.*

**I**llustra faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in misericordia tua: Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Alleluja, alleluja.

**Ps.** *Ibid. 2.* **I**n te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

℣. **G**loria Patri.

ORATIO.

**O**mnipotens et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus: ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Per eumdem.

℣ *Et fit juxta Rubricas Commemoratio Ss. Soteris et Caji Pontificum et Martyrum.*

Lectio Isaiæ Prophetæ. [2]

*Cap. LV. 6.*

**Q**uærite Dominum, *et reliqua ut ad Lectionem I. Matutini.*

Alleluja, alleluja. ℣. *Ps. III. 5.* **V**oce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo. Alleluja. ℣. *Ps. CXXIX. 7.* **Q**uia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio. Alleluja.

℣ *Extra Tempus Paschale, post Epistolam absolute dicitur:*

**Graduale.** *Ps. XVI. 6.* **E**go clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. ℣. **M**irifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

Alleluja, alleluja. ℣. *Jer. XXXIX. 18.* **E**rit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. Alleluja.

℣ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluja *cum* ℣. *sequenti, dicitur:*

**Tractus.** *Ps. XXIV. 6.* **R**eminiscere miserationum tuarum, Domine: et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. ℣. **S**ecundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine, ℣. **P**ropter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

*Cap. XXIII. 39.*

**I**n illo tempore: Unus de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen, dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.

**Offertorium.** *II. Esdr. XIII. 22.* **M**emento mei, Deus meus: et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. Alleluja.

---

[1] Missa, quæ apud Missale Romanum Typicum inseritur, si Orationem primam ac initium Epistolæ et Evangelium exceperis, nil tibi videatur habere relationem cum Bono Latrone. Enimvero, Introitus ac Versiculi pro Tempore Paschali (nam Graduale atque *Alleluja* cum ℣. sequenti et Tractus ibi desunt) et Offertorium sunt e Festo Inventionis Sanctæ Crucis, atque Secreta necnon Præfatio et Communio ac Postcommunio e Votiva ejusdem Sanctæ Crucis desumuntur.

[2] Epistola Typici, si initium exceperis, nimis in reprehensionem Sancti Latronis in Missa celebrandi videtur absolvi.

SECRETA.

Mitis omnium Pontifex, Domine Jesu, qui converso Latroni plus quam petebat, liberaliter in ara Crucis indulsisti: da nobis, ita fidem ac spem et charitatem ejus æmulari; ut e sacrificii tui digna communicatione, tecum ad Paradisi regnum transeamus: Qui vivis.

*Præfatio communis.*

**Communio.** *Ps. LX. 5.* Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: quoniam tu Deus meus, exaudisti orationem meam. Alleluja.

POSTCOMMUNIO.

Actio suscepti Mysterii, Domine Jesu, intercedente beato Latrone Confessore tuo, cœleste nobis lumen ac robur infundat: ut quo sincerius indignitatem nostram coram te non diffitemur, eo fortius justitiam tuam contra impiorum blasphemias proclamemus: Qui vivis.

ANIMADVERSIONES SUPER UNIVERSO FESTO.

1. Ante dimissionem Officiorum Diœcesis, actam ex Decreto S. R. Congregationis 20 Augusti 1868, agebatur etiam a Minoritis Festum Boni Latronis; uti ait pag. 802 ELENCHUS CÆREMONIARUM TERRÆ SANCTÆ anno 1754 editus: « MARTIUS. XXV. S. Di[s]mæ boni Latronis Conf. qui moriens cum Domino, ab eo meruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sem. pro quatuor [Judææ] Conventibus. Transfertur. »

2. Attamen Officium hoc saltem pro urbe Hierosolyma, aut demum pro Conventu Sanctissimi Sepulchri, erat retinendum. Etenim, quum Minoritæ eum Calvariæ locum teneant, in quo felix Latro Christum confessus, ab eodem promissionem regni cœlestis obtinuit; ideo si in Conventu saltem Sepulchri Officium non agatur, Sanctus ibi solummodo honorem non haberet, ubi tot virtutum exempla præbuit, et haud longe sepulturam cum supplicii instrumentis accepit.

3. Festum hoc celebrari posset die XIX. Aprilis, immo et XXVI. Martii, utraque vacua; sed tunc Antiphonæ Nocturnorum intra Quadragesimam e sequentibus Psalmis, initio eorum sequendæ, confici deberent, ne secus plura non conveniant, et Versus III. Nocturni sit mutandus: *Ps. III. 5; IV. 4; V. 3-4; VI. 5; XVI. 6-7; XX. 3 et 5; XXII. 3; XXIV. 1-2, 6-8, 11, 18; XXVI. 7, 13; XXVII. 7; XXIX. 11; XXXI. 5; XXXIII. 5, 7; XXXVII. 10, 18, 19; XXXIX. 3; XL. 5; XLI. 5, 11; XLII. 5; XLIX. 15; Ps. L. 3-6, 11-12; LIV. 17; LVI. 2; LXI. 8; LXV. 16; LXXIII. 18; LXXVI. 11; LXXXV. 3-6, 11; LXXXVII. 3-4; XC. 2, 14-15; XCIII. 22; CI. 3, 18; CII. 2-4.* = Sed tum, dempta pænultima Strophe, Hymnus prior ut in Laudibus non Pontificum, posterior ut Pontificum concludatur.

4. Alia testimonia: *Gen. XL. 14; II. Reg. XIV. 14; Ps. CXVIII. 49, 58; Eccli. II. 13; Isai. XXX. 19; Jer. XVII. 7; Dan. XIV. 37; Mich. VII. 7.* = Immo pro I. Nocturno: *Ezech. XVIII. 21-23 et 27-32, ac XXXIII. 11-16;* et *Rom. V. 1-21.*

## VIII.

## DOMINICA III. JULII.

IN FESTO

## SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

IN UNIVERSA CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ DUPLEX II. CLASSIS.

*Officium ac Missa integre propria, quæ apud Breviarium atque Missale Romanum Typicum sub ipsa Dominica III. Julii reperiuntur inter* FESTA PRO ALIQUIBUS LOCIS.

## IX.

## DIE XXX. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

## SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI ET CONFESSORIS

ATQUE ECCLESIÆ DOCTORIS.

BETHLEHEMI DUPLEX II. CLASSIS. [1]

*Officium ac Missa integre propria, quæ pro Diœcesibus Dalmatiæ fuerunt jam indulta, atque etiam Fratribus Ordinis Minorum illic degentibus concessa.* [2]

[1] S. R. Congregatio 20 Augusti 1868, ritum duplicem II. Classis Sancti Hieronymi apud Bethlehem Festo assignavit.

[2] Ita hisce colitur Sanctus Hieronymus apud Provinciam Minoritanam Dalmatiæ, quæ ex eodem nomen obtinuit.

## X.

## DIE XXX. DECEMBRIS. [1]

IN FESTO

# BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE BETHLEHEM.

BETHLEHEMI DUPLEX II. CLASSIS
RELIQUIS LOCIS IN CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ DUPLEX MAJUS. [2]

*Officium ac Missa integre propria, quæ inter Officia Mexicanorum edita inveniuntur. Ubique agitur Commemoratio de Octava Nativitatis Domini, atque etiam Dominicæ infra Octavam, nisi hæc die XXIX. aut XXXI. Decembris venerit; necnon extra Bethlehem* [3] *Octavarum Sancti Stephani et Sancti Joannis atque Sanctorum Innocentium.*

### ANIMADVERSIONES SUPER TRIBUS ULTIMIS FESTIS.

1. Tria quidem Festa, quæ ultimo hic apposuimus, convenientissime videntur esse apud Palæstinam recitanda; præsertim cum apud Diœceses necnon Ordines seu Congregationes ipsa celebrentur, pro quibus eædem vel interdum minores causæ adesse videntur.

2. Enimvero Religiosi Minoritæ non solum apud Redemptionis Terram habitant, sed insuper: I°. Ipsum Sacratissimi **Calvariæ Montis locum** divinis Officiis frequentant, ubi Christus Jesus omnium Redemptionem operabatur; in cujus memoriam, sæculo exeunte decimonono ac vigesimo ineunte, solemnia eidem Redemptori ejusque in terris Vicario obsequia parantur: II°. Insuper Fratres **Monasterii locum olim a Sancto Hieronymo gubernati,** nunc habitant; et **Oratorium ac Sepulchrum ejus** Indulgentiis aucta Partialibus quotidiano cultu venerantur: III°. Demum, iidem servant sacratissimum **Nativitatis Antrum,** ubi Virgo Maria illæso pudore Christum effudit.

### ELOGIA OFFICIORUM IN ROMANO MARTYROLOGIO NON EXSTANTIA.

**Officii I.** — Initium Signorum Domini nostri Jesu Christi in Cana Galilææ; quando ad nuptias aquam convertens in vinum, manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

**In die Octava.** — Octava Initii Signorum Domini Nostri Jesu Christi.

**Officii II.** — Festum Mysteriorum Viæ Dolorosæ, in qua Redemptorem nostrum e domo Pilati ad Calvariæ locum pia mentis et cordis devotione prosequimur.

**Officii III.** — Festum Septem Gaudiorum beatæ Mariæ Virginis, quibus Cor ejus purissimum, ab Angelica Annuntiatione usque ad gloriosam Assumptionem, in Christo Salutari suo mirabiliter exsultavit.

**Officii IV.** — Hierosolymis Commemoratio Dominicæ Flagellationis, qua ipse omnium Redemptor, jubente Pilato, ad Prætorium dirissime conciditur.

**In die Octava.** — Octava Flagellationis Domini nostri Jesu Christi.

**Officii V.** — Hierosolymis Commemoratio Inventionis Domini nostri Jesu Christi in medio Doctorum, quando puer annorum duodecim cœlestem sapientiam suam cœpit hominibus revelare.

**Officii VII.** — Sancti Boni Latronis, qui in Cruce Christum confessus, ab eo audire meruit, Hodie mecum eris in Paradiso: ejus tamen memoria octavo Kalendas Aprilis recensetur.

**Officii VIII.** — Festum Sanctissimi Redemptoris nostri Jesu Christi, qui veteris piaculi cautionem pio nobis cruore detersit.

**Officii X.** — In Bethlehem Judæ solemnis memoria Beatæ Mariæ Virginis, quæ illæso pudore Christum Salvatorem omnium ibi mundo effudit.

---

[1] Inter Officia Mexicanorum anno 1893 apud Diurnale Romanum Mechliniæ edita, Festum hoc Dominica III. post Epiphaniam manet assignatum. Verumtamen, cum ipsa Dominica apud Minores et alibi nunc Festo Sanctæ Familiæ in perpetuum impediatur, nos Festum Beatæ Mariæ Virginis de Bethlehem censuimus die XXX. Decembris esse convenienter recolendum; qua, uti ex Appendice relativa vidimus, celebratur etiam in Ecclesiis Æquatorialis Reipublicæ de Quito. Cæterum, ipsa dies XXX. Decembris aptior quam Dominica illa videtur: nam quum Festi objectum sit Beata Virgo Jesum pariens, quæ ob splendorem Dei in carne nascentis die XXV. Decembris parum culta fuerat; melius videtur, eidem exhibere cultum Deiparæ intra quam extra Octavam Dominicæ Nativitatis, qua Mysterium Officii semper continetur.

[2] Nos autem ex more ritum altiorem tribuimus Locis apud Bethlehem urbem positis, ubi et Mysterium recolendum evenisse noscitur, atque insignis **Basilica Sanctæ Mariæ** per beatam Helenam Imperatricem erecta etiam hodie consurgit.

[3] Ita post Guyetum, opinatur Aloysius de Carpo in Compendiosa Bibliotheca Liturgica *part. III. num. 52:* « Si « Festum ... [30 Decembris] ... exsistat Duplex ... **secundæ Classis**, de Octavis S. Stephani ... nihil prorsus agitur. »

**EXPLICIT APPENDIX NOVISSIMA OFFICIORUM TERRÆ SANCTÆ.**

# INDEX GENERALIS

## EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

**N. B.** — *In hoc Indice generali non indicantur Adnotationes vel Additiones, post Titulum aut Missam aut Officium respectivum appositæ; quæ idcirco suis post unumquodque eorum locis per Numeros Arabicos aut Romanos intra vel extra Parenthesim positos indicatis, erunt requirendæ.*

# MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ.

## DOCUMENTA.


**Supplices Litteræ**, quibus Rmus Pater Aurelius Briante de Buja, hodiernus Terræ Sanctæ Custos, approbationem hujus Missalis Votivi a Sede Apostolica implorat. . . PAG. V

**Epistolæ Commendatoriæ**, quibus Excellmus ac Rmus Dominus Frater Ludovicus Piavi, hodiernus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, laudat hoc Missale Votivum, atque ipsius approbationem commendat apud eamdem Sedem Apostolicam . . . . . VIII

**Indultum Apostolicum** die XXXI. Augusti MDCCCLXV. latum pro Missis votivis apud Sanctuaria Terræ Sanctæ celebrandis . . . . IX


## RUBRICÆ PECULIARES MISSALIS VOTIVI TERRÆ SANCTÆ.


**Prologus** in Rubricas Missalis Votivi . . XIII

**Titulus Primus.** — De Natura propria et Legum qualitate in Missis votivis . . . . . XIII

**Titulus Secundus.** — De duplici Classe vel Ordine discernendo in Missis votivis. . . XV

**Titulus Tertius.** — De Diebus qui liberi censentur pro Missis votivis . . . . . XVII

**Titulus Quartus.** — De Die quæ multipliciter censetur PROPRIA in Missis votivis. . . XIX

**Titulus Quintus.** — De Loco et Altari eligendo in Missis votivis . . . . . XXII

**Titulus Sextus.** — De Hora naturali et Canonica pro Missis votivis . . . . . XXV

**Titulus Septimus.** — De Sacerdotibus quibus permittitur Missarum votivarum celebratio . . . . . XXVII

**Titulus Octavus.** — De vario Colore Paramentorum in Missis votivis . . . . . XXIX

**Titulus Nonus.** — De Ritu juxta diversitatem Temporis servando in Missis votivis . XXXI

**Titulus Decimus.** — De Initio Missæ necnon de Introitu in omnibus Votivis . . . XXXIII

**Titulus Undecimus.** — De Hymno Angelico recitando vel omittendo in Missis votivis . . . . . XXXV

**Titulus Duodecimus.** — De Oratione prima ac Secreta et Postcommunione in Missis votivis . . . . . XXXVII

**Titulus Decimus tertius.** — De Epistola pariter atque Evangelio in Missis votivis . XXXIX

**Titulus Decimus quartus.** — De Graduali ac sequenti Versiculo in Missis votivis . PAG. XLI

**Titulus Decimus quintus.** — De Tractu recitando vel omittendo in Missis votivis . . XLIII

**Titulus Decimus sextus.** — De binis Versibus pro Tempore Paschali in Missis votivis . . . . . XLV

**Titulus Decimus septimus.** — De Sequentia necessario vel libere dicenda in Missis votivis . . . . . XLVI

**Titulus Decimus octavus.** — De Symbolo recitando vel omittendo in Missis votivis . XLVIII

**Titulus Decimus nonus.** — De Offertorio pariter et Communione in Missis votivis. . . L

**Titulus Vigesimus.** — De Præfatione juxta diversos casus adhibenda in Missis votivis . . LII

**Titulus Vigesimus primus.** — De variis juxta casum Orationibus Canonis in Missis votivis . . . . . LV

**Titulus Vigesimus secundus.** — De *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* in Missis votivis . . . . . LVII

**Titulus Vigesimus tertius.** — De ultimo Evangelio Missæ recitando in omnibus Votivis . LX

**Epilogus** in Rubricas Missalis Votivi . . LXII


## TABELLA PRO OMNIBUS MISSIS VOTIVIS EX INDULTO APOSTOLICO APUD SANCTUARIA PALÆSTINÆ CELEBRANDIS.


**Normæ** ad intelligenda Tabellæ præscripta . . . . . LXV

**Tabella** pro Missis votivis Terræ Sanctæ . . . . . LXVIII


## MISSÆ VOTIVÆ IN SANCTIS PALÆSTINÆ LOCIS CELEBRANDÆ.

### CAPUT PRIMUM.

### IN PEREGRINORUM ADVENTU IN TERRAM SANCTAM.


I.

Ubi Peregrini appulerint in Terram Sanctam. . . . . 1

## CAPUT SECUNDUM.

APUD BASILICAM SANCTISSIMI SEPULCHRI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

II.
**Primo.** — Ubi Crux Domini a latronum crucibus mirabiliter distincta fuit . . . PAG. 2
III.
**Secundo.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Matri suæ . . . . . 4
IV.
**Tertio.** — Ubi asservatur Columna Flagellationis Domini . . . . . 5
V.
**Quarto.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Mariæ Magdalenæ . . . . . 6
VI.
**Quinto.** — Ubi Crux Domini inventa fuit ad Altare Sanctæ Helenæ Imperatricis . . . 8
VII.
**Sexto.** — In Crypta Inventionis Sanctæ Crucis . . . . . 9
VIII.
**Septimo.** — In eo Calvariæ loco ubi Beata Maria Virgo stabat juxta Crucem Filii sui Jesu. 11
IX.
**Octavo.** — In eo Calvariæ loco ubi Dominus Cruci affixus fuit . . . . . 13
X.
**Nono.** — In eo Calvariæ loco ubi Beata Maria Virgo stabat dum Jesus Cruci affigeretur. . . 14
XI.
**Decimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis Tempore Paschali adhibenda* . . . . . 15
XII.
**Undecimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis extra Tempus Paschale adhibenda*. . . . 16
XIII.
**Duodecimo.** — In ipso Venerabili Redemptoris nostri Monumento. *Missa Resurrectionis quocumque anni Tempore adhibenda.* . 18

## CAPUT TERTIUM.

IN VIA DOLOROSA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

XIV.
**Statio Prima.** — Ubi Christus ad mortem condemnatur . . . . . 19
XV.
**Statio Secunda.** — Ubi Christus suscipit Crucem humeris . . . . . 21
XVI.
**Statio Tertia.** — Ubi Christus primum cadit sub Cruce . . . . . 22
XVII.
**Statio Quarta.** — Ubi Christo occurrit Mater . . . . . 24
XVIII.
**Statio Quinta.** — Ubi Christus a Simone Cyrenæo adjuvatur . . . . . 25
XIX.
**Statio Sexta.** — Ubi Christo sudarium a Veronica porrigitur . . . . . 26
XX.
**Statio Septima.** — Ubi Christus iterum cadit sub Cruce . . . . . PAG. 28
XXI.
**Statio Octava.** — Ubi Christus alloquitur mulieres lacrymantes . . . . . 28
XXII.
**Statio Nona.** — Ubi Christus tertium cadit sub Cruce . . . . . 29
XXIII.
**Statio Decima.** — Ubi Christus vestibus exsuitur et felle potatur . . . . . 30
XXIV.
**Statio Undecima.** — Ubi Christus Cruci affigitur. . . . . 31
XXV.
**Statio Duodecima.** — Ubi Christus pendens in Cruce moritur. . . . . 32
XXVI.
**Statio Decimatertia.** — Ubi Christus e Cruce in sinu Matris deponitur. . . . . 34
XXVII.
**Statio Decimaquarta.** — Ubi Christus Monumento reconditur. . . . . 36

## CAPUT QUARTUM.

ALIIS INTRA CIVITATEM HIEROSOLYMAM LOCIS.

XXVIII.
**Primo.** — Ad portam qua eductus est Christus ad crucifigendum. . . . . 37
XXIX.
**Secundo.** — Ad locum ubi Christus est flagellatus . . . . . 39

## CAPUT QUINTUM.

APUD SANCTISSIMUM DOMINI CŒNACULUM IN MONTE SION.

XXX.
**Primo.** — Ubi Spiritus Sanctus descendit super Apostolos . . . . . 39
XXXI.
**Secundo.** — Ubi Christus ultimam Cœnam cum Discipulis celebravit . . . . . 41
XXXII.
**Tertio.** — Ubi Christus post Resurrectionem apparuit Thomæ . . . . . 43
XXXIII.
**Quarto.** — Ubi Beatissima Virgo Maria e vita migravit . . . . . 45

## CAPUT SEXTUM.

APUD VALLEM JOSAPHAT ET GETHSEMANI.

XXXIV.
**Primo.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Isaias Propheta . . . . . 46
XXXV.
**Secundo.** — Ubi Beata Maria Virgo Monumento fuit recondita. . . . . 47
XXXVI.
**Tertio.** — Ubi Christus in agonia factus sanguinem sudavit . . . . . 49

XXXVII.
**Quarto.** — Ubi Christus in agonia factus ab Angelo est confortatus . . . . . PAG. 50
XXXVIII.
**Quinto.** — In Horto ubi Christus sæpe orans et quiescens morabatur . . . . . 52
XXXIX.
**Sexto.** — Ubi Petrus cum Jacobo et Joanne dormierunt ante capturam Christi . . . . . 53
XL.
**Septimo.** — Ubi Christus comprehensus et ligatus fuit . . . . . 55
XLI.
**Octavo.** — Unde Apostoli post Christi comprehensionem fugerunt . . . . . 56
XLII.
**Nono.** — Ubi Christus Patrem oraturus octo ex Apostolis dimisit . . . . . 58

**CAPUT SEPTIMUM.**
SUPER MONTEM OLIVETI.

XLIII.
**Primo.** — Ubi Christus flevit super Civitatem Hierosolymam . . . . . 59
XLIV.
**Secundo.** — Unde Christus visibiliter in cœlum ascendit . . . . . 61
XLV.
**Tertio.** — In viculo Bethphage ubi Christus Hierosolymam ingressurus super asinæ pullum ascendit . . . . . 62

**CAPUT OCTAVUM.**
APUD CASTELLUM BETHANIÆ.

XLVI.
**Primo.** — In Domo Simonis leprosi ubi Maria Magdalena unxit Christum unguento . . . 64
XLVII.
**Secundo.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa de Sancto Lazaro ejus fratre* . 66
XLVIII.
**Tertio.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa de Sancta Maria Magdalena ejus sorore* . . . . . 67
XLIX.
**Quarto.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa ipsius Sanctæ Marthæ.* . . . . 69
L.
**Quinto.** — In Domo Sanctæ Marthæ Virginis. *Missa communis Familiæ Sanctorum Lazari et Marthæ ac Mariæ* . . . . . 70
LI.
**Sexto.** — In monumento a quo Christus revocavit Lazarum quatriduanum . . . . . 72

**CAPUT NONUM.**
IN PEREGRINATIONE
AD FLUMEN JORDANIS.

LII.
**Primo.** — Ubi Christus Quadragesimale egit Jejunium . . . . . 74
LIII.
**Secundo.** — Ubi Angeli accedentes ministrabant Christo post illius tentationes . . . 76
LIV.
**Tertio.** — Ubi Christus a Præcursore baptizatus fuit. *Missa Domini nostri Jesu Christi* . . . . . PAG. 77
LV.
**Quarto.** — Ubi Christus a Præcursore baptizatus fuit. *Missa ipsius Sancti Joannis Baptistæ* . . . . . 79

**CAPUT DECIMUM.**
APUD BASILICAM NATIVITATIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

LVI.
**Primo.** — In loco ubi Sanctus Hieronymus vacabat studiis et orationibus . . . . . 80
LVII.
**Secundo.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Hieronymus . . . . . 82
LVIII.
**Tertio.** — Ubi sepulta fuit Sancta Paula Vidua Romana . . . . . 83
LIX.
**Quarto.** — Ubi sepulta fuit Sancta Eustochium Virgo Romana . . . . . 84
LX.
**Quinto.** — Ubi sepulta fuerunt corpora Sanctarum Paulæ et Eustochii. *Missa Matri et Filiæ communis* . . . . . 86
LXI.
**Sexto.** — Ubi sepultus fuit Sanctus Eusebius Abbas Discipulus beati Hieronymi . . . . . 87
LXII.
**Septimo.** — Ubi plures e Sanctis Innocentibus sepulti fuerunt . . . . . 89
LXIII.
**Octavo.** — Super Altare Sancti Joseph Deiparæ Sponsi ad Cryptam Bethlehemiticam . . 90
LXIV.
**Nono.** — Ubi Beata Virgo Maria Christum peperit et reclinavit in Præsepio . . . . . 92
LXV.
**Decimo.** — Ubi Christus in lucem editus fuit . . . . . 93
LXVI.
**Undecimo.** — Ubi Christus fuit in Præsepio reclinatus . . . . . 94
LXVII.
**Duodecimo.** — Ubi Christus a Magis fuit adoratus . . . . . 96
LXVIII.
**Decimotertio.** — In spelunca Nativitatis ubi diu manserunt Joseph cum Maria et Jesu. *Missa de eadem sancta Familia.* . . . . . 97

**CAPUT UNDECIMUM.**
ALIIS PROPE CIVITATEM
BETHLEHEM LOCIS.

LXIX.
**Primo.** — In Crypta ubi fertur Beata Virgo Maria Christum aliquando lactasse . . . . 99
LXX.
**Secundo.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi . . . . . 100
LXXI.
**Tertio.** — Ubi Angeli Pastoribus nuntiarunt Nativitatem Christi . . . . . 102

**CAPUT DUODECIMUM.**

APUD MONTANA JUDÆÆ.

LXXII.

**Primo.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de Sancto Zacharia Præcursoris Patre* . . . . . PAG. 103

LXXIII.

**Secundo.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de Sancta Elisabeth Præcursoris Matre* . . . . . 105

LXXIV.

**Tertio.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Missa de ipso Domini Præcursore.* 106

LXXV.

**Quarto.** — In loco Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. *Communis Missa Familiæ Præcursoris* . . . . . 108

LXXVI.

**Quinto.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Deipara salutavit Elisabeth* . . 110

LXXVII.

**Sexto.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Elisabeth salutationem Mariæ audivit* . . . . . 111

LXXVIII.

**Septimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Joannes in sinu Elisabeth exsultavit* . . . . . 113

LXXIX.

**Octavo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Communis Missa de Personis in hoc Mysterio comprehensis* . . . . . 114

LXXX.

**Nono.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Zacharias loquela recepta prophetavit.* . . . . . 116

LXXXI.

**Decimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi Elisabeth Præcursori nomen asseruit* . . . . . 117

LXXXII.

**Undecimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Ubi fuit circumciso Joanni nomen impositum* . . . . . 119

LXXXIII.

**Duodecimo.** — In loco Visitationis Beatæ Mariæ Virginis. *Communis Missa Familiæ Præcursoris* . . . . . 120

LXXXIV.

**Decimotertio.** — In deserto illo ubi Præcursor Domini puer habitasse traditur . . . 122

**CAPUT DECIMUMTERTIUM.**

IN VIA AB HIEROSOLYMIS IN JOPPEN.

LXXXV.

**Primo.** — Ubi Christus junxit se duobus Discipulis euntibus in castellum nomine Emmaus. 123

LXXXVI.

**Secundo.** — Emmaunte ubi cognitus est Jesus in fractione panis. *Missa de Sancto Cleopha Christi Discipulo* . . . . . 125

LXXXVII.

**Tertio.** — Emmaunte ubi cognitus est Jesus in fractione panis. *Missa de ipso Recognitionis Mysterio* . . . . . 127

LXXXVIII.

**Quarto.** — In Domo Sancti Nicodemi Discipuli Jesu apud civitatem Ramulam . . PAG. 129

LXXXIX.

**Quinto.** — In ipsa civitate Joppe ubi Petrus Apostolus demissum e cœlo linteum vidit . . 131

**CAPUT DECIMUMQUARTUM.**

INTRA ET PROPE CIVITATEM NAZARETH.

XC.

**Primo.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Sancto Gabriele Archangelo* . . . . . 133

XCI.

**Secundo.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de ipsa Dei Genitrice* . . . . . 134

XCII.

**Tertio.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Domino nostro Jesu Christo* . . . . . 136

XCIII.

**Quarto.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de Sancto Patriarcha Joseph* . . . . . 138

XCIV.

**Quinto.** — Apud Basilicam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. *Missa de sancta Domini Familia* . . . . . 139

XCV.

**Sexto.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de ipso Patriarcha* . . . . 141

XCVI.

**Septimo.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de ipsa Dei Genitrice* . . . 142

XCVII.

**Octavo.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de Domino nostro Jesu Christo.* 144

XCVIII.

**Nono.** — In Domo Sancti Joseph Deiparæ Sponsi. *Missa de sancta Domini Familia* . 145

XCIX.

**Decimo.** — In loco Mensæ Christi ubi fertur ipse cum Discipulis etiam post Resurrectionem comedisse . . . . . 147

C.

**Undecimo.** — In Synagoga Nazarena ubi Christus declaravit vaticinium Capite LXI. Isaiæ contentum . . . . . 148

CI.

**Duodecimo.** — Super collem Tremoris Beatæ Mariæ Virginis . . . . . 150

CII.

**Decimotertio.** — Ad supercilium montis unde cives Nazareni Jesum præcipitare voluerant. 152

**CAPUT DECIMUMQUINTUM.**

ALIIS GALILÆÆ LOCIS IN CIRCUITU NAZARETH.

CIII.

**Primo.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de Sancta Maria Salome eorumdem Matre* . . . . . 154

CIV.

**Secundo.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de eodem Sancto Jacobo*. . . . . PAG. 155

CV.

**Tertio.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de eodem Sancto Joanne* . . . . . 157

CVI.

**Quarto.** — Japhiæ in Patria Domo Apostolorum Jacobi et Joannis. *Missa de Familia Sanctæ Mariæ Salome* . . . . . 158

CVII.

**Quinto.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa de Sancto Joachim ejus Patre* . . . . . 160

CVIII.

**Sexto.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa de Sancta Anna ejus Matre* . . . . . 162

CIX.

**Septimo.** — Diocæsareæ in Domo Sanctorum Parentum Deiparæ. *Missa utrique Parenti communis*. . . . . 163

CX.

**Octavo.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de ipso Domino nostro Jesu Christo* . . . . . 165

CXI.

**Nono.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de Beata Maria Virgine*. . . . . 167

CXII.

**Decimo.** — Apud Canam Galilææ ubi Jesus fecit initium signorum. *Missa de Discipulis Christi Domini* . . . . . 168

CXIII.

**Undecimo.** — Apud Canam Galilææ in Domo Sancti Nathanaëlis . . . . . 170

CXIV.

**Duodecimo.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Domino nostro Jesu Christo* . . . . . 171

CXV.

**Decimotertio.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Sancto Moyse Legislatore* . . . . . 173

CXVI.

**Decimoquarto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de Sancto Elia Propheta* . . . . . 174

CXVII.

**Decimoquinto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Missa de unoquolibet e tribus Apostolis* . . . . . 176

CXVIII.

**Decimosexto.** — Super Montem Thabor in loco Transfigurationis. *Communis Missa de Personis in hoc Mysterio comprehensis* . . 178

CXIX.

**Decimoseptimo.** — Super Montem Thabor ubi post Resurrectionem Christus undecim Discipulis apparuisse fertur . . . . . 179

CXX.

**Decimooctavo.** — Apud Civitatem Naim ubi Christus suscitavit filium unicum matris viduæ . 181

## CAPUT DECIMUMSEXTUM.

APUD CIVITATEM ET MARE TIBERIADIS.

CXXI.

**Primo.** — Ad oras Stagni ubi Christus Dominus sedavit Discipulis fluctuantibus procellam . . . . . PAG. 182

CXXII.

**Secundo.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de Sancto Petro Apostolo* . . 184

CXXIII.

**Tertio.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de Sancto Joanne Apostolo* . . 186

CXXIV.

**Quarto.** — Ubi Jesus post Resurrectionem suam apparuit septem Discipulis e navi piscantibus. *Missa de omnibus Personis in Mysterio comprehensis*. . . . . 187

CXXV.

**Quinto.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Petro* . . . . . 189

CXXVI.

**Sexto.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Andrea* . . . . . 191

CXXVII.

**Septimo.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Jacobo* . . . . . 192

CXXVIII.

**Octavo.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa de Sancto Joanne* . . . . . 194

CXXIX.

**Nono.** — Ubi Jesus quatuor primos Apostolos ad sequelam suam vocavit. *Missa omnibus his Discipulis communis* . . . . . 195

CXXX.

**Decimo.** — Ad oras Lacus ubi Christus liberavit a demersu Petrum super fluctus ambulantem . . . . . 197

CXXXI.

**Undecimo.** — Ad oras Lacus ubi Christus super aquas incedens Discipulis contrarium ventum sedavit . . . . . 199

## CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

RELIQUIS GALILÆÆ LOCIS

ET MAXIME AD CAPHARNAUM.

CXXXII.

**Primo.** — In Domo Sanctæ Mariæ Magdalenæ Pœnitentis apud Castellum Magdalum . 201

CXXXIII.

**Secundo.** — Ubi Christus Septem Panes multiplicavit . . . . . 202

CXXXIV.

**Tertio.** — In Monte ubi Christus Apostolos elegit. *Missa de unoquolibet ex undecim*. . 204

CXXXV.

**Quarto.** — In Monte ubi Christus Apostolos elegit. *Missa omnibus undecim communis* . 205

CXXXVI.
**Quinto.** — Ubi Christus evangelicas Beatitudines prædicavit . . . . . PAG. 207
CXXXVII.
**Sexto.** — Ubi Christus Orationis Dominicæ formam edocuit . . . . . 208
CXXXVIII.
**Septimo.** — Ubi Christus ad turbas in monte sermonem habuit . . . . . 210
CXXXIX.
**Octavo.** — Ubi Christus Quinque Panes multiplicavit . . . . . 211
CXL.
**Nono.** — Ad locum ubi Jesus Matthæum Apostolum ad sequelam suam invitavit . . . 213
CXLI.
**Decimo.** — In Synagoga Capharnaum ubi Christus prædocuit sanctum Eucharistiæ Sacramentum. . . . . 215
CXLII.
**Undecimo.** — In Domo ubi Christus socrum Simonis Petri magnis laborantem febribus sanavit . . . . . 216
CXLIII.
**Duodecimo.** — In Domo Petri et Andreæ ad cujus januam Christus infirmos sanavit et dæmonia ejecit . . . . . 218
CXLIV.
**Decimotertio.** — Ubi Christus Petro miram piscationem mandavit ad tributum pro utroque solvendum . . . . . 219
CXLV.
**Decimoquarto.** — In Domo ubi per Matthæum ad meliora conversum Christus convivio fuit exceptus . . . . . 221
CXLVI.
**Decimoquinto.** — Apud Cæsaream Philippi ubi Christus Apostolo Petro promisit Claves regni cœlorum . . . . . PAG. 222

**CAPUT DECIMUMOCTAVUM.**
IN LOCIS AD TERRAM SANCTAM ALIQUALITER PERTINENTIBUS.
CXLVII.
**Primo.** — Apud Damascum ubi Christus post Resurrectionem convertit Saulum Ecclesiæ hostem . . . . . 224
CXLVIII.
**Secundo.** — Damasci in Domo Ananiæ ubi ipse Discipulus a Christo miram Sauli conversionem est edoctus . . . . . 226
CXLIX.
**Tertio.** — Apud Cairum Babylonis ubi sancta Domini Familia in Ægypto diu commorata est . 228
CL.
**Quarto.** — Apud Cairum Babylonis unde sancta Domini Familia in Terram Israël est reversa. 229

**CAPUT DECIMUMNONUM.**
IN PEREGRINORUM DISCESSU A TERRA SANCTA.
CLI.
Quando Peregrini discessuri sunt a Terra Sancta . . . . . 231

**APPENDICES.**
AD MISSALE VOTIVUM TERRÆ SANCTÆ.
**Prima.** — Missæ Communes . . . . . 233
**Secunda.** — Aliquæ Missæ propriæ in Votivarum serie non comprehensæ . . . . . 234

# OFFICIA NOVISSIMA TERRÆ SANCTÆ.

## DOCUMENTA.

**Supplices Litteræ**, quibus Rmus Pater Aurelius Briante de Buja, hodiernus Terræ Sanctæ Custos, Officia novissima per Sedem Apostolicam approbanda exorat . . . . PAG. (III)

## OFFICIA PROPRIA IN SANCTIS PALÆSTINÆ LOCIS RECITANDA.

I.
**Dominica II. post Epiphaniam.** — In Solemnitate Initii Signorum Domini Nostri Jesu Christi in Cana Galilææ. *Officium integre proprium* . . . . . (1)
**Dominica III. post Epiphaniam.** — In Die Octava Initii Signorum Domini Nostri Jesu Christi in Cana Galilææ. *Oratio, necnon Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (8)
**Appendix** continens partes quæ jam positis subrogari possent. *Alius Hymnus pro primis Vesperis Festi, atque aliæ Lectiones II. ac III. Nocturni pro Die Octava.* . . . . PAG. (10)
**Dominica II. post Epiphaniam.** — In Solemnitate Initii Signorum Domini Nostri Jesu Christi in Cana Galilææ. *Missa propria ex Missali Votivo Terræ Sanctæ indicata* . . (12)
**Dominica III. post Epiphaniam.** — In Die Octava Initii Signorum Domini Nostri Jesu Christi in Cana Galilææ. *Missa integre propria ex Missali Votivo Terræ Sanctæ indicata* . . . . . (12)
**Animadversiones** super universo Festo . (13)
II.
**Feria VI. ante Dominicam Septuagesimæ.** — In Festo Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi. *Officium integre proprium* . . . . . (15)
**Appendix** continens partes quæ jam positis subrogari possent. *Aliæ Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ pro die Festi* . . . . . (23)

**Feria VI. ante Dominicam Septuagesimæ.** — In Festo Mysteriorum Sanctissimæ Viæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi. *Missa integre propria cum Sequentia* . . . PAG. (25)
**Animadversiones** super universo Festo . (27)

III.

**Dominica infra Octavam Ascensionis.** — In Solemnitate Septem Gaudiorum Beatæ Mariæ Virginis. *Officium integre proprium* . (29)
**Appendix** continens partes quæ jam positis subrogari possent. *Aliæ Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ pro die Festi* . . . . . (37)
**Dominica infra Octavam Ascensionis.** — In Solemnitate Septem Gaudiorum Beatæ Mariæ Virginis. *Missa integre propria cum Sequentia* . . . . . (38)
**Animadversiones** super universo Festo . (41)

IV.

**Dominica ultima Julii.** — In Commemoratione Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Officium integre proprium* . . . . . (43)
**Feria II.** — De Secunda Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (51)
**Feria III.** — De Tertia Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (52)
**Feria IV.** — De Quarta Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (54)
**Feria V.** — De Quinta Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (55)
**Feria VI.** — De Sexta Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (57)
**Sabbato ante Dominicam I. Augusti.** — De Septima Die infra Octavam Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . . . (58)
**Dominica I. Augusti.** — In Die Octava Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Lectiones II. ac III. Nocturni propriæ* . . . (60)
**Appendix** continens partes quæ jam positis subrogari possent. *Aliæ Lectiones II. Nocturni propriæ pro Festo aut Die Octava* . . . . (62)
**Dominica ultima Julii.** — In Commemoratione Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Missa integre propria ex Missali Votivo Terræ Sanctæ indicata* . . . . . (62)
**Dominica I. Augusti.** — In Die Octava Flagellationis Domini Nostri Jesu Christi. *Missa ut in die Festi* . . . . . PAG. (63)
**Animadversiones** super universo Festo . (63)

V.

**Dominica infra Octavam Epiphaniæ.** — In Festo Inventionis Domini Nostri Jesu Christi in medio Doctorum. *Officium ac Missa integre propria ex Breviario ac Missali Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis indicata* . (65)
**Animadversiones** super universo Festo . (65)

VI.

**Die XXVI. Januarii.** — In Festo Sanctæ Paulæ Romanæ Viduæ. *Officium magna ex parte proprium* . . . . . (66)
**Die XXVI. Januarii.** — In Festo Sanctæ Paulæ Romanæ Viduæ. *Missa integre propria ex Missali Votivo Terræ Sanctæ indicata* . (68)
**Animadversiones** super universo Festo . (68)

VII.

**Die XXII. Aprilis.** — In Festo Sancti Boni Latronis. *Officium integre proprium ex Breviario Romano Typico indicatum, additis solum Lectionibus I. Nocturni propriis* . . (68)
**Die XXII. Aprilis.** — In Festo Sancti Boni Latronis. *Missa integre propria ac noviter confecta* . . . . . (70)
**Animadversiones** super universo Festo . (71)

VIII.

**Dominica III. Julii.** — In Festo Sanctissimi Redemptoris. *Officium ac Missa integre propria ex Appendice Breviarii et Missalis Romani Typici indicata* . . . . . (71)

IX.

**Die XXX. Septembris.** — In Festo Sancti Hieronymi Presbyteri et Confessoris atque Ecclesiæ Doctoris. *Officium ac Missa integre propria ex Appendice pro Diœcesibus Dalmatiæ indicata* . . . . . (71)

X.

**Die XXX. Decembris.** — In Festo Beatæ Mariæ Virginis de Bethlehem. *Officium ac Missa integre propria ex Appendice Mexicanorum indicata* . . . . . (72)
**Animadversiones** super tribus ultimis Festis . . . . . (72)
**Elogia Officiorum** in Romano Martyrologio non exstantia . . . . . (72)
**Index generalis** eorum quæ in hoc Volumine continentur . . . . . (73)
**Emendationes** eorum quæ perperam in totum Volumen irrepserunt . . . . . (80)

# EMENDATIONES

## EORUM QUÆ PERPERAM IN TOTUM VOLUMEN IRREPSERUNT.

**N. B.** — *In hujus Voluminis editione, etsi diligenter peracta, nonnulla variis de causis irrepserunt menda, quibus hic suum afferimus remedium: ita nempe ut ea quæ ex parte desunt, grandioribus litteris adjuncta; quæ vero permutantur aut corriguntur, crassioribus inde litteris indicata maneant. Si quæ vero menda nos latuerunt, ea lectorum perspicaciæ ac benignitati corrigenda remittimus.*

I.

Pag. XII., col. 2, lin. 5: « etiam **ut** Duplicia. »

Pag. XV., Rubr. **16**, ejusque lin. 8: « aut *pro publica Ecclesiæ* CAUSA. »

Pag. XXXII., Rubr. **70**, ejusque lin. 8: « oportebit ipsam recitari. »

Pag. XLIV., adnot. [5], lin. 2: « afferebant; assignantia. »

II.

Pag. 5, ad Intr. Flagell. lin. 2: « congregata SUNT super me. »

Pag. 7, immediate post Tractum, confici posset explicite Graduale pro diebus infra Octavam Paschæ, de quo agitur in Rubrica **110** hujus Missalis Votivi. Idemque dicatur de aliis huic affinibus Resurrectionis Missis, pag. XLII., adnot. [4] indicatis.

Pag. 7, post sic positum Graduale et ante Versiculos Temp. Pasch. apponi valet expresse Sequentia *Victimæ Paschali*, quæ cum suis Rubricis ad pag. 15 invenitur.

Pag. 7, in Secr. ejusque lin. 4: « flagrabat. »

Pag. 12, ad ultimam Sequentiæ Stropham nulla ad rhytmicas leges requiritur mutatio, si pænultima Strophe legatur, uti prostat in quibusdam Breviariis et Missalibus, ac præsertim pag. 721 in parte Hyemali et Verna Breviarii Romani, quod Matriti anno MDCCXCVIII. edebatur: « Fac me Cruce custodiri, — Morte Christi præmuniri, Confoveri gratia. »

Pag. 25, ad notam 3 ejusque lin. 1: « substitui. »

Pag. 32, in Evangelio ejusque lin. 2: « in Golgotha. »

Pag. 42, Rubrica Sequentiæ ita adjectis verbis apponenda: « *ultimo* Alleluja, ATQUE EXTRA OCTAVAM ETIAM STROPHIS SIT LAUS PLENA AC DIES ENIM, *dicitur:* »

Pag. 65, in Postc. ejusque lin. 4: « contra mortis **vim** infirmitas. »

Pag. 71, in Postc. ejusque lin. 3: « protestationibus **Jesu.** »

Pag. 85, in ℣. post Grad. ejusque lin. 2: « **ut** inhabitem. »

Pag. 86, Missæ LX. assignatur vox « **Quinto** »; atque ita dein usque ad finem Capitis X., cuilibet Missæ numerus litteris crassioribus exhibendus una semper unitate major tribuatur.

Pag. 103, in Postc. ejusque lin. 2: « justitiæ **corrobora.** »

Pag. 133, post Orat. adde Rubricam: « ¶ *Extra Festivitatem ejus in Oratione verbum* Festum *mutatur in alterum* memoriam. »

Pag. 138, in Rubr. Tractus ejusque lin. 2: « dicitur »: atque dein ante cit. prioris Versiculi pro Temp. Pasch. adde « ℣. »; ac demum ejus lin. 3 lege « manuum. »

Pag. 159, col. 1, lin. 1: « ejusque. »

Pag. 183, post ult. Orationem ponatur Rubrica: « ¶ *Dominica IV. post Epiphaniam, aut alia post Pentecosten ei subroganda, legitur ad hanc Votivam Evangelium hujus Dominicæ.* » Idemque efficiatur, affinibus ferme verbis, post alteram Epistolam Missæ sub num. CXXXIX. pag. 213; utrobique tamen, si ea quæ in Rubrica **103** ejusque adnot. [5] dicta sunt, approbentur.

Pag. 198, ante Postc. Sancti Pauli: « *Commemoratio.* »

Pag. 209, in conclusione Postc.: « Per Dominum. »

Pag. 227, ad notam 9 ejusque lin. 1: « Quia non repellet »; atque ad notam 10 ejusque lin. 1: « verbum servi sui. »

III.

Pag. (7), ad Stropham IV. ejusque lin. 4, si producta in « **jubeas** » syllaba displiceat, ponatur « **jusseris** » aut aliud verbum affine.

Pag. (10), ad notam [2] ejusque lin. 2: « posterior hic **modus.** »

Pag. (13) adnotationum num. 2 ejusque lin. 29: « novi Officii. »

Pag. (19) ad notam [2]: « mutato congruenter verbo. »

Pag. (68), Adnotationum num. 2 ejusque lin. 9 et 10: « Monasterii alterius locum... nuncupatum.

